

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.


+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.


+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search


Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


Digitized by Google

RBS Hom
680.41
Eck



Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

302097780-

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM.

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA
NVMORVM VETERVM

CONSCRIPTA

A

IOSEPHO ECKHEL

THESAVRO CAESAREO NVMORVM, GEMMARVMQVE VETERVM, ET REI ANTIQVARIAE
IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI DOCENDAE PRAEFECTO.

PARS I.

DE NVMIS VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

VOLVMEN III.

CONTINENS

RELIQVAM ASIAM MINOREM, ET REGIONES DEINCEPS
IN ORTVM SITAS.

EDITIO SECVNDA.

VINDOBONAE

SVMPTIBVS FRIDERICI VOLKE

MDCCCXXVIII.

Digitized by Google

ASHMOLEAN MUSEUM
SIR
ARTHUR EVANS
BEQUEST
1941
OXFORD

Digitized by Google

CONSPECTVS VOLVMINIS III.

NVMI VRBIVM, POPVLORVM, REGVM.

Lycia . . . . . Pag. 1
Pamphylia . . . . . — 7
Pisidia . . . . . — 18
Isauria . . . . . — 28
Lycaonia . . . . . — 30
Cilicia . . . . . — 35
Cyprus . . . . . — 84
Lydia . . . . . — 90
Phrygia . . . . . — 127
Galatia . . . . . — 176
Cappadocia . . . . . — 186
Armenia . . . . . — 202
Syriae reges . . . . . Pag. 209
Commagene . . . . . — 249
Cyrrhestica . . . . . — 259
Chalcidene . . . . . — 263
Palmyrene . . . . . — 265
Seleucis et Pieria . . . . . — 266
Coelesyria . . . . . — 328
Trachonitis Ituraea . . . . . — 339
Decapolis . . . . . — 345
Phoenice . . . . . — 353
Galilaea . . . . . — 422
Samaritis . . . . . — 428

Digitized by Google

Iudaea . . . . . Pag. 441
Arabia . . . . . — 499
Mesopotami . . . . . — 505
Parthia . . . . . Pag. 522
Persia . . . . . — 551
Bactriana . . . . . — 556

Digitized by Google

LYCIA.

Lyciorum rempublicam praeclaris legibus fuisse constitutam, et a moderatione civium, et aequi observantia late celebratam, et actis per urbes conventibus utilitati publicae provisum, praeclara ejus commendatione refert Strabo [a]). Ad civilis etiam instituti rationem videtur pertinere certus quidam et aequabilis monetae argenteae modus, a solis Lyciae urbibus receptus, nimirum non pondere solum, sed et typis, omnibusque aliis causis conspirantis. Sunt nimirum argentei III. formae, in antica est *caput Apollinis*, in aversa *lyra intra quadratum*, nomen urbis paucis literis absolvitur, addito plerumque ΛΤΚΙΩΝ. Vrbes, quae hujus generis numos signavere, hactenus compertae sunt Cragus, Cydna, Limyra, Massicytes, Olympus, Patara, Phaselis, quos in singulis plenius describemus. Lyciae numismaticae seriem perpetuam adjecta crisi debemus curis cl. Sestini [b]).

* * *

Lyciae nomen seorsim, et sine addito urbis nomine in paucis numis reperitur. Eccos:

ΑΠΟΛΛΩΝ. ΚΑΙ. ΛΤΚΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *cum capite Alexandri M.* in antica, de quo actum supra in Apollonia Cariae.

ΑΤΤΟΚΡ. ΝΕΡΟΤΑC. ΚΑΙCΑΡ. CΕΒΑCΤ. *Caput Nervae laureatum, juxta* ΛΤ. Σ ΤΠΑΤΟΤ. ΤΡΙΤΟΤ. *Duae lyrae, quibus insistit noctua.* AR. III. (Mus. Caes.)

Similes numos Vaillantius tribuit Lytto Cretae [c]), at mihi videntur verius Lyciae cuidam urbi tribuendi. Nam non solum in Massicytis numo, ut mox videbimus, eaedem literae ΛΤ. eodem modo juxta caput anticae sunt collocatae, verum etiam lyra et Apollo obvius sunt in Lyciarum urbium moneta typus. Similes argentei complures extant etiam cum capite Domitiani et Trajani, quos, etsi dictas literas non praeferant, tamen ob typi analogiam ad eandem Lyciam censeo pertinere. Sunt hi numi apud Morellium [d]), et Vaillantium [e]).

a) L. XIV p. m. 980. b) Lettere T. III. p. 82. c) Num. praest. T. II. p. 116. d) in Domitiano Tab. XII. n. 43. etc. e) Num. praest.

Digitized by Google

ANTIPHELLVS.

Imperatorius.

ΑΝΤΙΦΕΛΛΕΙΤΩΝ. *Fortuna stans*, in numo Gordiani. (Sestini Lettere T. III. p. 89.)

APERRAE, APYRE.

Hanc Lyciae urbem Frölichius evolvit ex numo Arigonii ΑΠΑΡΑΙΩΝ [a]), sed quae scriptura melius in ΑΠΤΑΡΑΙΩΝ corrigetur, ut praeclare conjecit Neumannus. Erit adeo Apterae Cretae.

APOLLONIA.

Autonomus.

Caput Dianae. Ϟ ΑΠΟΛΛΩΝΙ. ΜΤΣΙΟΝ. *Cervus stans.* AE. III.

Apolloniae Lyciae numum hunc tribuit abbas Sestinus [b]), sed non satis persuadent rationes, quas adfert.

Imperatorii

Exstant inscripti: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ΛΤΚΙΩΝ. *Iuppiter sedens*, in numo Antonini. *Figura stans intra templum*, Gallieni. (Vaill.) Hac vero epigraphe ne quis forte existimet indicari concordiam inter Lycios et Apolloniam qualemcunque, vetat numus Aurelii Caes. ΑΠΟΛΛΩΝΙ. ΛΤΚ. *Mensis stans* [c]), et numus Getae in museo Neumanni: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ΛΤ. typo *Fortunae stantis*. Accedit, quod in omnibus his numis typus tantum est singularis, cum tamen in concordiae numis fere semper utriusque populi numen, vel symbolum, non unius tantum, proponatur.

Hi ergo numi Apolloniam invicte Lyciae vindicant, geographis veteribus fere praeteritam, nam unus, quod sciam, Stephanus eam attingit his verbis: *Apollonia XXI. νησος προς τῃ Λυκιᾳ, insula juxta Lyciam.*

AE. RRR.

ARYCANDA.

Vrbis situs non satis exploratus, verisimiliter ad fluvium cognominem.

Autonomos, quos Pellerinius huic largitur, esse potius Abydi Troadis, jam alias suspicatus sum [d]), non dissentiente serius ipso Pellerinio.

Imperatorius

Tranquillinae a me editus ex museo M. Ducis: ΑΡΤΚΑΝΔΕΩΝ. *Imperator eques.* (Num. vet. l. c.)

AE. RRRR.

CEBESSVS.

Numos huic urbi tributos esse Cidyessi Phrygiae, dicetur in hujus moneta.

CORYDALLA.

Lyciae oppidum testibus Plinio et Ptolemaeo.

---

a) Notit. elem. p. 75. b) Lettere T. III. p. 90. c) Sestini Lettere p. 114. d) Num. vet. p. 217.

Digitized by Google

Imperatorii

ΚΟΡΤΔΑΛΛΕΩΝ. *Pallas stans*, in numo Gordiani. (Haym. T. II. p. m. 358.)

ΚΟΡΤΔΑΛΛΩΝ. *Vir galeatus eques hastam intentat.* Tranquillinae. (Pellerin Rec. III. p. 248.)

AE. RRR.

CRAGVS.

Ad montem cognominem.

Autonomi.

Caput Apollinis diadematum, in alio: *laureatum*, Ϫ ΚΡ. in alio: ΛΥ-ΚΙΩΝ. ΚΡΑΓ. *Lyra intra quadratum*, AR. III. (Pellerin.)

ΛΥ. *Lyra.* Ϫ ΚΡ. *Cervus stans.* AE. III. (Editus ex museo Caes. in mea Sylloge I. p. 40.)

ΚΡ. Caput Dianae cum pharetra et arcu. Ϫ ΚΡ. *Figura incerta stans.* AE. III. (Hunter.)

ΛΥ. *Caput Apollinis laureatum.* Ϫ ΚΡ. *Lyra, omnia intra lauream.* AE. II. (Hunter, Mus Caes.)

ΛΥ. *Caput Apollinis diadematum.* Ϫ ΚΡ. ΞΑΝ. *Lyra, omnia intra lauream.* AE. II. (Neumann Num. pop. P. I. tab. 6.)

ΛΥ. *Caput Apollinis laureatum.* Ϫ ΚΡΑΝΙΩΝ. *Lyra, omnia intra lauream.* AE. (Goltz. Graec. Tab. XV.)

En tibi Cragi numos omnes hactenus compertos. Singularis est is, quem primo loco proposui cum epigraphe ΛΥΚΙΩΝ. ΚΡΑΓ., quia diserte docet, eodem modo legendum contractius ΛΥ. ΚΡ. numorum sequentium. Numi tres postremi eodem omnes sunt argumento, nisi quod nonnihil differt inscriptio, et satis etiam patet, fallere Goltzianam epigraphen ΚΡΑΝΙΩΝ, nimium, ut jam constat, facili Goltzio, ad inscriptiones, ut libuit, seu immutandas, seu de suo addendas. Satis apparet, Goltzianum istud cimelium diversumn on fuisse a Neumanniano, in quo haud dubie sic jungendae sunt literae, ut sit: ΚΡ. ΞΑΝ., sic ut το ΞΑΝ. vel sit nomen magistratus, vel indicetur Xanthus Lyciae fluvius, quod idem serius sensit Neumannus ipse, fassus praeterea, minus prospere sese ducem Goltzium secutum legendo ΚΡΑΝ. Ξ., numumque Cranio Cephalleniae tribuendo, a quo deinde judicio conspecto simili Hunteriano discessit [a]). Ceterum numi hi perpetui sunt in cultu Apollinis, sororisque Dianae.

AR. RRR. AE. RR.

CYDNA.

Lyciae urbs teste Ptolemaeo.

Autonomus.

Caput Apollinis. Ϫ ΚΥ. *Lyra.* AR. III. (Hunter.)

Non paucis urbibus a ΚΥ. incipientibus, hunc numum recte Cl. Combius huc refert causa typi cum aliis Lyciae urbium numis communis, ut mox supra

a) Num. pop. P. II. p. 179.

Digitized by Google

in prolegomenis ad numos Lyciae monui.

AR. RRRR.

LIMYRA.

Ad fluvium Limyrum prope mare, qua in urbe Cajus Agrippae F. ex oriente redux mortuus est.

Autonomus.

Caput Apollinis laureatum. Ϟ ΛΤΚΙΩΝ. ΛΙ. *Lyra, juxta fulmen, omnia intra quadratum.* AR. III. (Hunter.)

Imperatorii

Gordiani tantum exstant.

ΛΙΜΤΡΕΩΝ. *Fortuna stans.* (Vaill.)

ΛΙΜΤΡΩΝ. *Monticulus, ex quo unda profluit, et ex qua bos bibit, in imo:* ΡΗΓΜΑ. (Pellerin Rec. III. p. 219.)

Vocabulum istud *eruptionem* significat, censetque Pellerinius, eam aquam patefacto sibi per vim ex rupe exitu erupisse, locumque, ubi istud accidit, sic vocatum. Eadem ratione locus quidam juxta Anchialen Ciliciae, ubi sunt Cydni ostia, dictus fuit Ρηγμα teste Strabone [a]). Ab eodem vocabulo tractum etiam nomen Rhegii Bruttiorum, in hujus numis diximus. Meminit Plinius fontis apud Limyram mirae naturae, et oraculo inclyti [b]).

* * *

ΛΙΜΤΡΟC. *Fluvius decumbens*, in numo Gordiani. (Pellerin Rec. III. p. XXII.) Vrbis nomen non additur, dubium tamen non est, numum hunc apud hanc Limyram signatum, quam diximus Limyro fuisse adsitam.

AE. RRR.

MASSICYTES.

Mons quidem tantum hujus nominis in Lycia a geographis proditur, sed impositam quoque illi urbem docent numi sequentes. Quin et Quintus Calaber de accolis hujus montis loquitur [c]):

Παντες ὁσοι Φοινικον ἐδος περι παγχυ νεμονται,
Ασπυ τε ΜΑΣΣΙΚΥΤΟΙΟ βιον, βωμον τε Χιμαιρης.
Omnes, quicunque circa Phoenicium solum undique habitant,
Et praeruptum MASSICYTI jugum, aramque Chimaerae.

Idem ejus montis meminit alibi [d]).

Autonomi:

Caput muliebre laureatum. Ϟ ΛΤΚΡΩΝ. ΜΑΣ. *Lyra intra quadratum.* AR. III. (Pellerin.)

Caput Appollinis laureatum. Ϟ ΛΤΚΙΩΝ. ΜΑ. *Lyra intra quadratum.* AR. III. (Panel Num. Cistoph. p. 40.)

Alius, sed abest ΛΤΚΙΩΝ. (Pellerin.)

ΛΤ. *Caput Apollinis laureatum.* Ϟ ΜΑ. *Vir togatus stans d. extenta . . . s. arcum.* AE. III. (Mus. Caes.)

AR. RRR. AE. RRRR.

Imperatorius

Vnicus exstat, quem editi ex museo Mediceo: (Num. vet. p. 217.)

a) L. XIV. p. m. 990. b) H. N. L. XXXI. §. 18. c) L. VIII. v. 106. d) L. III. v. 233.

Digitized by Google

ΛΥΚΙΩΝ. MA. *Lyra*, cum capite Augusti. AE. m. m.

AE. RRRR.

MYRA.

Vrbs Lyciae mediterranea.

Imperatorii.

Ab Antonino ad Tranquillinam usque.

Epigraphe ΜΥΡΕΩΝ *typis* obviis dempto sequente:

Mulier velata in saxum desinens supra mediam arborem, ad cujus truncum hinc et inde vir cum securi, ex imo arboris exsiliunt serpentes, qui unum ex hominibus insequuntur, in numo Gordiani.

His verbis numum hunc Vaillantius describit ex Patino, in cujus tamen opere eum non reperio. Videtur insolens hic typus ad domesticam urbis historiam pertinere.

* * *

Concordia cum Side: ΣΙΔΗΤΩΝ. ΜΥΡΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Pallas Sidetum stans, ex adverso caput impositum saxo conoidico*, in numo Valeriani. (Arigoni.)

Myrensium istud numen fortasse idem est, quod mox a Vaillantio descriptum vidimus.

AE. RR.

OLYMPVS.

Vrbs nobilis ad montem cognominem.

Autonomi:

Caput Apollinis laureatum, vel muliebre laureatum. Ɪ ΟΛΥΜ. ΟΛΥΜΠ. ΟΛΥΜΠΗ. *Lyra intra quadratum, juxta fulmen aut similia.* AR. III. (Pellerin, Hunter.)

Numos hos hujus esse Olympi, probant collati similes alii urbium Lyciae numi.

AR. RRR.

PATARA.

Maritima versus Xanthi ostia, ab Apollinis Patarei cultu late inclyta.

Autonomi.

Caput Apollinis laureatum, pone arcus et pharetra. Ɪ ΛΥΚΙΩΝ. ΠΑ. *Lyra intra quadratum.* AR. III.

Bini similes ex uno Hunteri catalogo cogniti. Ceterum Pagas quoque pertinere posent, si verum est, quod refert Eusebius [a]): Παγαὶ τῆς Λυκίας ἐν ἀσήμῳ πόλις.

AR. RRRR.

Imperatorii

Tantum Gordiani.

ΠΑΤΑΡΕΩΝ. *Apollo stolatus stans d. ramum, s. tripodi innixus, cui serpens obvolvitur, pro pedibus corvus super globo.* (Vaill. Mus. Pisani.) Omnia haec ad Apollinem apud Patara fatidicum facile referuntur.

ΠΑΤΑΡΕΩΝ. *Fortuna stans in templo distylo*, AE. I. (Mus. princ. de Waldeck.)

PHASELIS.

Ad fines Pamphyliae maritima.

---

a) Hist. eccl. L. VIII.

Digitized by Google

Autonomi.

Hujus urbis exstant insignes, plerique recens comperti.

Pars apri anterior in navis formam aptati. Ɪ ΦΑΣ. *Prora navis in quadrato incuso.* AR. I. (Hunter.)

Prora navis. Ɪ ΦΑΣΗ. ΕΤΚΡΑΤΗΣ. *Prora navis diversae formae.* AR. I. (Hunter.) AR. III. (Wise p. 145.) AE. III. *et sine nomine magistratus.* (Wise. p. 144.)

Prora navis supervolante Victoria. Ɪ ΦΑ. *Pallas gradiens d. fulmen intentat, s. aegidem praetendit.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Iovis. Ɪ ΦΑ. *Idem typus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Prora navis, cui insistit noctua. Ɪ Φ. ΚΛΕΩΝΤΜΟϹ. *Pallas simili cultu.* AR. II. (Hunter.)

Caput muliebre laureatum. Ɪ Φ. ΕΤΚΡΑΤΗΣ. *Prora navis, cui insistit Pallas d. fulmen vibrans, s. aegidem praetendens, pro pedibus serpens.* AR. I. (Mus. Caes. et a me editus in Sylloge I. p. 41.)

Navis in omnibus his numis potiorem typum facit, quo credo indicari rem Phaselidis maritimam, ut revera quoddam navigii genus Graeci et Latini dixere phaselum, ducto secundum Isidorum ex hac urbe vocabulo: *phaselos vocari ajunt a Phaselo insula Graeciae, ubi non procul mons Olympus est* [a]). Quo loco hanc nostram Phaselidem intelligi dubium non est, nam et Herodianus teste Stephano Phaselidem dixit insulam. Facile autem insulae speciem praeferre potuit, nam Cicero *projectam in altum* dixit [b]), et Livius [c]): *prominet penitus in altum.* Phaseliotas ut commercio obnixe deditos, sic et perditos et improbos amare exagitat Demosthenes [d]). In numo I. dixi proram navis in caput apri desinere. In numis Cilico-phoeniciis videbimus numos, in quibus prorae jam caput arietis, jam equi praefixum offerunt. Ab his insignibus, quae Graeci navium παρασημα, vel ἐπισημα vocabant, totam saepe navim appellationem traxisse constat, et fuere, qui existimarent, fuisse navim tauro insignitam, quae Europam rapuit. Vide Iul. Pollucem, et subjectam Iungermanni notam [e]), et quae exempla alia suo loco ad numos Cilico-phoenicios dabimus. Ad Phaselidis nostrae apros quod propius attinet, meminit Herodotus νηων καπρους ἐχουσαων τας πρῳρας, *navium, quarum prorae in apros exivere*, quas Aeginetae de Samiis cepere [f]). In Museo Capitolino Tomo IV. tab. 34. exhibetur zophorus antiquus, cui insculptae sunt aliquot prorae prominentibus inde diversarum ferarum capitibus, quod argumentum copiose ibi explicat Cl. Fogginius, cui adde Fabrettum [g]).

* * *

Caput Apollinis laureatum cum pharetra et arcu. Ɪ ΦΑΣΗΛΙ. *Lyra intra quadratum.* AR. III. (Pembrock., Hunter.)

AR. et AE. RRR.

---

a) L. XVII. b) in Verr. L. IV. c. 10. c) L. XXXVII. c. 23. d) in Lacritum sub init. p. 948. e) L. I. c. IX. segm. 83. f) L. III. c. 59. g) de Col. Traj. p. 115.

Digitized by Google

Imperatorii

Duo tantum proditi: ΦACHΛEITΩN. *Iuppiter sedens*, Antonini. (Vaill.) *Pallas stans*, Gordiani. (Pellerin Rec. III. p. 219.)

AE. RRRR.

PODALIA.

Ptolemaeo ad fontes Xanthi in septentrionem.

Imperatorius

Vnicus a me editus ex musco Mediceo: (Num. vet. p. 218.)

ΠOΔAΛIΩTΩN. *Figura militaris cum hasta et clypeo*, in numo Tranquillinae.

AE. RRRR.

XANTHVS.

Mediterranea. *Autonomum* aeneum inscriptum ΔHMO. ΞAN. typo duplicis cornucopiae huc refert Pellerinius, quod judicium an satis tutum sit, videtur posse ambigi.

Certiorem alium dedit Sestinus: (Lettere T. III. p. 102.)

Apollo stolatus stans d. — s. arcum. Ʒ ZA. ΛTKIΩN. *Lyra intra quadratum incusum.* AE. III.

AE. RRRR.

CHELIDONIA *insula.*

Autonomus aeneus XEΛIΔONEAIΩN editus ab uno Goltzio. (in insulis.)

MEGISTE *insula.*

Autonomi argenteus et aeneus MEΓIΣTEΩN. apud unum iterum Goltzium. (l. c.)

P A M P H Y L I A.

PROLEGOMENA.

Praemonendum ad numos Pamphyliae, Pisidiae, Ciliciae, harum aliquas urbes imperatoriae suae monetae frequenter notas quasdam arithmeticas solitarias insculpsisse. Hujus instituti sequentes fuere leges. Non repertae sunt hactenus, nisi in familia Valeriani. Vnicum ab hac lege eximium numum reperi in Claudio Gothico, signatum Sagalassi Pisidiae, quem edidit Pellerinius [a]). Fere semper adstituuntur capiti imperantis. Raro in aversam recipiuntur, ac tum nonnunquam cum aliqua ostentatione, v. c. literae grandiores IЄ intra

a) Rec. III. p. XX.

Digitized by Google

coronam totam avensam constituunt in numo Argorum Ciliciae a). Nonnunquam hae literae comparent instar notarum incusarum. Omnes has notas, quotquot invenire potuit, adsiduus in nostris studiis Belleyus collegit, ediditque b), quem ejus laborem lubet ob oculos ponere additis a me paucis.

Adada Pisidiae . .	Valeriani	IB.
Argos Ciliciae . .	Gallieni et Saloninae	IG.
- - - - - - . .	Salonínae	Z.
Aspendus Pamphyl.	Salonínae	I.
Attalia Pamphyl. .	Valeriani	I.
- - - - - - . .	Gallieni	Є.
Colybrassus Ciliciae	Valeriani, Salonini	IA.
Coracesium Ciliciae	Saloninae	IA.
Laerte Ciliciae . .	Salonini	Γ.
Lyrbe Pisidiae . .	Valeriani jun.	IA.
Perge Pamphyliae .	Gallieni, Saloninae	I.
Sagalassus Pisidiae	Valeriani jun.	I.
- - - - - - . .	Claudii Gothici	ς.
Side Pamphyliae . .	Gallieni	Є.
- - - - - - . .	Gallieni, et Saloninae	I.
- - - - - - . .	Saloninae	H. IA.
- - - - - - . .	Salonini	Є.
Syedra Ciliciae . .	Valeriani, Gallieni, Saloninae .	IA.

His peractis jam etiam in sensum harum literarum coepit inquirere Belleyus. Refutatis facile iis, qui annos imperii illis indicari credidere, levibusque conjecturis aliis, quas commemorare piget, ipse existimat, his numeris explicari numerum festorum, et sacrificiorum, quibus eae urbes principes suos demereri studebant. Tamen ad istud probandum vix aliquid certi, justique subsidii reperit vir eruditus, quod tanto securius possum profiteri, quod ne ipse quidem hac sua conjectura sibi satisfecit. Equidem in eorum indagando sensu nolo sagacitatem intendere, saepe professus alias, quoties notae similes moram objecere, nolle me ad eas explicendas adferre conjecturas plerumque frivolas, saepe periculosas.

ARIASSVS.

Mediterranea ad fines Pisidiae, cui a nonnullis, accensetur.

Imperatorii.

Getae tantum. APIACCЄΩN typis obviis. (Vaill. Pellerin, Catal. d'Ennery.) *AE. RRR.*

a) Pellerin. Mel. I. p. 22. b) B. L. T. XLII. hist. p. 55.

Digitized by Google

ASPENDVS.

Vrbs nobilis ad Eurymedontem fl. Argivorum colonia.

Autonomi.

Expresso Aspendi nomine non exstant. Conjiciunt tamen eruditi, argenteos quosdam perantiquae fabricae inscripto ΕΣΤΡΕΔΙΙΤΣ huc referendos, de quibus agam infra in Selges Pisidiae moneta.

Imperatorii

a Soaemiade usque ad Saloninam se porrigunt.

Epigraphe: ΑCΠЄΝΔΙΩΝ.

Typi:

Hercules stans, Soaemiadis. (Vaill.)

Athletae nudi, Treboniani. (Vaill.)

Fuisse hunc typum Aspendi proprium, dicetur in numis ejusdem Selges.

Hecate tergemina facibus et serpentibus armata, Gordiani. (Pell.)

Corona, cui illigata sunt octo capita, Saloninae. (Pellerin.) De hoc typo agam in numis Tarsi.

* * *

Magistratus: ΘЄMIΔOC. TO. Є. in eodem Saloninae numo. Etiam in Clazomenarum Ioniae numo legitur praetor T. Є. id est *quintum*. Exstitisse olim feminae, quibus *Themidis* nomen fuit, exempla suppeditant Gruterus, et Muratorius. Videtur numi hujus *Themis* sacerdotio apud Aspendios functa. Aliud fuit Belleyi judicium, existimantis, inscriptione ΘЄMIΔOC. TO. Є. indicari, Aspendios in Saloninae honorem festum in *Themidis* templo *quinta vice* celebrasse [a]). Arbitretur lector.

* * *

Nota numeralis I. ante caput Saloninae. (Pellerin.)

AE. RR.

ATTALIA.

Maritima, condita ab Attalo Philadelpho. Cum altera fuerit ejusdem nominis Lydiae urbs, magnus inter antiquarios dissensus, utri inscripta Attalae nomine numismata sint tribuenda. Harduinus in Pamphyliam inclinat. Vaillantius in catalogo alphabetico numorum Graecorum (pag. 193.) omnes Pamphyliae tribuit quidem, tamen binos Severi Attaliae Lydiae adjudicat, at rationibus abstinet. (pag. 81.) Nutant Khellius [b]) et Pellerinius [c]). En nonnulla criteria, quae saltem ad tutius locandos nonnullos poterunt sufficere.

Autonomi Attaliae Lydiae.

Caput Fauni hedera coronatum, additur epigraphe, sed vitiata. Ϫ ATTAΛЄΩN. OT. - - - TA. *Botrus.* AE. III. (Pellerin Rec. H. p. 99.)

Frequens mentio magistratus in numis Lydiae, in Pamphyliae moneta vix unquam.

Caput Iovis laureatum. Ϫ ATTAΛЄΩN. *Bacchus stans.* ÆE. III. (Ibid.)

---

a) B. L. T. XLII. hist. p. 59. b) ad Haymii T. II. p. 108. c) Mel. I. p. 95.

Digitized by Google

Si numus cum typo botri est Lydiae, etiam hic cum typo Bacchi ejusdem esse urbis videtur.

AE. RRR.

Autonomi Attaliae Pamphyliae.

ΚΟΡΗ. *Caput, quod spectato capillorum cultu videtur esse Dianae.* Ϫ ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ. *Aquila stans expansis alis.* AE. II. (Haym.)

Ex imperatoriis videbimus, Attaliam Pamphyliae etiam usam inscriptione ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ.

Protome Palladis. Ϫ ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ. *Fortuna stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Palladis typus in certis imperatoriis hujus Attaliae non infrequens; altera ratio ab epigraphe, ut dixi, petitur.

Caput Neptuni cum tridente. Ϫ ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Vir nudus gradiens.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Iovis. Ϫ ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Neptunus stans.* AE. III. (Mus. Caes.)

Ex mente Pellerinii numi cum typo Neptuni pertinent ad Attaliam Pamphyliae, quia fuit maritima. Valere potest hoc argumentum in his tenebris. Ceterum constat ex Strabone, in Phrygiae et Lydiae urbibus magnos fuisse Neptuni honores ob frequentes terrae tremores. Accedit, quod Plinius Attaliam Lydiae seu Aeolidos cum oppido Posidea conjungat, quod utique a Neptuno nomen traxit.

AE. RR.

Imperatorii Attaliae Lydiae.

ΕΠΙ. CΤΡΑ. ΜΕΝΕΚΡΑΤΟΥC. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΝΕΩΚ. *Templum, in quo Serapis*, in numo Caracallae. (Vaill.)

Hic numus etiam judice Pellerinio [a]) huc pertinet, quoniam magistratum Pamphyliae urbes non inscripsere.

ΑΙΛ. ΜΑΤΑΙΟΥ. ΜΕΝΙΠΠΟΥ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Iuppiter nudus stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus aquila*, Hadriani et Sabinae. (Pellerin Mel. I. p. 95.)

Huc videtur referendus ex eadem magistratus ratione.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Iuppiter sedens d. aquilam, s. hastam*, M. Aurelii. (Pellerin.)

Erit hujus urbis ratione typi numi praecedentia.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Caput Serapidis*, Aurelii et Commodi. (Vaill. Arigoni.)

Ratione typi, qui est in numo primo.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Bacchus stans*, in numo Severi. (Vaill.)

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Bacchus et Ariadne in bigis pantherorum praecedente Satyro*, M. Aurelii. (Mus. Caes.)

Causa typi in autonomis.

AE. RR.

Imperatorii Attaliae Pamphyliae.

CΙΔΗΤΩΝ. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Pallas stans dexteram jungit cum Nemesi alata adstante s. ramum tenente, pro cujus pedibus est gryphus pede rotae imposito*, in numo Gallieni, juxta cujus caput est Є. (Pellerin.)

Hic numus copiosam lucem suppeditat, nam propter Sides viciniam dubium non est hanc Pamphyliae Attaliam in praesente numo notari, et cum in concordiae numis praecipua cujusque urbis

a) Mel. I. p. 95. et Mel. II. p. 283.

Digitized by Google

numina soleant proponi, et constet, Nemesin esse Sidetum, videmus, Palladem fuisse princeps hujus urbis numen, atque adeo omnes numos, qui exhibent vel Palladem stantem, ut in numo Commodi, (le Blond.) et Hadriani, (Vaill.) vel ejus protomen, ut in numis Augusti, Tiberii, Commodi, aliisque, huc tuto revocandos.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Pallas, Hygia, Nemesis stantes*, in uno eodemque numo Valeriani. (Vaill.)

Ratio pendet ex praecedente.

ΑΤΤΑΛΕΑΤΩΝ. *Pallas stans*, Commodi. (le Blond.)

Hic numus arguit, etiam autonomos supra citatos cum typis vagis, sed eodem modo inscriptos, ad hanc Attaliam pertinere. Allatus fuit Pellerinio ex Caramania, cujus vetus Pamphylia pars fuit, ergo tanto certius est hujus Attaliae.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Nemesis alata stans d. rotam, pro pedibus gryphus*, Commodi. (Haym. T. II. p. m. 302.)

Haymius putat, esse signum pantheum, sed esse Nemesin, certum est ex iis, quae ad Smyrnae numos disserui. Ratio, cur hic numus huc pertineat, petenda est ex numis I. et II., nimirum Attalenses vicinae Sides Nemesin coluere, quemadmodum et Pallas eodem modo stans, quo in Sides moneta comparet, in Attaliae quoque numis conspicitur.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Diana Pergaea*, Valeriani, ante cujus caput est I. (Mus. Caes.)

Et typus Dianae, quae in vicina Perga colebatur, et litera solitaria I. huic tractui propria hunc numum Attaliae Pamphyliae vindicant.

ΑΤΤΑΛΕΩΝ. *Diana Pergaea stans, cui a dexteris adstat Pallas, a sinistris Nemesis*, Valeriani, ante cujus caput I. (Panel de num. Trebon. p. 103.)

En numina Pergae, Attaliae, Sides, quae in eodem omnes tractu fuere.

* * *

Ludi: ΙΕΡΟC. ΑΤΤΑΛΕΩΝ. ΟΛΤΜΠΙΟC. ΟΙΚΟΤΜΕΝΙΚΟC. *intra coronam*, Salonini. (Mus. Pisani.) *AE. R.*

CASA.

Ex notitiis ecclesiasticis cognita.

Imperatorii.

Gordiani, Etruscillae, Herennii. (Vaill.)

Epigraphe: ΚΑCΑΤΩΝ. *Typi: Iupiter stans, raptus Proserpinae.*

AE. RRR.

ETENNA.

Mediterranea in Pisidiam auctore Polybio [a]), et Notitiis.

Autonomi:

Mulier stans, in alio: gradiens serpentem tenet, humi diota: Ϫ ΕΤ. ΕΤΕΝ. *Aliquid instar cultri incurvi.* AE. fere II. (Pellerin.)

Vtriusque typi ratio obscura.

AE. RRRR.

---

a) Hist. L. V. c. 73.

Digitized by Google

Imperatorii:

ЄΤЄΝΝЄΩΝ. *Iuppiter Salaminius stans*, Faustinae jun. (Catal. d'Ennery p. 534.)

Eod. epigr. Duo viri nudi stantes velut parati ad pugilatum, ut ait Pellerinus, (Rec. III. p. 222.) in numo Getae.

Ead. epigr. Substructio quaedam, quam Pellerinius praegrandem corbem frugibus refertum dicit, inter duas statuas cum incertis attributis basi impositas, in numo Alexandri Sev. (Pellerin. l. c.)

AE. RRR.

ISINDVS.

Hoc nomine proditur urbs Ioniae et Pamphyliae.

Autonomi:

Caput Dianae cum arcu et pharetra. Ɪ ΙΣΙΝ. *Spica.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Dianae, Ɪ ΙΣΙΝ. *Pharetra.* AE. III. (Pellerin.)

Numos hos Pellerinius non ob aliam causam huic Pamphyliae Isindo tribuendas putat, quam quod fabrica et typo pharetrae cum Pergae numis conspirant.

AE. RRRR.

MAGYDVS.

Maritima.

Imperatorii.

Primum hujus classis reperit Vaillantius cum capite Liviae, sed in hoc male lectum ΜΑΓΤ. pro ΜΑΘΤ., recte vidit Pellerinius. (Mel. II. p. 16.) Certi sunt Neronis, (Haym T. II. p. 239.) Trajani, (Vaill.) et Antonini. (Pellerin.)

In omnibus his ΜΑΓΤΔЄΩΝ, et Pallas stans.

Annni imperii in numo Trajani ΙΕ. Antonini ΙΘ.

AE. RRR.

PANEMOTICHOS.

Oppidum Pamphyliae ex Notitiis ecclesiasticis.

Imperatorii.

ΠΑΝЄΜΟΤЄΙΧЄΙΤΩΝ. *Severus eques*, Domnae. (Harduin.) *Amazon eques*, Domnae. (Vaill.)

AE. RRRR.

PERGA.

Vrbs illustris ad Cestrum fl.

Autonomi:

Caput Bacchi hedera coronatum. Ɪ ΠΕΡΓΑΙΕΩΝ. *Caput muliebre diadematum.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Dianae adversum laureatum. Ɪ ΠΕΡ. *Sphinx alata sedens.* AE. III. (Hunter.)

Soli sunt hi autonomi, qui populi nomen inscribunt, cum alii, ut patebit, Dianam suam memorent. Numus alter solum quidem ΠΕΡ. offert, quod varie potest expleri; verum cum in aliis quoque Pergae numis Dianae caput occurrat laureatum, ejusque comes Sphinx,

Digitized by Google

dubitari nequit, eum Pergae nostrae tribuendum.

* * *

Caput Dianae laureatum prominente pone pharetra et arcu. ℞ ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ. ΠΕΡΓΑΙΑΣ. *Diana veste succincta stans d. elata coronam, s. hastam, pro pedibus cervus.* AR. II. (Pellerin.)

Similis adversa. ℞ *Eadem epigraphe. Sphinx alata sedens.* AE. III. (Pellerin.)

Diana velata tutulata sedens in templo distylo, in cujus fronte est aquila explicatis alis. ℞ *Eadem epigraphe. Pharetra.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Diana apud hanc urbem in loco edito illustre habuit templum, ad quod singulis annis sacer conventus agi solitus [a]). Ejus sanctitatem loci collaudat quoque Cicero [b]). Fide Callimachi fuit Perge Dianae carissima, nam πολιων δε inquit τοι ἐναδε Περγη, *ex urbibus autem tibi placuit Perge* [c]). Ejus cultus ad exteras quoque urbes, ut Ephesiae, valuit, ut mox in imperatoriis videbimus.

AR. RRRR. AE. R.

Imperatorii.

Inchoat hos Vaillantius a Trajano, et finit cum Salonina. Sed Augusti unum vulgavit Arigonius, et quod omnino insolens, citantur etiam Aureliani, et Taciti. Eccos:

ΑΤΤ. Κ. Λ. ΔΟΜ. ΑΤΡΗΛΙΑΝΟϹ. *Caput Aureliani.* ℞ ΠΕΡΓΑΙΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Diana Pergaea in templo distylo, hinc sol, inde luna.* (Bandur. in addend. ad Tom. I. ex schedis Vaillantii.)

Alterum Taciti Pergae signatum extare in museo Abbatis Rothelin testatur Baro Bimardus [d]).

Epigraphe: ΠЄΡΓΑΙΩΝ. vel ΠЄΡΓΑΙΑϹ. ΑΡΤЄΜΙΔΟϹ. vel ΑΡΤЄΜΙϹ. ΠЄΡΓΑΙΑ. in solo Trebeniani numo ΠЄΡΓΗ.

Typi: Diana potissimum comparet forma admodum variante, quam tamen esse Pergaeam addita epigraphe: ΠЄΡΓΑΙΑϹ. ΑΡΤЄΜΙΔΟϹ. credere nos jubet. Fingitur ut *lapis praegrandis intra templum additis astris solis et lunae*, in numo Severi, (Mus. Caes.) et Gordiani. (Arigoni.) In aliis: *Protome velata tutulata intra templum distylum*, in numo M. Aurelii. (Mus. Medic.) Nonnunquam *adstat hinc et inde gryphus*, (nisi Sphinges verius sunt.) in numo Caracallae. (Vaill.) Alias *hinc et inde columba*, Maximini, Philippi sen. Otacil. (Vaill. Pellerin.) *Venatricis habitu graditur* in numo Hadriani. (Vaill.) Eodem venatricis cultu comparet in numo Mytilenes addito ΑΡΤЄΜΙϹ. ΠЄΡΓΑΙΑ., ut in hac dictum. *Victoria coronans Dianam succinctam d. sagittam, s. arcum tenentem*, in numo Tranquillinae. (Vaill.)

Diana stans cum adminiculis et cervo, in numo Domnae. (Vaill.)

Esse hanc Dianam Ephesiam, non Pergensem, inde patet, quod non adscribitur ΑΡΤЄΜΙΔΟϹ. ΠЄΡΓΑΙΑϹ., sed ΠЄΡΓΑΙΩΝ.

Huc etiam pertinent sequentes:

COS. III. *Signum Dianae in templo distylo, cujus zophoro inscriptum:*

a) Strabo L. XIV. p. m. 983. b) Verr. L. I. c. 20. c) in Dian. v. 187. d) ad Iobert. T. II. p. 100.

Digitized by Google

DIANA. PERGENSIS. *vel* PERGAEA. in numis Nervae et Trajani AR. m. m. (Vaill. Num. praest.)

ΔΗΜΑΡΧ. ЄΞ. ΤΠΑ. ΤΟ. ς. *Protome velata tutulata intra templum distylum, in cujus zophoro aquila explicatis alis*, in numo Trajani AR. m. m. (Mus. Caes.)

Numum priorem, etsi Latine inscriptum, huc pertinere, Dianae Pergensis mentio satis docet. Alterum hoc vocat typus, cujus similem in aliis certis Pergae numis supra citavimus. Vtriusque generis numos argenteos variae Asiae minoris urbes dissimulato suo nomine inde ab Augusto usque ad Antoninum signavere, quorum mentionem faciemus in numis singulorum Augustorum.

* * *

Asylum: ΠЄΡΓΑΙΑС. ΑΡΤЄΜΙΔΟС. ΑСΤΛΟΤ. in numis Tranquillinae, Philippi sen., Otaciliae. (Vaill. Haym, Pellerin.) ΠЄΡΓΑΙΩΝ. ΑСΤΛΟС. ΙЄΡΟС. *Pergaeorum inviolabilis urbis sacrum certamen. Mensa cum urna, supra quam legitur:* ΠΤΘΙΑ. Verba sunt Vaillantii in Gallieno ex museo M. Ducis.

Ludi: ΙЄΡΟС. et ΠΤΘΙΑ. in numo mox citato. Legitur etiam ΙЄΡΟС. in numo Salonini. (Vaill.)

Neocoratus proditur in numis Saloninae. (Vaill. Pellerin. Suppl. IV. p. 13.) et in citato supra numo Aureliani.

Concordia cum Apollonia Cariae, quam vide. — Cum Side Pamphyliae, quam vide.

Metropolin perperam facit Spanhemius ex numo Hadriani: ΠЄΡΓΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙС [a]). Certum videtur, male lectum ΠЄΡΓΑ pro ΠЄΤΡΑ Arabiae.

AR. RRR. AE. R.

SELEVCIA.

Dubium est, fueritne aliqua Pamphyliae Seleucia, et forte ea, quam Notitiae ecclesiasticae huic tribuunt, eadem est cum Seleucia Pisidiae. Tamen Pellerinius huic tribuit quatuor autonomos, sed qui potius sunt Selges Pisidiae, quorsum eos propterea differre lubet.

SIDE.

Maritima et illustris, Cymaeorum Aeolidis colonia testibus Strabone, Scylace, Arriano.

Autonomi.

Formae antiquissimae:

Caput Palladis intra quadratum. ℞ *Malum Punicum cum vel sine pisce.* AR. II. (Hunter.)

Piscis unus vel duo intra quadratum. ℞ *Malum Punicum.* AR. II. (Hunter.)

Malum Punicum. ℞ *Quadratum incusum.* AR. VI. (Mus. Caes. Hunter.)

Hos antiquissimi operis numos causa mali Punici tribuere Sidetibus non dubitamus, de quo typo his proprio agemus proxime.

* * *

Pallas stans cum hasta et clypeo d. vel noctuam, vel Victoriolam. ℞ *Inscriptio peregrina. Vir nudus stans ante aram d. ramusculum vel pateram, s. arcum, vel ramo frondoso innixus, pro pedibus avis, in plerisque signum incusum*

a) Tom. I. p. 591.

Digitized by Google

bovem referens. AR. I. (Pellerin. Rec. III. tab. 122, Pembrock P. II. tab. 88.)

Hos item perantiqui commatis numos huic urbi propter plures causas adserimus, I. causa mali Punici, de quo mox. II. quia Pellerinio ex Caramania sunt adlati, III. quia horum plerique incusum bovem offerunt, quod signum huic tractui proprium est, ut docent numi Aspendiorum, Malli Ciliciae, aliique ejus tractus. Quod ad epigraphen barbaram attinet, insigne pro hac testimonium habemus apud Arrianum [a]), cum narrat, Sidetas Cyme Aeolidis profectos paullatim oblitos linguae Graecanicae barbaros sonos edidisse, qui sibi unis fuere peculiares, et distincti etiam a sonis vicinorum barbarorum. Et videntur quoque plerique argentei cum epigraphe barbara, qui apud Pelleriniam Rec. III. tab. 122. exhibentur, et quorum similes edidi in catalogo musei Caesarei Tom. I. tab. V., ad hunc tractum pertinere. Depulsa deinde per Alexandri adventum ab his locis barbarie valuit iterum orthographia Graeca. Quare numos hos omnes Alexandri M. aetate esse antiquiores, indubitatum videtur.

Formae recentiores.

Caput Palladis. Ϟ *Victoria gradiens d. coronam praefert, in area malum Punicum, additur in nonnullis magistratus.* ΔΕΙΝΟ. ΚΛΕΤΧ. El. I. (Mus. M. Ducis.) AR. I. (Mus. Caes. Pellerin. Hunter.)

Alii similes, sed in ipso Palladis vultu signum incusum referens arcum et pharetram, scripto juxta literis minutissimis vel ΠΕΡΓΑ. *vel* ΣΑΡ. *vel* ΤΡΑ. AR. I. (Mus. Caes. Hunter.)

Alii similes, sed cum signo incuso ancorae. AR. I. (Hunter.)

Caput Palladis. Ϟ ΣΙΔΗΤΩΝ. *Victoria gradiens d. coronam praefert, in area malum Punicum.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ϟ ΣΙΔΗ. (*aut etiam hoc omisso*) *Malum Punicum.* AE. III. (Pellerin.)

ΣΙΔΗΤΩΝ. *Caput Palladis, cui incusum signum malum Punicum.* Ϟ ΣΙΔΗΤΩΝ. *Victoria gradiens, cui incusum caput Palladis, in area malum Punicum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Quos tribus prioribus locis proposui, spectabiles sunt tum propter metallum, tum pondus. Electreum olim ex Magni Ducis museo spectandum dedi [b]). Esse hos numos certam Sidetum monetam, collati numi sequentes aenei invicte docent. Et vero omissam urbis epigraphen abunde supplet adstitutum malum Punicum, quia Σιδη Graecis hunc fructum significat, ac videmus etiam, in aeneis cetera similibus propter eandem causam urbis nomen jam inscriptum, jam omissum.

Pallas et Victoria perpetuus fere sunt hujus urbis typus. Vterque conjunctus plane persuadet, eo proponi Minervam Victoriam, de qua affatim egi in moneta Atheniensium, atque istud tanto magis, quod Minerva hoc nomine teste Suida [c]) dextera malum Punicum gestavit, quod ipsum fuit Sidetum symbolum ex nominis etymo captum. Iam supra in numis antiquioris formae vi-

a) L. I. c. 27. b) Num. vet. p. 224. c) in Νικη Αθηνα.

Digitized by Google

dimus Palladem d. Victoriam praeferentem.

Numi loci II. propter signum incusum pharetrae et arcus, tum et adstituta nomina *Pergami*, *Sardium*, *Trallium* cumprimis observandi. Eorum primum vulgavi in mea Sylloge I. [a]) quo loco conjeci, quia numi similes tantum urbium provinciae Asiae nomina continent, in quibus unis cistophoros signatos constat, praeterea in certis cistophoris arcus et pharetra obvius sint typus, praeclara haec Sidetum tetradrachma ab Asianis in monetae suae societatem fuisse admissa, sed de quo argumento copiosius agemus in diatriba de numis cistophoris. Eodem modo causa incusae ancorae numi loci III. a Syriae urbibus fuisse civitate donati videntur, in cujus numis ex causa cognita saepe defixa comparet ancora.

* * *

Castigandi denique variorum lapsus, quos in vulgatis Sides numis observavi.

Begerus nondum satis explorato mali Punici symbolo numum supra citatum propter inscriptum ΔEINO. Dinocrati Siculo tribuerat [b]), quem secutus quoque est Frölichius [c]). At nunc constat, eo contineri nomen magistratus, et numum esse Sidetum.

Similem, in quo item urbis nomen omissum, Harduinus Alexandro M. tribuit, quia nimirum in galeato anticae capite ejus regis effigiem vidit, magnumque sibi detecto hoc numo plausit, quod commentitiae suae Alexandri M. chronologiae ingens momentum adferre videbatur [d]).

Laudatum supra electreum musei Medicei Gorius Seleuco I. Syriae regi nescio qua persuasus ratione, adjudicavit [e]).

Pellerinius numum, in quo *Aquila, supra quam* ΣI. *infra* ΔH. ☧ *Tripus intra coronam*, AE. III. ad hanc Sidem promovit. At cum viderem, typum a reliquis hujus urbis numis nimio abludere, ac praeterea inter numos Siphni a Pellerinio editos numum loco VII. stantem huic esse simillimum, conjeci continuo, hunc quoque Siphno tribuendum. Literae ergo ΣI. ΔH. connectendae non sunt, ut visum Pellerinio, sed ΣI. Siphnum notat, et ΔH. forte magistratus initium est, ut saepius in hujus insulae numis decurtata ejusmodi vocabula occurrunt.

El. RRRR. AR. RR. AE. R.

Imperatorii.

Memorantur a Tiberio usque ad Saloninam.

Epigraphe item ΣIΔH. ΣIΔHTΩN.

Typi: Malum Punicum suum in his quoque saepius retinuere, et quidem sub ipsam Gallieni aetatem, ut docent numi Arigonii, et musei Caesarei. Duravit etiam cultus Palladis. Serius videtur *Nemesis* quoque admissa, nam in numo concordiae cum Attalia Pamphyliae hujus Palladi adversa stat haec Sidetum Nemesis; novimus autem, in concordiae numis numina, quae quaevis urbs habuit praecipua, proponi. Fingitur autem *alata stans dextera pectori admota, s. ramum tenens pro pedibus hinc gryphus, inde rota*, in numo Ale-

a) Pag 41. b) Th. Br. T. I. p. 297. c) Not. elem. p. 147. d) ad Plin. T. II. p. 674. e) Mus. Florent.

Digitized by Google

xandri, (Vaill.) et Gallieni, (Pellerin.) quos Nemesis typos jam abunde explicavi in imperatoriis Smyrnae. *Pallas sedens calculum in subjectum vas mittit*, in numo Decii, (Vaill.) et Gallieni. (Mus. Caes.) Etiam *deus Mensis* in numo Gordiani. (Mus. Caes.)

Honorum tituli:

CIΔHTΩN. ΛAMΠPOTATHC. ЄNΔOΞOT. NЄΩKOPΩN. *intra lauream*, Gallieni. (Vaill.)

De his titulis, quorum prior Siden dicit *splendidissimam*, alter *illustrem*, et quos utriusque linguae auctores passim urbibus dedere, vide Spanhemium [a]).

Neocoratus.

CIΔH. NЄΩKOPOC. in numo Elagabali primum, (Vaill.) omittitur deinde neocoratus mentio usque ad Valerianum, in cujus aevi numis frequenter CIΔHTΩN. NЄΩKOPΩN.

Ludi:

OΛTMΠIA. OIKOTMЄN, Elagabali. (Vaill.)

OIKOTMЄNIKOC. *Apollo stans d. laurum, s. lyram*, Tranquillinae. (Theupoli.)

IЄPOC. *Vrna*, Philippi sen. (Vaill.)

IЄPOC. ΠTΘIOC. MTCTIKOC. OIKOTMЄNIKOC. CIΔHC. NЄΩKOPOT. *Valeriani.* (Vaill.)

ΠPΩTA. ΠAMΦTΛΩN. CIΔHTΩN. *Vrna*, Gallieni. (Vaill.)

Concordia.

Cum Myra Lyciae, *Pallas Sidetum, et idolum conoidicum Myrensium adversa stantia medio malo Punico*, Valeriani. (Arigoni.)

Cum Attalia Pamphyliae, *Pallas Attaliae, et Nemesis Sides adversae stantes*, Gallieni. (Pellerin.) De hoc numo in Attaliae moneta fusius egi.

Cum Perga Pamphyliae, *Pallas Sidetum, et Diana Pergaea*, Gordiani. (Harduin.)

* * *

Litera solitaria I. more ejus tractus observatur in numis Gallieni, (Theupoli.) etiam Є incusum in ejusdem Gallieni numo, (Pellerin.) et Salonini. (Mus. Caes.)

AE. vix R.

SILLYVM.

Ptolemaei Σιλλιον. Alios scribendi modos vide apud Eustathium [b]).

Imperatorii.

Hactenus editi ab Antonino usque ad Saloninam, sed anteriorem alium sive Augusti, sive Caii Caes. edidi in mea Sylloge I. [c]).

Epigraphe: ΣIΛΛTЄΩN, at in Pellerinianis M. Aurelii CIΛTЄΩN.

Typi: *Mensis*, vel in aliis: *Mulier rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens.* In citato numo Augusti: *Vir togatus stans cum lyra, pro pedibus* B.

Stephano Σιλλυος urbs Ioniae prope Smyrnam dicitur. Quare fuere, qui hos numos huic prae altera Pamphyliae tribuerent, quorsum etiam invitaret dictus numi Augustei typus, nam in Colophonis numis fingitur Homerus eodem

a) Tom. II. p. 610. b) ad Dionys. Per. v. 815. c) pag. 43.

Digitized by Google

omnino cultu incedens. Verum deum Mensem, et hoc cultu genium fluvii, tum et literas solitarias in Ioniae urbium moneta vix reperias, at frequenter in numis hujus tractus, nisi forte malis alios numos tribuere Sillyo Ioniae, alios Pamphyliae.

Litera solitaria I. ante caput Saloninae. (Mus. Caes. Pisani, Arigoni.)

Nomen ab Imperatore: CIΛΛTЄ-ΩN. CЄB. in numo Saloninae. (Mus. Pisani)

AE. RR.

PISIDIA.

Hujus regionis urbes non raro numis suis inscripsisse notas arithmeticas solitarias, diximus in Prolegomenis ad numos praecedentis Pamphyliae.

ADADA.

Oppidum ignobile. Fuisse illud numismaticum, comperio ex indicio perfunctorio Belleyi, cum ait, exstare ejus numum cum capite *Valeriani* additis *literis solitariis* IB. Epigraphen, et typum reticet [a]).

ANTIOCHIA.

Non exstant hujus urbis nisi *Coloniae* numi. Deducta haud dubie fuit ab Augusto, ut fidem facit epitheton *Caesareae*, et quod jam Strabo eam in coloniis numerat. Catalogum numorum omnium hujus coloniae, qui hactenus cogniti sunt, paravit abbas Sestinius [b]), eumque ampliatum restituit serius [c]).

Autonomus:

ANTIOCH. *Protome dei Mensis.* ℞ COL. ANT. *Bubalus.* AE. III. (Hunter tab. V. n. 15.)

Cl. Combius numum hunc Col. Antiochiae Syriae tribuit, sed satis docet typus Mensis, ut mox videbimus, eum huc pertinere.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Citantur a Tiberio (Frölich Appendiculae II. novae.) usque ad Claudium Goth.

Epigraphe: COL. CAE. ANTI. S. R. in numo citato Tiberii. COL. ANT. in numo Titi. (Vaill.) COLONIAE. ANTIOCHEAE. M. Aurelii. (Vaill.) COLONIAE. ANTIOCEAE. M. Aurelii. (Mus. Caes.) ANTIOCHIA. tantum, addito S. R. Gordiani. (Mus. Caes.) In reliquis: COL. CAES. AN-

a) B. L. T. XLII. hist. p. 55. b) Lettere. T. I. p. 58. c) Ibid. T. IV. p. 135.

Digitized by Google

TIOCHIA, etiam CL. pro COL. Item geminata urbis epigraphe: ANTIOCHIA. COLONIA. CAESARIA. scriptum in orbem, per medium autem nùmi: ANTIOCH. COLONIA., et in centro literis majoribus S. R. in numis Gordiani. (Pellerin Mel. I. p. 310.) Devexo imperio epigraphe, praecipue quae imperatorum nomina eloquitur, barbara plane est, adeo ut vocabula sana exsculpi non possint, cujus exempla vide apud Pellerinium [a]), et in museo Caesareo.

S. R. jam in laudato numo Tiberii, sed inde a Severo plerumque inscribitur, quod etiam observatur in numis vicini Iconii Lycaoniae. In binis Gordiani et Gallieni hae literae majore forma exaratae totum aversae typum faciunt. (Arigoni.) Harduinus eas legit *Spes Reipublicae*, at Vaillantius aliique *Senatus Romanus*. Vide, quae de his siglis dicemus in diatriba de coloniis.

Typi.

MENSIS. *Deus Mensis stans cum pileo Phrygio, et luna post tergum, d. hastam, s. Victoriolam, pro pedibus gallus*, Antonini, et Severi. (Vaill. Patin.)

Explicationem juvat Strabo, referens [b]), esse apud hanc Antiochiam sacerdotium Μηνος Αρχαιου multitudinem sacrificulorum habens, et sacrorum locorum. His numis usus est Cl. Blondius, cum praeclare et erudite disputat, similem figuram in hujus tractus numis obviam dicendam esse *Mensem*, non, quod hactenus factum, *Lunum*. In numo Titi supra colonum arantem est lunula, quae ejusdem Mensis indicium facit. Hic Mensis in numis Graecis aliarum urbium dicitur MHN. Vide laudatam dissertationem Blondii, (B. L. T. XLII. Mem. p. 381.) et quae is alibi de eodem argumento disserit. (Pierr. grav. du Duc. d'Orl. T. I. p. 81.)

GEN. COL. ANTIOCH. in numis Severi, aut cum solo G. in numo Caracallae. (Arigoni.) *Mulier tutulata stans d. gubernaculum, vel pateram, s. cornucopiae. Haec* in numo Gordiani *dexteram jungit cum Mense adstante ara intermedia.* (Vaill.)

VIRT. AVGG. *Imperator eques barbarum hasta prosternit*, Caracallae, (Theup.) Getae. (Vaill.)

VICT. DD. NN. *Victoria gradiens cum tropaeo*, Caracallae, (Theup.) Getae. (Vaill,)

CONCORD. AVGVSTOR. *Caracalla et Geta stantes dexteras jungunt*, Caracallae. (d'Ennery.)

VICTORIA. DOMINI. *simili typo*, Gordiani. (Pellerin.)

In aliis: *Colonus arans, lupa cum gemellis, Iuppiter stans, aquila, Cybele sedens etc.*

Tria signa militaria, vel duo juxta colonum arantem, inter duo signa est V, quo forte indicatur, nisi iconismus fallit, veteranos legionis V. huc fuisse deductos, in numo Gordiani. (Arigoni.)

AE. C.

COMANA.

Sintne his Pisidiae Comanis tribuen-

a) Mel. I. p. 325. b) L. XII. p. m. 864.

Digitized by Google

di numi, vide, quae ad Comana Ponti disserui.

CREMNA.

Colonia teste Strabone, et hoc tantum nomine exstant numi Getae, Elagabali, Etruscillae, Treboniani apud Pellerinium, Vaillantium, Arigonium, in museo Caes.

Epigraphe: COL. IVL. AVG. FE. CREMNA.

Typi: Cupido arcum intendens. — Tria signa militaria. — Aquila expansis alis, supra quam caput Decii radiatum inter capita nuda Herennii et Hostiliani, — Diana super rupe arcum tendit.

Mentio situs: PROP. COL. CR. in numo Getae apud Pellerinium, quae is verba sic acute explicat: PRO*vinciae* P*isidiae* COL*onia* CR*emna*, idque numis Viminacii illustrat.

AE. RR.

LYRBE.

Memoratur a Dionysio Perieg. v. 859. et in Notitiis.

Imperatorii.

Tantum citantur ab Alexandro usque ad Valerianum jun.

Epigraphe ΛΥΡΒΕΙΤΩΝ. typis obviis.

Literae solitariae IA. ante caput Valeriani jun. (Vaill.)

AE. RR.

OLBASA.

Hoc aut adfini nomine produntur urbes Ciliciae, Pisidiae, Lycaoniae.

Autonomum aeneum inscriptum ΟΛ-ΒΑCΑ. ΒΟΤ - - - ad hanc Pisidiae Olbasam revocavit Pellerinius [a]), sed quem potius Corcyrae tribuendum, in hujus insulae moneta dixi.

* * *

Coloniae nomine binos numos edidit Vaillantius, unum Maesae: COL. IVL. AVG. OLBABEN. *Mensis eques*, alterum Gordiani: COL. OLBA. - - - *Bacchus stans.* Vtrumque revocavit ad Olbam Pamphyliae, sed Belleyus hanc Olbasam praefert [b]), et simul de vera ejus lectione leviter dubitat.

OROANDA.

Autonomum edidit Pellerinius: *Caput Apollinis laureatum.* Ϫ ΟΡΑΝ-ΔΕΩΝ. *Aquila* (*nisi corvus est*) *omnia intra coronam.* AE. III. Sed fatetur ipse, epigraphen non satis esse integram, ut adeo tuto nihil de urbis huius moneta adfirmari possit.

PEDNELISSVS.

A quibusdam Pamphyliae inscribitur.

Imperatorius: Ι. Ι. ΟΤΗ. ΜΑΞΙ-ΜΟC. *Caput laur.* Ϫ ΠΕΔΝΗΛΙC-CΕΩΝ. *Mulier sedens d. pateram, s. hastam.* (Pellerin.)

AE. RRRR.

---

a) Suppl. T. III. p. 111. b) B. L. T. XXI. p. 436.

Digitized by Google

PROSTANNA.

Ptolemaeo et Notitiis Prostama, at in numis Prostanna.

Imperatorii exstant tantum, omnes cum capite Claudii Gothici.

Epigraphe: ΠΡΟCΤΑΝΝЄΩΝ, ut in binis suis legit Pellerinius, (Rec. III. p. 254.) sed Panelius in museo le Bret ΠΡΟCΤΑΜΙЄΩΝ, fors vitiata in numo suo epigraphe. Typus: *Mars omnia sua arma utraque manu tenens.*

Mentio situs: ΟΤΑΡΟC. *Mons arboribus consitus*, in Pelleriniano. Viari montis historici quidem non meminere, verisimile tamen, nomine Viari notari montem in numo hoc propositum, cui urbs adsita fuerit.

AE. RRR.

SAGALASSVS.

Inter illustriores Pisidiae urbes.

Autonomi:

CAΓ. CAΓA. *intra coronam*, vel *typo botri et spicarum*, vel *duorum hircorum luctantium.* AE. II. III. (Pellerin.)

Caput Iovis. Ɪ ΣΑΓΑΛΑΣΣΕΩΝ. *Victoria gradiens.* AR. II. (Sestini Lettere P. II. p. 197.)

Posterior hic causa metalli insignis est.

AR. AE. RRR.

Imperatorii:

Ducuntur a Nerva usque ad Claudium Gothicum, sub quo complures, et varii signati.

Epigraphe: CAΓAΛΑCCЄΩΝ.

ΔΗΜΟC. CAΓAΛΑCCЄΩΝ. *Populus Sagalassensium dexteram cum imperatore jungens*, in numo Claudii Goth. (Mus. Pisani.)

ΑΛЄΖΑΝΔΡΟC. CAΓAΛΑCCЄΩΝ. *Alexander M. stans, illinc imperator eques hastam in hostem vibrat*, in numo Claudii Goth. AE. m. m. (Sestini Lett. T. IV. p. 129).

Typi reliqui: *Dioscuri stantes*, aut *Mensis*, aut *leo gradiens hastam rictu stringens.*

Concordia:

ΛΑΚЄΔΑΙΜΩΝ. CAΓAΛΑCCΟC. *Vir paludatus et galeatus coronatur a muliere s. cornucopiae gerente*, M. Aurelii. (Morelli Spec. p. 130. Vaillant p. 53.)

ΛΑΚЄΔΑΙΜΩΝ. CAΓAΛΑCCЄΩΝ. *Similis typus*, Diadumeniani. (Haym. T. II. p. m. 343.)

ΛΑΚЄΔΑΙΜ. CAΓAΛΑCCЄΩΝ. *Vir paludatus stans d. pateram coronatur ab adstante Victoria*, Diadumeniani. (Pellerin. Rec. III. p. 219.)

Censet Vaillantius, Lacedaemonem cum Sagalasso iniisse concordiam. Alia est Pellerinii mens [a]), nimirum aut Sagalassenses, quod forte Lacedaemone oriundi fuere, quod de vicina Selge certo constat, sese, ut originem suam indicarent, dixisse Lacedaemonios, perinde ac Selgenses, ut mox in his videbimus, sese quoque dixere Lacedaemonios, Perinthii Iones, Hyrcani Macedonas etc., aut Sagalassum constitisse partim Lacedaemoniis huc profectis,

a) l. c.

Digitized by Google

partim Pisidis, ac tum hoc numo stabilitam inter semet concordiam voluisse indicare. Haec Pellerinius, cujus ego sententiae subscriberem, si constanter legeretur ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. CAΓΑΛΑCCΕΩΝ, verum in numo Vaillantii est ΛΑΚΕΔΑΙΜΩΝ. CAΓΑΛΑCCOC., quae sunt urbium ipsa nomina, non populi, atque etsi Sagalassenses se dicere potuerint Lacedaemonios, tamen Sagalassus dici non potuit Lacedaemon. Recte igitur arguit Vaillantius, perinde hac epigraphe notari concordiam Lacedaemonem inter et Sagalassum, atque alibi epigraphe AMICOC. AMACTPIC. vel ΕΦΕCOC. ΚΤΖΙΚΟC. etc.: Ea difficultas perpetuo vellicabit Pellerinii sententiam, nisi quis evincat, Vaillantium in legenda epigraphe lapsum, quod alibi suspicatur Pellerinius [a]), sed frustra, nam idem numus exstat etiam apud adcuratissimum Morellium [b]). Ceterum nullam video rationem, cur intelligi nequeat concordia cum Lacedaemoniis inita, et recurrendum sit ad Lacedaemoniorum cum indigenis Pisidis commixtionem, quod quidem etiam ad sequentes Selges numos: CΕΛΓΕΩΝ. ΛΑΚΕΔΑΙΜΟΝΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. valeat, de quibus eodem modo disserit Pellerinius, praecipue cum Selgen a Lacedaemoniis revera conditam constet. Esto, has urbes habitatas partim ab adventitiis Lacedaemoniis, aut etiam ab his conditas, an propterea renovare foedus cum metropoli sua non potuere? quin haec ipsa sanguinis conjunctio dignam suffecit causam inter utrumque populum foederis, et istud in aere publico testandi. Sic et Spartani foedus pepigere et amicitiam cum Iudaeis eo moti, quod hi eorum fratres essent, et ex eodem Abrahamo orti, ut docet epistola Arei regis ad Oniam summum sacerdotem, et hujus responsum [c]). Quare quod Lacedaemonii constituerunt cum Iudaeis, quia consanguinei, poterant et statuere cum Selgensibus, et Sagalassensibus, quia consanguinei. In numo Selgensium insuper additur ΟΜΟΝΟΙΑ, quod vocabulum cum semper concordiam cum altero populo juxta posito notet, nescio, cur non etiam in hoc numo concordiam Lacedaemonem inter et Selgen notare debeat. Sane omnes ii populi, quos eodem loco citat [d]), nempe qui tractam ab altero populo originem indicant, vocabulum ΟΜΟΝΟΙΑ omittunt, contenti memorasse v. g. ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. ΙΩΝΩΝ.

ΡΩΜΑΙΩΝ. CAΓΑΛΑCCΑΙΩΝ. (sic) ΠΡΩΤΗC. ΠΙCΙΔΩΝ. ΚΑΙ. ΦΙΛΗC. CΤΝΜΑΧΟΥ. *in centro numi magnum* I., *infra duae dexterae junctae*, in numo Valeriani. (Pellerin. Rec. III. p. V. in praef.)

Epigraphen sic interpretatur Pellerinius, ut vel *το* ΡΩΜΑΙΩΝ connectendum sit cum CΤΝΜΑΧΟΥ, ut in inscriptione Mopsuestiae apud Gruterum legitur ΚΑΙ. ΦΙΛΗC. ΚΑΙ. CΤΜΜΑΧΟΥ. ΡΩΜΑΙΩΝ., quod tamen spectato ejus vocabuli in numo situ nimis violentum est adserere, vel dicatur, Sagalassenses se adulationis causa dixisse *Romanos*, ut Alexandria se in numis M. Antonii di-

a) Mel. II. p. 305. b) Spec. p. 130. c) II. Macch. c. 12. Ioseph. Ant. Iud. L. XII. p. 606. et L. XIII. p. 648. d) Rec. III. p. 221.

Digitized by Google

xit *Romam*, vel denique Sagalassi incolas constitisse partim Romanis adventitiis, partim indigenis Pisidis, ut adeo tum utrorumque inscriptione, tum typo junctarum dexterarum utriusque populi concordia indicaretur. Patet ergo, neque isthac epigraphe Pellerinio videri concordiam indicari, sed in alia omnia, ut in praecedentibus, abire. Verum etsi absit vocabulum OMONOIA, satis hoc suppletur typo junctarum dexterarum, ac notandum praeterea, quoniam Sagalassenses, ut numi epigraphe docet, Romanorum se *amicos*, *sociosque* profitentur, atque adeo cum iis foedere, etsi non aequo, conjunctos, de quo vide quae docebo in tractatu de urbibus amicis, et foederatis, potuisse eos jure suo, etsi scenico tantum et precario, concordiam cum Romanis rerum dominis testari. Neque vero solus hic est numus, qui ὁμονοιας cum Romanis profiteatur. Vidimus supra in numis Thessalorum unum, in cujus antica legitur: OMONOIA. in Χ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΡΩΜ., nisi etiam de Thessalis dicatur, eos aut dictos per adulationem Romanos, aut Thessaliam quoque fuisse refertam adventitiis Romanis, quorum adeo concordiam significaret hic numus.

Primatus notatur inscripto ΠΡΩΤΗC. ΠΙCΙΔΩΝ. in numo praecedente.

Mentio situs in eodem numo: ΠΙCΙΔΩΝ. item a flumine *Cestro:* CΑΓΑΛΑCCΕΩΝ. ΚΕCΤΡΟC. *Fluvius decumbens*, in numo Claudii Goth. (Maffei Ant. Gall. p. 117. Pellerin. Rec. III. p. XX.) Cestrus a Pisidia Pamphyliam ingressus, et Pergam alluens a plerisque geographis memoratur. Vide Cellarium. Quare miror Taninium, το ΚΕCΤΡΟC hujus numi in ΚΑΤCΤΡΟC corrigentem, quia, ut ait in subjecta nota, *geographi omnes Caystrum Pamphyliae tribuunt.* (Suppl. ad Band. p. 128.)

Litera solitaria I. ante caput Valeriani in Pelleriniano, (Rec. III. p. V.) et ς in alio Claudii Goth. apud eundem, (Rec. III. p. XX.) quae est nota senarii.

AE. RRR.

SANDALIVM.

Autonomum. Pellerinius huc censet vocandum:

Caput Palladis. Χ ΣΑΜΔΑΛΙ. *Quatuor lunulae.* AE. III.

Similem numum ab aliis citari non video, quo magis de vera lectione, et utrum huc pertineat, certi esse possimus.

AE. RRRR.

SELEVCIA.

Imperatorii a variis vulgati sunt sequentes:

ΚΛΑΤΔΙΟCΕΛΕΤΚΕΩΝ. *Mensis eques*, Gordiani. (Vaill.)

Alius, sed *Fortuna stans*, Gallieni, AE. I. (Banduri.)

Alius, sed *Mensis stans et pede navis proram calcans*, (verius caput bovinum.) Claudii Goth. (Vaill. ex museo Christinae.)

Lectionis fidem in citatis Vaillantii numis in dubium olim vocavit Pellerinius [a]). Ipse ego cum viderem, hos numos ab antiquariis passim Seleuciae

a) Mel. II. p. 304.

Digitized by Google

Ciliciae vel Isauriae tribui, coepi suspicari, an non a Vaillantio prono ex literarum adfinitate errore lectum sit ΚΛΑΤΔΙΟ. pro ΚΑΛΤΚΑ., quo pacto citra dubium esset Seleuciae Ciliciae, quae fluvium suum Calycadnum, cui imposita fuit, nunquam praetermisit [a]). Verum, ut re adcuratius expensa perspicio, de lectionis fide dubitari jam non potest, nam non modo navus Bandurius numum ipse in museo regio vidit, verum alter quoque reginae Christinae citatur in catalogo Francisci Cameli, et ab Havercampo in catalogo suo musei hujus reginae.

Antiquarii priores numi epigraphen separant, leguntque ΚΛΑΤΔΙΟ. CЄ-ΛЄΤΚЄΩΝ, et concordiam adeo Claudiopolin inter et Seleuciam notari existimant, et quidem Vaillantius inter Claudiopolin Isauriae, et Seleuciam ad Calycadnum Ciliciae, Bandurius et Havercampus inter Claudiopolin et Seleuciam, utramque Isauriae urbem, quas illustriores fuisse hujus regionis urbes cum laude commemorat Ammianus [b]). Sed notandum, hanc Seleuciam, quam alii Ciliciae, alii Isauriae adscribunt, reipsa fuisse unam eandemque, ut infra ad Seleuciam Ciliciae dicetur. At Pellerinius hanc eruditorum sententiam jure impugnat, Seleuciamque dictam fuisse *Claudiam* perinde statuit, atque vicinum Iconium, quod in numis scribitur ΚΛΑΤ-ΔЄΙΚΟΝΙЄΩΝ, aut Tiberiadem Palaestinae ΚΛΑΤΔΙΟΤΙΒΕΡΙЄΩΝ [c]). Addo, exstare in his numis unius tantum urbis, non duarum typum, quod fere praeter morem in numis concordiae, deinde, Claudiopolis teste eodem Ammiano jam inde a Claudio colonia fuit, coloniae vero cum urbibus aliis, saltem quod ex numis constet, concordiam non inivere.

Certum igitur videatur, unicam hac epigraphe notari urbem, nimirum Seleuciam, quae *Claudiae* quoque cognomen tulerat. Indagandum jam, ad quam ex pluribus urbibus hoc nomine insignitis hi numi pertineant. Pellerinius Seleuciam Ciliciae ad Calycadnum praefert, cujus ego sententiae nequeo subscribere. Nam primum haec Seleucia in nullo certo suo numo se scribit *Claudiam*, deinde ea nunquam mentionem situs ad Calycadnum omittit, neque unquam Mensem numis suis intulit, cujus alioqui effigies in numis Cilicum raro comparet. Vix igitur potest dubitari, numos sic inscriptos pertinere ad Seleuciam Pisidiae memoratam Ptolemaeo et Notitiis, in quibus *ferrea* dicitur. Mensis eximius in Pisidia cultus fuit, ut docent numi Antiochiae et Sagalassi, et ipse Strabo. Invitat etiam in hanc urbem numus Claudii Gothici, nam in dedicandis huic numis diligentissimae fuere Pisidiae urbes, ut ex ejusdem Antiochiae et Sagalassi numis videmus.

AE. RRR.

SELGE.

Vrbs illustris, Lacedaemoniorum opus. Vnde Avienus [d]):

Et Lacedaemoniae surgunt fastigia Selges.

a) Num. vet. p. 237. b) L. XIV. c) Mel. II. p. 304. d) Descr. orb. v. 1025.

Digitized by Google

Quam utriusque gentis cognationem praedicat quoque Polybius [a]).

Autonomi:

Duo luctatores nudi. Ϟ ΣΕΛΓΕΩΝ. *Vir stans elatis alte manibus duplicatum funem intendit, in area triquetra, et alia minuta sigilla.* AR. I. (Pellerin. Theupoli.)

Duo luctatores nudi, intra quorum pedes ΠΙ. Ϟ ΣΕΛΓΕΩΝ. *Hercules nudus stans d. clavam intentat, s. exuvias leonis praetendit.* AR. I. (Hunter.)

Iungendi cum his numis sequentes:

Duo luctatores nudi: Ϟ ΕΣΤΓΕΔΙΙΤΣ. *Vir stans elatis alte manibus duplicatum funem intendit, in area triquetra.* AR. I. (Pellerin. Mus. Caes.)

Alius, sed infra luctatores ΕΛΤΨΑΜΕΝΕΤΤΣ. AR. I. (Pellerin.)

Mars galeatus, cetera nudus, irruens cum clypeo et pugione. Ϟ ΕΣΤ. *Triquetra.* AR. II. (Pellerin.)

Vide complures similes alios, omnes argenteos, apud Hunterum Tab. VII., eosque inscriptos ΕΣ. ΕΣΤ. ΕΣΤΓ.

Numos duos priores causa inscriptionis hujus esse Selges, indubitatum. Aversae typus in numo primo aliquod videtur palaestrae exercitium indicare; sin minus, fateor, me ejus explicationem cum reliquis omnibus ignorare. Plus difficultatis offerunt numi, quos conjunxi. Hactenus eruditi triquetrae monitu in iis perpetuo habitantis Siciliam respexere, cumque in barbaro vocabulo ΕΣΤΓΕΔΙΙΤΣ tantillam viderent cum Egesta adfinitatem, eos Siculae huic urbi tribuendos conjecere. Sententia haec tanto magis certa est visa, quod in simili Goltzius scriptum ΕΓΕΣΓΑΙΩΝ. palam adfirmaverat [b]), vetere nimirum suo jure usus, quo, ut saepe alias vidimus, numorum inscriptiones, ut libido dictaverat, aut refinxit, aut supplevit. At vero auctor musei Theupoli ob omnimodam cum Selgensium moneta concordiam eos horum numis addidit, neque istud sine certa ratione, quia triquetra, ut ex Olbae Ciliciae numis videbimus, etiam in hoc tractu valuerit. Contra Pellerinius conjecit, inscriptos sic numos tribuendos Aspendo Pamphyliae [c]). Rationes profert I. testimonium Pollucis [d]): Ασπενδιοι τῳ νομισματι ἐνεχαραττον παλαιστας, *Aspendii in moneta luctatores signaverunt.* II. Contingere facile potuisse Aspendiis Argis profectis, quod diserte de Sidetibus Cymes colonis narrat Arrianus [e]), eos Graecanicae linguae oblitos sensim in barbariem prolapsos, quod supra ex ipsis etiam Sidetum numis stabilivimus. Accidere ergo etiam potuisse Aspendiis ex frequente cum ejus tractus barbaris commercio, ut dediscerent patriam linguam, aliamque barbaram novae formae cuderent. Haec Pellerinius. Addo, quae huc pertinentia reperi apud Euripidem de Asia maritima sic loquentem (in Bacchis v. 15.):

Ασιαν τε πασαν, ἡ παρ' ἁλμυραν ἁλα
Κειται, μιγασιν Ελλησι, βαρβαροις θ' ὁμου,
Πληρεις ἐχουσα καλλιπυργωτους πολεις.
Asiamque omnem, quae ad salsum mare

a) Hist. L. V. 76. b) Sicil. tab. XII. c) Rec. II. p. 147. d) L. IX. §. 84. e) L. I. c. 27.

Digitized by Google

Iacet, mixtis Graecis et barbaris simul,
Populosas habens bene turritas urbes.

Neque adeo mirum, si Graecis contigit, quod de Atheniensibus perhibet Athenaeus [a]): Μακεδονιζοντας τ' οιδα πολλους των Αττικων δια την επιμιξιαν. *Multos Atticorum video propter permixtionem macedonissare.* Vide, quae de Graecis, quos vicinia Oscorum corrupit, in numis Cumarum Campaniae dixi. Pellerinii conjecturam Khellius additis aliis rationibus, quas alibi proposui [b]), stabilire est conatus. Argumentum pro Aspendo non leve videtur suppeditare numus sequens:

Eques citato cursu d. jaculum vibrat. ℞ ΕΣΤΓΕΔΙΙΤΣ. *Aper, in area signum incusum bovem referens.* AR. II. (A me editus ex museo Caes. num. vet. p. 219.)

Bos simillimus incusus in certis Sidetum Pamphyliae et Malli Ciliciae numis comparet, ex quo istud saltem colligimus, numos sic inscriptos haud dubie ad hunc tractum pertinere. Typus utriusque partis videtur indicare, quod de Aspendiis narrat Eustathius [c]), eos Venerem placare porcorum sacrificiis Mopso auctore, de quo vide meos Numos vet. p. 223. Idem, sed de Sidetis, refert Avienus [d]).

Persequendi nunc reliqui Selges numi, iique aenei.

Caput Herculis prominente pone clava. ℞ ΣΕ. *Fulmen, arcus, triquetra.* AE. III. (Hunter.)

Caput barbatum laureatum, pone quid instar lapidis. ℞ ΣΕ. *Fulmen, et arcus.* AE. III. (Pellerin.)

Etsi variarum urbium nomina a ΣΕ. incipiant, certum tamen est, numum ex his priorem causa triquetrae hujus esse Selges. Sed neque dubium est, numum alterum causa adfinis typi eodem pertinere, lapsumque esse Pellerinium, qui eum Seleuciae Pieriae tribuerat [e]). Accedit, quod in certo hujus urbis Severi numo apud Vaillantium arcus quoque et fulmen compareant.

* * *

ΣΕ. *Pilum hastae.* ℞ *Clypeus.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis, ante quod pilum hastae. ℞ *Clypeus.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Palladis. ℞ *Clypeus, cui inscriptum elementum* Π, *intra cujus crura elementum* Ο. AE. III. (Pellerin.)

Posteriores duos numos ad eandem urbem pertinere, ad quam pertinet primus, typorum conformatio dubitare non patitur. Pellerinius eos Seleuciam Pamphyliae vocat. Verum literae ΣΕ. etiam Selgen nostram notare possunt, ut ex numo praecedente didicimus. Quidquid erit, malim quamcunque aliam urbem a ΣΕ. incipientem prae Seleucia Pellerinii, quo nomine ne quidem satis certum est urbem in Pamphylia exstitisse. Non praetereundus numus tertius propter inscriptas clypeo literas ΠΟ. Iisdem his literis monogrammate ligatis notari Παν Ορμον, diximus in numis Panormi Siciliae urbis. Non temere conjecero, quoniam eaedem literae insculptae sunt clypeo, et in antica est caput Palladis, eas in numo praesente enunciare Παλλαδος Οπλον, *Palladis*

a) L. III. p. m. 122. b) Num. vet. p. 219. c) ad Dionys. v. 852. d) Descript. Orb. v. 1015. e) Rec. II. p. 206.

Digitized by Google

clypeum. Noverunt Ελλαδος filii, vocabulo ὁπλον saepe *clypeum* intelligi, de quo aliquando copiosius disseram in numis Augusti commatis Romani.

Caput adversum barbatum radiatum. Ꜩ ΣΕ. *Cervus dimidius respiciens.* AE. III. (Pellerin.)

Hunc quoque numum Pellerinius Seleuciae Pamphyliae olim tribuerat, verum edoctus a Khellio, in simillimo musei Caesarei scribi ΣΕΛ., eum serius Selgensibus restituit [a]). At ignoro, cur propterea necessario Selgensium numus putandus sit, quasi το ΣΕΑ. non posset aeque Seleuciam aliquam, vel Selinuntem etc. notare.

AR. et AE. RR.

Imperatorii.

Inde ab Antonino, et in Decio desinunt. Hadriani numum nuper museo Com. Vitzai illatum vidi.

Epigraphe: CЄΛΓЄΩN. Typi: *Hercules stans cum clava, arcus et fulmen etc.*

Concordia:

CЄΛΓЄΩN. ΛΑΚЄΔΑIMONIΩN. OMONOIA. *Hercules stans d. sacra facit super ara, s. clavam, ex adverso stat Pallas s. hastam, pro pedibus serpens,* in numo Decii. (Vaill. Theup.)

Notari hoc numo revera concordiam Selgenses inter et Lacedaemonios initam, satis supra in Sagalassi numis comprobavi.

AE. RRR.

TERMESSVS.

Secundum Stephanum duplex fuit in Pisidia Termessus, major, et minor, quam quoque confirmant numi et marmora.

Autonomi:

TЄPMHCCЄΩN. *Caput Iovis, infra.* Θ. Ꜩ ΤΩN. MЄIZONΩN. *Pallas stans, in area* Θ. AE. I. (Pellerin.) In alio: *Hercules stans.* AE. I. (Hunter.) In alio: *Mulier eques lento gradu d. sceptrum.* AE. I. (Pellerin.)

Habemus in his numis Termessenses majores, qui etiam hoc nomine notantur in antiquo senatus consulto apud Muratorium [b]), sed scripti: THERMESES. MAIORES. PEISIDAE.

* * *

Eadem adversa. Ꜩ ΑΤΤΟΝΟΜΩN. *Fortuna stans, in area* Θ. AE. I. (Pellerin.)

Autonomia Termessensibus concessa praedicatur in eodem senatus consulto: EIQVE. LEGIBVS. SVEIS. ITA. VTVNTO. etc.

* * *

Eadem adversa. Ꜩ CΟΛΤΜΟC. *Vir seminudus sedens cum clava.* AE. I. (Spanheim. T. I. p. 563. Harduin., Theupoli.)

Hoc aversae typo exhiberi censet Spanhemius *Solymum* heroem loci. Certe Termessenses a Strabone dicuntur *Solymi* [c]), et idem alibi [d]): ὑπεκκειται

---

a) Suppl. I. p. 62. b) Thes. inscr. T. II. p. 582. c) L. XIII. sub. fin. d) L. XIV. p. m. 982.

Digitized by Google

ἀντης τα Σολυμα ὄρος, και Τερμισσος Πισιδικη πολις. *Supra hanc jacet mons Solyma, et Termessus urbs Pisidica.*

AE. RR.

Imperatorius.

Vnicus hactenus vulgatus, isque Domitiae: ΤЄΡΜΗCCЄΩΝ. L. IA. *Mulier stans d. spicas, s. caduceum.* (Mus. Farnes. T. IX. tab. 9.) Annus in hoc notatus est imperantis Domitiani.

AE. RRRR.

Commemorandi hoc loco numi sequentes:

Caput Iovis laureatum. ℣ TEP. *Equus liber currens, supra quem variae literae:* A. IA. ΘI. KA. KE. AE. III.

Caput Augusti. ℣ TEP. *Equus liber currens, infra* OI. (verius ΘI.) AE. III. (Morelli Impp. sub Aug. Tab. XLV. n. 13.)

Variae fuere de his numis opiniones. Liebeus cum in suo videret literas KE., eum Cephalleniae insulae perperam tribuit, ut in hujus numis diximus. Vrbis nomen in TEP. quaerendum, quod constans est, aliis literis variantibus, et, ut satis apparet, arithmeticis, sive epocham, sive annos imperantis indicant. Termesso Pisidiae, vel Terinae Bruttiorum eos largiuntur Pellerinius, et Khellius [a]), ambiguni tamen. Terinam excludit citatus numus Augusti, quia constat, Italiae continentis urbes sub imperatoribus monetam non amplius signasse. Interim dubium adhuc, utrum ad hanc Termessum pertineant. Cl. Combio in catalogo musei Hunteriani Terpillus Macedoniae placuit.

AE. R.

ISAVRIA.

CARALLIA.

Memorata Stephano, et Notitiis.

Imperatorii a Severo usque ad Maximinum.

Epigraphe: ΚΑΡΑΛΛΙΩΤΩΝ., sed in numo Severi max. mod. apud Pellerinium: ΚΑΡΑΛΛЄΑΤΩΝ., non tamen huic lectioni satis fidendum, nam eam esse mancam, Pellerinius ipse profitetur [b]).

Typi sunt obvii.

AE. RRR.

CLAVDIOPOLIS.

De numis huic Claudiopoli perperam tributis vide, quae ad Claudiopolin Bithyniae notavi. Neque numi inscripti ΚΛΑΤΔΙΟCЄΛЄΤΚЄΩΝ, in quibus Vaillantius aliique concordiam inter

a) Adpendic. I. p. 71. b) Suppl. II. p. 77.

Digitized by Google

hanc Claudiopolin, et Seleuciam Isauriae notari credidere, ad utramque hanc urbem pertinent, ut dictum in Seleucia Pisidiae.

ISAVRVS.

Exstant *imperatorii:*

ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. ICATPΩN. *Effigies Herculis*, in numo Getae. (Harduin.)

Eadem epigraphe. Imperator paludatus stans cum adstante viro nudo s. demissa ramum tenente dexteram jungit, in numo Elagabali. (Pellerin Rec. II. p. 139.)

Harduinus hac numi inscriptione notari Seleuciam Ciliciae adserit nulla addita causa, cui sententiae jure adversatur Pellerinius. Fuit in Isauria urbs, *Isaurus*, vel *Isaura*, atque etsi bis olim capta et eversa, primum a Perdicca, iterum a Servilio, rursum tamen memoratur a Plinio, aliisque inferioris aevi scriptoribus, quos citat Cellarius. Cum ea aetate, qua sunt numi praesentes, minus clara fuisse videatur, quam ut magnificum metropoleos nomen capere posset, verisimile, hoc illam nomine gloriatam non causa dignitatis, sed quod esset urbium Isauriae mater, et a qua regioni nomen factum. Sic et in codice legimus [a]), episcopum Leontopolis Isauriae subesse jussum episcopo Isauropoleos, credo propter vetustatis honorem.

AE. RRRR.

LALASSIS.

Autonomi:

Caput muliebre velatum turritum prominente retro palmae ramo. Ϫ ΛΑ-ΛΑϹϹЄΩN. *Cornucopiae, juxta triquetra.* AE. fere II. (Pellerin.)

Triquetra in hujus tractus numis, ut vidimus, et videbimus adhuc, res obvia. Sed de Lalassensium triquetra vide, quae notabimus in numis Olbae Ciliciae, ejusque principum Teucri et Polemonis.

* * *

ΛΑΛΑΣΣ. ENTIM. *Mulier stans d. spicas, s. cornucopiae.* Ϫ *Literae dubiae. Fortuna stans.* AE. III. (Pellerin. Suppl. II. p. 27.)

Hujus occasione numi Pellerinius late disserit de Lalassidis vero situ, quem lector adeat. Titulum ENTIMs, *honorabilis*, nulli alteri in numis urbi datum novimus.

* * *

R. P. F. S. - - *Ramus lauri.* Ϫ - - - SALASI - - - *Triquetra.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 27.)

Ex triquetrae typo conjicio, tutius forte legendum LALASI, quo pacto huc pertinebit. Sed quid reliqua epigraphe significet, et cur Latina sit, ex numo vitiato colligi nequit.

* * *

De numis *Pontificum* Teucri et Polemonis, quibus haec quoque urbs inscripta legitur, agemus in numis Olbae Ciliciae.

AE. RRR.

---

a) L. I. tit. 3. §. 36.

Digitized by Google

LYCAONIA.

Numum communi gentis nomine ΛΥΚΑΟΝΩΝ inscriptum vide in Antiocho IV. Commagenes rege.

CLAVDIOPOLIS.

Hoc nomine urbs in Lycaonia non exstitit, et qui eam adseruere, nixi sunt in falsa numorum lectione. Vide dicta in Claudiopoli Bithyniae, et quae mox in Iconio dicentur.

COROPISSVS.

Straboni pagus Lycaoniae, scribiturque in libris editis jam Κοροπασσος, jam Καραπασσος. Numi editi majores ei honores praestant, et orthographiam stabiliunt.

Imperatorii.

ΜΗΤΡΟ. ΚΟΡΟΠΙΣΣΕΩΝ. L. IH. *Fortuna stans*, in numo Hadriani. (Pellerin. Rec. III. p. 249.)

ΚΟΡΟΠΙΣΣΕΩΝ. ΕΠΙ. ΤΟΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. *Hercules et Apollo stantes*, in numo Maximini. (Panel Catal. le Bret.)

Metropoleos honorem numus prior Coropisso adserit, eumque confirmat numus alter, etsi epigraphe manifeste luxata sit. Interim cum Coropissi vix alius praeter Strabonem meminerit, atque hic, ut vidimus, parum honorifice, et adeo ignobilior fuerit, quam ut metropoleos honore videatur potuisse digna haberi, credo, vocatam metropolin a cultu Cybeles, de quo vide, quae monebo in diatriba de urbib. metropolib.

Anni imperii Hadriani notis L. IH. indicantur.

AE. RRRR.

DERBE.

De numo huic oppido inique, ut videtur, tributo vide in sequente Iconio.

ICONIVM.

De universa urbis hujus moneta prolixius olim disserui [a]), unde, quae ad eam, illustrandam maxime sunt necessaria, excerpo.

Autonomi:

Caput Iovis. Ꝟ ЄIKON-ЄΩ. *Perseus nudus stans d. harpam, s. caput Medusae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput juvenile hedera coronatum, retro fax ardens. Ꝟ IKONI. MЄNЄ-ΤЄIOC. *Typus similis.* AE. III. (Pellerin.)

a) Num vet. p. 271.

Digitized by Google

Protome Persei tecti galea in volucris caput exeunte, prominente retro harpa. Ɪ - - ΚΟΝΙΕΩΝ. ΜΕΝΕΔΕ - - *Vir seminudus sedens s. harpam.* AE. III. (Pellerin. Rec. II. tab. XLV. n. 48.)

Persei effigies vario cultu propesita in Iconii numis typus est fere constans. Eum nimirum heroem in hoc oppido suam ipsius statuisse imaginem, unde illi ἀπο της ἐικονος datum Εἰκονιεὺς nomen, eamque appellasse *Fortunam urbis Persida*, late ibidem ex veterum testimoniis probavi. Eadem late narrat Auctor anonymus antiquitatum CP., qui est apud Bandurium in Imperio Orientali Tomo I., qui et addit, hanc Persei iconem a Constantino M. Constantinopolin Iconio abductam, et in balneo collocatam. Etiam Stephanus contendit, pro Ικονιον rectius scribi Εικονιον, quia ἀπο ἐικονος derivatur. Numum III. Pellerinius olim Conio Phrygiae tribuerat [a]), quem lapsum pridem indicavi [b]), non adversante serius ipso Pellerinio [c]).

* * *

Caput Iovis. Ɪ ΚΛΑΤΔΙΕΩΝ - - - ΕΩΝ. *Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens, in area:* ΕΤΟ. B. AE. III. (Hunter.)

Cl. Combius numum hunc Claudiadi tribuit, quam Ptolemaeus in extrema in ortum Cappadocia ad ripam Euphratis constituit. At praesto sunt causae, quae me ab ignobili hac, et ad extremos imperii fines projecta urbe avertunt, et Iconium praeferre cogunt. Hanc urbem dictam fuisse Claudiam, ex proximis imperatoriis videbimus. Et tanto magis verisimile, scriptum fuisse in hoc numo ΚΛΑΤΔΙΕΩΝ. ΕΙΚΟΝΙΕΩΝ, vel ΚΛΑΤΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ, quod cum hac epigraphe rite junguntur literae ΕΩΝ, quae teste numi hujus iconismo epigraphen finiunt, et quas, si Claudiadis numum dixeris, quorsum referas, non habebis. Ad haec numi hujus modus multum adfinis est numis vicinorum Tyanorum Cappadociae seu type mulieris cum flumine, seu inscripto imperantis anno. Quam saepe ab eruditis in definiendis hujus Iconii numis peccatum sit, partim jam vidimus, et patebit ex proximis.

* * *

Numus a Musselio huic Iconio tributus [d]) restituendus Hipponio Italiae, nam pro ΙΚΩΝΙΕΩΝ legendum est ΙΠΠΟΝΙΕΩΝ, ut jam olim probavi [e]).

AE. RRR.

Imperatorii.

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙCΑΡ. CΕΒΑCΤΟC. *Caput laureatum.* Ɪ ΠΟΠΠΑΙΑ CΕΒΑCΤΗ. ΚΛΑΤΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ. *Poppaea sedens d. florem, s. hastam.* AE. I. (Pellerin. Rec. II. p. 141.)

Eundem numum edidit etiam Haymius, sed vitiato urbis nomine ejus extricare patriam non potuit. (Tom II. p. m. 243.)

Addo numum alium, quem citat Gessnerus ex museo Fremont. (Impp. Tab. 49. n. 25.)

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙCΑΡ. CΕΒΑΤ. *Caput laureatum.* Ɪ ΚΛΑΤΛΕΙΝΟΝΙΕΩΝ. *Caput muliebre turritum.* AE. II.

a) l. c. b) l. c. c) Additions p. 77. d) Num. pop. Tab. X. e) Num. vet. p. 273.

Digitized by Google

Legendum absque dubio: ΚΛΑΤ-ΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ.

* * *

Praeeuntibus his numis sequentes Iconio restituendos censeo:

ΚΛΑΤΔΙΟΠ. ΚΟΙ. ΛΥΚΑΩΝΙΑC. *Fortuna stans*, in numo Faustinae jun. (Vaill.)

ΚΛΑΤ. ΔΕΡ. ΚΟΙ. ΛΥΚΑΩΝΙΑC. *Fortuna stans*, in numo Faustinae jun. (Morelli Spec. p. 217.)

Vtrumque numum nemo non videt esse unum eundemque, nisi quod pro ΙΟΠ. Vaillantii Morellius legat ΔΕΡ., ac propterea *Claudiam Derben* Lycaoniae oppidum extundat, quem praeconem secuti sunt Haymius [a]), et Harduinus [b]), et Haymius quidem citat Morellium, sed quod saepe alias, auctorem suum dissimulat Harduinus. Vaillantius numum suum descripsit ex museo regis Galliarum, et ex eodem Morellius suum, ut adeo satis appareat, utrumque esse unum eundemque, et si revera existeret alius in thesauro regis Galliarum inscriptus ΚΛΑΤ. ΔΕΡ., non eum reticuisset Vaillantius. Videtur ergo numus ea parte, quae in hac disputatione cum primus agitur, vitiatus. Quare fas esse puto, aliter se habere epigraphen suspicari, et cum in hoc numo fiat Lycaoniae mentio, et certum sit adeo, esse signatum in aliqua Lycaoniae urbe, deinde ex nullo geographo constet, fuisse aliquam in Lycaonia Claudiopolin, constet vero ex citato Neronis numo, Iconium revera dictum *Claudium*, temerarius non videar, si legendum putem ΚΛΑΤΔΕΙΚ. ΚΟΙ. ΛΥΚΑΩΝΙΑC.

* * *

-ΛΑΤ - - - ΕΩΝ. ΚΟΙΝ. ΛΥΚΑ. *Iuppiter seminudus sedens d. pateram*, in numo Aurelii, *juxta cujus caput annus epochae* ϖΠΧ. (Mus. Caes.)

Numam hunc edidit Frölichius [c]), sed epigraphen legit: ΑΛ - - - - ΩΝ. ΚΟΙΝ. ΛΤΔ. Lydiis adeo numum adjudicavit. Sed exploratus sedulo a me numus, quam dixi, epigraphen praeferre videtur. Quid quod *Communis Lydorum* numum nullum habemus, sed tamen Lycaoniae nonnullos. Reliquam epigraphen expleo solito ΚΛΑΤΔΕΙΚΟΝΙΕΩΝ. De anno epochae mox.

* * *

Κ - - - - ΟΙΝ. ΛΥΚΑΩ. *Vir semicinctus sedens supra aliquid simile pisci oblongo in fluctibus, s. urnae innititur*, in numo Faustinae jun. (Mus. Caes.)

Hunc numum Frölichius aliquando praetensae Claudiopoli Lycaoniae tribuit, nimirum qui numi lacunas ex indicio Vaillantii, aliorumque, minus, ut vidimus, accurato expleverat [d]).

Ex his ergo, quae dixi, patet, imperatorios Iconii numos sua adhuc luce indigere.

* * *

Epochae annus ϛΠΧ. 686. in citato Aurelii numo. Hic numerus epocham indicat, qua nulla in numis antiquior legitur; nam subducto calculo figitur ejus exordium intra annos V. C. 228. et 247., quo tempore Darius Hystaspis Persiae atque Asiae mineri imperabat.

a) Tom. II. p. 243. b) Num. urb. in *Derbe*. c) IV. Tent. p. 198. d) IV. Tent. p. 213.

Digitized by Google

Propius quid de ejus exordio definiri nequit. Vide de hoc plura apud Froelichium a).

* * *

Claudia dicta ab imperatore Claudio. Sic et in marmore apud Muratorium legitur b): L. ANNIVS. VALENS. L. F. CLAVDIA. ICONIO. nisi forte quis malit hoc loco nomine CLAVDIA intelligi tribum Claudiam, ex qua fuerit Annius.

AE. RRR.

Colonia Iconium.

Mirum sane, cum tot jam habeamus coloniae Iconii numos, eos ignotos fuisse Vaillantio, Harduino, omnibusque, qui eos secuti sunt, aliis, donec horum unum primus proferret Froelichius in Appendicula ad Vaillantii colonias anno 1733. edita, subinde ejus IV. Tentaminibus inserta. Mirum etiam, ex solis numis constare, Iconium fuisse coloniam. Sed neque, quando deducta fuerit, satis constat. Pellerinius, cum in numo suo videret additum AEL., conjecit, eam deductam ab Aelio Hadriano c). Verum ad colonias omnes haec sententia valere non potest; nam et Bostra Arabiae, quae a Caracalla deducta passim creditur, *Trajanae* nomen in numis inde a Caracalla signatis usurpavit, nimirum singulari beneficio a Trajano affecta. Quare fieri potuit, ut eadem ex causa Aeliam se appellaret Iconium, etsi ab alio et serius deductum. Incertum istud omne. Si certum foret, quod conjecit Vaillantius, Neapolin Samaritidos coloniam dictam fuisse *Sergiam*, quia forte tribui Sergiae fuerit inserta, dici etiam posset, coloniam Iconium dictam *Aeliam*, quia huic subjecta fuerit.

Gordiani: COL. AEL. ICONIE. S. R. *Colonus arans, retro duo signa militaria.* In alio: ICONIENSI. COLO. S. R. *Fortuna sedens.* (Pellerin Rec. I. p. IV.)

Gallieni: ICONIENSIVM. CO. S. R. *Pallas sedens.* (Mus. Caes.) *Hercules stans.* (Theupoli.) *Fortuna sedens.* (Pellerin Suppl. I. 42.) *Gemini lactentes.* (Panel Mem. Trev. Octob. 1737.) *Perseus stans pedibus alatis d. caput Medusae, s. harpam.* (Mus. Comitissae Bentinck T. I. p. 498.)

De literis additis S. R. vide dicta in Antiochia Pisidiae.

AE. RR.

LARANDA.

Ab aliis Pisidiae etiam accensetur.

Imperatorium Antonini vulgavit Vaillantius: ΛΑΡΑΝΔΕΩΝ. *Caput Apollinis, prae quo lyra.* Eum huic Larandae tribui vult. Forte melius legendum ΑΛΑΒΑΝΔΕΩΝ, numusque restituendus Alabandae Cariae, cujus numi Apollinis cultum saepe jactant, quod perspicue docent numi Caracallae hujus urbis a Vaillantio prolati.

PARLAIS.

Ptolemaeo scribitur Παρλαις, at in Notitiis magna est hujus nominis corruptio.

a) IV. Tent. p. 199. b) pag. 779. 2. c) Rec. I. p. IV.

Digitized by Google

Coloniae tantum nomine ejus comperti numi. Eorum catalogum, nam rari admodum sunt, jam olim dedi [a]), quem modo aliquanto auctiorem restituo.

PARLAIS. COL. *Mulier d. labarum, s. cornucopiae gerens*, in numo M. Aurelii.

Numum hunc his verbis in prima editione suorum Numorum illustratorum promulgavit Harduinus, ante quem Parlaidis numi fuere ignoti. At cum judicium suum perstringi a Vaillantio videret [b]), eum in altera ejus operis editione omisit, atque istud tanto lubentius, quia is sibi ex aliorum tantum narratione fuit cognitus. Eum ipsum sibi dono datum hoc modo vulgavit Vaillantius [c]).

IVL. AVG. COL. PARIA. *Mulier stolata cum calatho in capite, d. signum militare, s. cornucopiae*, eumque adeo tribuit coloniae Parianae Mysiae. At enim injustam fuisse Vaillantii criminationem, eumque numum vere esse hujus Parlaidis, jam probavit Haymius [d]), et clare patebit ex sequentibus.

- - - PAR - - *Mensis stans cum luna falcata pone tergum d. hastam, s. Victoriolam, pro pedibus gallus*, L. Veri. (Mus. Caes.)

Numum hunc integerrimum dempta epigraphe, quae tamen certas literas PAR. offert, proposui in mea Sylloge I. Sed et typus Parlaidi favet, ut sequentia docebunt.

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Fortuna stans*, L. Veri. (Pembrock P. III. tab. 80.)

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Mensis stans d. globum, s. hastam, d. pede capiti arietis insistit*, Severi.

His verbis numum hunc descripsit auctor Catalogi d'Ennery p. 601. Sed vide numum sequentem.

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Vir pileo Phrygio tectus stans d. hastam, s. quid lampadi simile, pede sinistro imposito alicui animalis icunculae*, Domnae. (Haym. T. II. p. m. 319.)

Apparet, numi hujus typum eundem esse cum typo numi praecedentis. Ibi deus Mensis manu tenere globum, hic quid lampadi simile dicitur. Similem Mensis typum olim ex numo Hierapolis Phrygiae edidi [e]), in quo Mensis quid lapidi conoidico simile praefert. Quidquid id est, incertum sane est. Belleyus esse pomum pini conjecit [f]). Illud, quod pede premit, ex laudato Hierapolitano apparet esse bovis caput, cujus ibi rationem dedi.

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Pallas stans*, Domnae. (Panel Mem. Trevoux Octob. 1737.)

IVL. AVG. COL. PARLAIS. *Fortuna stans*, Domnae. (Pellerin Rec. I. p. XVII.)

* * *

Ex hoc catalogo facile deinceps erit de coloniae Parlaidis numis arbitrari, et facile patet, iniquum fuisse Vaillantii judicium, numum suum coloniae Parianae adserentis. Parlais epigraphen semper a IVL. AVG. orsa est, semper se AVG*ustam* profitetur, *Parium* in certis suis nunquam. Quare suspicor etiam, in numo Antonini Pii, in quo

a) Sylloge I. p. 53. b) Num. Colon. p. m. 189. c) l. c. d) Th. Br. T. II. p. m. 319. e) Num. vet. p. 249. f) B. L. T. XVIII. Mem. p. 135.

Digitized by Google

Belleyus legerat: C. PARIA. IVL. AVG. dissimulato ejus typo a), quemque is pariter coloniae Parianae tribuerat, legendum quoque IVL. AVG. C. PARLAIS. Accedit, quod Parium inde ab Hadriano se constanter H. id est *Hadrianam* dixit.

AE. RRR.

Imperatorium Graece inscriptum, et absque coloniae mentione praecedentibus addit Pellerinus: (Rec. I. p. XVIII.)

ΓΑ ---HNOC. IA. *Caput Gallieni* Ϫ ΠΑΔΛΑΙΕΩΝ. (sic). *Mensa, super qua urna.*

Si numus hic revera huc pertinet, videtur in urbis hujus regimine politico aliquid inductum mutationis, nam mentionem coloniae non omisisset, si colonia tum adhuc fuisset. Nonnunquam urbibus adempta fuisse coloniae jura, patet ex iis, quae ad numos Lampsaci Mysiae, Tyri et Sidonis, Nicopolis Iudaeae, Neapolis Samariae observamus. Gentile ΠΑΡΛΑΙΕΩΝ recto stat talo; nam ut a Πτολεμαΐς est Πτολεμαιευς, et in numis ΠΤΟΛΕΜΑΙΕΩΝ, sic a Παῤῥαΐς Παῤῥαιευς, et in numo ΠΑΡΛΑΙΕΩΝ.

AE. RRRR.

SAVATRA.

Hanc memorat Ptolemaeus, et in Isauria collocat, sed videtur esse eadem, quam Strabo *Soatra* vocat, et Lycaoniae infert.

Imperatorii:

CΑΟΤΑΤΡΕΩΝ. *Vir nudus stans d. spicas, s. arundinem, pro pedibus quiddam cancro simile.* (Frölich 4 Tent. p. 192. nunc musei Caes.) In alio: *Fortuna sedens.* (Panel. Mem. Trev. 1737 Octob.) Vterque numus est Antonini Pii.

AE. RRRR.

CILICIA.

ADANA.

Vide infra in *Antiochia ad Sarum.*

AEGAE.

Maritima in Cilicia Campestri.

Autonomi:

Caput muliebre velatum turritum. Ϫ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Caput caprae.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ϫ *Eadem epigraphe.*

a) Hist. B. L. T. XXV. p. 96.

Digitized by Google

Capra jacens. AE. III. (Mus. Com. Vitzai.)

Fuit harum Aegarum gentile ΑΙΓΕΑΙΩΝ, etiam testibus imperatorum numis saltem usque ad Macrinum, ut dicetur. Quae epigraphe servit ad dignoscendos hujus urbis numos ab numis aliarum Aegarum. Accedunt causae aliae, caput muliebre velatum turritum, monogrammata, literae per aream sparsae, quae omnia in autonomis urbium Ciliciae frequenter observantur. Quare dubitari nequit, autonomos solo ΑΙΓΕΑΙΩΝ inscriptos typis *Palladis*, *Victoriae galeatae gradientis*, quae est certa Minerva Victoria, de qua egi in numis Athenarum, *capiti sive stantis sive jacentis*, quo ad nomen urbis Αἰγαὶ adluditur, ad has Ciliciae Aegas pertinere. Numos hos habes apud Pellerinium.

Caput muliebre turritum. ℞ ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. - - - *Caput equi, in area monogramma.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

ΑΙΓΕΑΙΩΝ. *Protome Palladis cum hasta super humero, pone bina monogrammata.* ℞ *Caput virile imberbe tectum galea in volucris caput desinente, pone harpa.* AE. II. (Hunter Tab. 3. n. IX.)

Eruditus Combius catalogi Hunteriani auctor numum hunc Aepeae Messeniae tribuit [a]). Ejus judicii causa fuerit, quod cum litera Γ et E in unum coalescerent, legendum sibi videbatur ΑΙΠΕΑΙΩΝ. At difficile videatur huic judicio adsentiri. Etenim hujus Aepeae Messeniae, quae Homero dicitur Αἰπεια [b]), sic obliterata fuit memoria, ut Strabo ipse dubius haereret, quae ejus tractus urbs poetae fuerit intellecta [c]). Adde, ex Αἰπεια gentile Αἰπεαιος formari nisi violenter non posse. Stephano est Αἰπεατης. Magis ergo verisimile, legendum ΑΙΓΕΑΙΩΝ, numumqae esse illarum ex pluribus Aegarum, quae hac epigraphes lege in moneta uti sunt solitae, nimirum Aegarum Ciliciae. Suadet istud et caput Palladis, cujus in hac urbe cultum plures ejus urbis numi produnt, tum et monogrammata, quae, ut videbimus, in Ciliciae urbium numis multiplicantur. Aversa certum nobis sistit Persei caput, cujus attributa certa sunt harpa, et galea in volucris caput adsurgens, ut vidimus in numis Philippi V. Macedoniae regis. Constat vero, Perseum, qui miracula sua Palladis consiliis pleraque peregit, cum Pallade recte componi. Vnde in alio ejus numo, quem in imperatoriis dabimus, caput habemus Medusae Persei harpa resectum. Novimus etiam, Persei insignes fuisse honores apud Tarsum, et Argos Ciliciae urbes.

* * *

ΑΙΓΕΑΙΩΝ. *Caput Palladis.* ℞ *Capra jacens in area* ΦΘ. ΠΑ. ΑΘ. AE. II.

Numum hunc Haymius perperam Athenis tribuit [d]). Verum ex truncis literarum capitibus epigraphe ΑΙΓΕΑΙΩΝ facile elicitur. Qui dubitare volet, iconismum consulat. Atqui et peristases huius numi omnes ut ab Atheniensium moneta abhorrent, sic Aegeaeorum officinam suapte testantur.

AE. RR.

---

a) Pag. 14. b) Il. I. v. 152. c) L. VIII. p. m. 553. d) T. I. p. m. 211.

Digitized by Google

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Soloninam, quos inter perrari sunt Pupieni, (Theupoli.) Aemiliani, (Vaill.) et Cornu. Superae, quem infra producam. Perinsignis est etiam numus argenteus máx. mod. Hadriani in gaza reginae Christinae, quem ipse vidi: AIΓEAIΩN. ETOTΣ. ΘOP. *Aquila expansis alis.* Vaillantius eundem citat in suis numis Graecis, sed quod argenteus sit, non addit, annum legit HOP, deceptus nempe a forma quadrata τυ Θ, qua elementum istud in hoc numo exaratur.

Epigraphe AIΓEAIΩN. propria harum Aegarum orthographia. Sane ab Hadriano usque ad Caracallam nulla alia valuit. Solus Vaillantius M. Aurelii numum citat inscriptum AIΓIЄΩN. ЄT. AIC. quod fuit gentile Aegii Achaiae, ac propterea vereor, ut recte excepta sit scriptura. Valuit AIΓЄAIΩN etiam in sequentium imperatorum numis, sed tamen inde a Macrino scriptum etiam est, AIΓЄΩN. AIΓAIΩN., quin et in numo Diadumeniani ЄΓЄΩN, (Haym.) et in numo Alexandri: AIΓIЄAIΩN. (Theupoli.)

Typi illustriores:

Aesculapius stans solus, aut in consortio cum Telesphoro et Hygia. — Aesculapio adstat capella in numo Macrini. (Vaill.) Hanc fuisse Aesculapio sacram, observavimus in numis Epidauri. — *Aesculapii baculus angue munitus*, ad Valeriani caput trajectus. (Haym. T. II. tab. 48.)

Non hi solum numi insignem Aesculapii apud Aegas cultum testantur, sed et Sozomenus [a]), et Philostratus [b]), quo perhibente se palam saepe in templo ostendebat, et cum sacerdotibus collocutus est. Quare et apud Basilium Isaurum memorantur Χρησηρια Ασκληπιου ἐν Περγαμῳ, ἐν Επιδαυρῳ, ἐν Αιγαις [c]). Ejus ibi templum famigeratum eversum tandem est a Constantino M., ut narrat Eusebius in ejus vita [d]). Ob celebrem hanc Aesculapii religionem videtur perinde ac Epidaurus IEPAΣ nomen abstulisse.

Caput Medusae intra circulum XII. signorum coelestium, in numis Valeriani. (Vaillant, Haym.)

Hic typus clypei formam praebet, et videtur cum adlusione ad urbis nomen indicare clypeum dictum *Aegida*, qui caprae pelle constabat inserto Medusae capite, ut refert Eratosthenes. Hunc explicatum jam acute vidit Haymius [e]), sed subtiliorem et ex cosmogonia petitum attulere eruditi conditores catalogi gemmarum ducis Aurelianensis [f]). Pallas hac aegide munita sistitur pugnans cum Gigante in numo Seleuciae Ciliciae a me edito [g]).

Mulier stans d. cornucopiae, s. pusulum, in numo Antonini. (Vaill.)

Videtur haec esse Amalthea, Melissei regis Cretae F. Iovem puerum gestans manu una, altera cornucopiae, quod ejus caprae fuit, quae Iovi alimenta praebuit secundum Hyginum et Eratosthenem. Est adeo rursum adlusio ad urbis nomen ἀπο της αἰγος.

Hercules nudus sacra facit super

a) L. II. c. 4. b) Vit. Appollon. L. I. c. 7. seq. c) Vit. S. Theclae. L. II. d) L. III. c. 56. e) T. II. p. 378. f) Tom. I. p. 302. g) Num. vet. p. 231.

Digitized by Google

ara s. clavam, in area petrae Ambrosiae, Macrini. (Vaill.)

Typus plane est Tyrius, et in Tyri numis obvius. Dictae etiam petrae nullo pacto Aegas, sed ad solam Tyrum pertinent, ut in hujus urbis moneta dicetur. Videtur ergo typus hic indicare quandam sacrorum communionem Tyrum inter et Aegas, de quo more vide quae dicentur in tractatu de concordiae numis.

* * *

Magistratus raro in Aegarum numis reperitur. Sitne numus Tiberii, in quo: ΕΠΙ. ΚΟΤΛΛΕΩΝΟΣ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΔΗΜΟΤ. harum Aegarum, incertum. De eo pluribus agam in numis gentis Terentiae.

In numis Macrini et Diadumeniani obvium: Μ. ΟΠΤ. Π. Θ. ΜΑΚΡΕΙΝΟΤΠ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ. Epigraphen explet Vaillantius: *Marco Eugene panegyrista deorum* a). Harduinus: *Prytane nonum* b). Vtriusque sententiam evertit numus Diadumeniani apud Haymium c): ΜΑΚΡΕΙΝΟΤΠΟ. ΕΓΕΩΝ. ΜΑ. ΟΠΤ. ΠΙΟC. ΓΞC. Est ergo: *Marcus Eugenes Pius*, et solitarium Π in omnibus similibus *Pium* indicat. Additum Θ dubium non videtur notare hujus Eugenis dignitatem, ac tum verisimile est, esse literam *δεχαισαν Theologi*, Θεολογε, nam haec dignitas, ut vidimus, memoratur etiam in numis Pergami, quae quoque urbs non minus, atque hae Aegae, in Aesculapii cultu insanivit. Videtur hic idem Eugenes sub Alexandro Severo ad magistratum rursum promotus; nam in numo Mamaeae iterum, sed compendio legitur: Μ. Ε. Π. Θ. ΑΙΓΕΑΙΩΝ. ΟC. (Vaill.)

Neocorus: ΜΑΡ. ΟΠΤΕΝΕΘΤC. ΝΕΩΚΟΡΟΤ., ut Alexandri numum describit Vaillantius d). De personis neocoris vide diatriben de Neocoratu.

Neocoratus inde a Gordiano ad Saloninam usque sedulo proditur scripto ΝΕΩΚ. ΝΕΩΚΟ. ΝΕΩΚΟΡΟΤ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Vide apud Vaillantium numos Gordiani et Aemiliani. Fallitur ergo Pellerinius adfirmans, in Valeriani primum numis hunc titulum comparere e).

* * *

ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. inscriptum vidimus numo autonomo. Rationem ΤΟ ΙΕΡΑΣ paullo supra expedivimus.

* * *

Navarchis. Hunc titulum inde a Gordiano fere constanter addidit: ΝΑΤΑΡ. ΝΑΤΑΡΧΙ. ΝΑΤΑΡΧΙΔΟC. saepe typo navis cum remis. Huic Aegae honori jam pridem opportunae sunt habitae; nam sic de iis Lucanus f): *extremae resonant navalibus Aegae*.

* * *

Imperatorum nominibus adscititiis haec urbs impense gloriabatur, ac quidem.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. in numis Antonini, Severi, et Gordiani. (Vaill.)

ΚΟΜΟΔΙΑΝΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. Commodi et Severi. (Vaill. Theup.)

ΑΔΡ. ΟΕΤΗΡΙΑΝΩΝ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝ. Caracalla. (Vaill.)

ΜΑΚΡΕΙΝΟΤΠ. Macrini et Diadumeniani. (Vaill.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΤΠΟΛΙC. ΑΔΡΙΑ-

a) Num. Gracc. p. 120. et 317. b) Num. urb. p. 10. c) T. II. p. m. 343. d) Num. Graec. p. 134. e) Mel. II. p. 282. f) L. III. v. 227.

Digitized by Google

ΝΩΝ. addito nonnunquam CЄT. Alexandri. (Vaill.) Existimat Harduinus, Aegas dictas Αλεξανδρεπολιν ab Alexandro M. nixus testimonio chronici Alexandrini ad annum II. Olympiadis CXIII. Αλεξανδρεια ἐν Αιγαιοις, ἡ και Σκυθια, in qua sententia fuit etiam Vaillantius [a]), sed secum rursum dissidet [b]). Verum si istud, cur non etiam in aliorum impp. numis se dixit Alexandropolin, et tantum in numis Alexandri Severi? Satis certi esse possumus ex hoc catalogo, Aegas sic dictas ab Alexandro Alexandropolin, ut a Macrino Macrinopolin, quae appellationes sublata adulationis causa sunt abolitae.

ΑΔ. ΑΙΓΑΙΩΝ. in numis adhuc Valeriani. (Vaill.)

* * *

Epochae annos solerter inscripsit praefixo ET. vel ЄTOTC, vel etiam sine his.

Hadriani: ΘOP. quod Vaillantius legit HOP. ob causam, quam supra dedi.

Antonini: HΠP. (Vaill.)

M. Aurelii Caesaris: ΔqP. (Mus. Caes.)

M. Aurelii Augusti: AIC. (Vaill.)

Commodi: ZKC. ΔΛC. (Vaill. Albani.)

Severi: ЄMC. (Vaill.)

Domnae: CM. (Haverc. ad Orosium p. 505.) CN. (Vaill.)

Caracallae: AΞC. (Vaill.)

Macrini et Diadumeniani: ΓΞC. ΔΞC. (Mus. Caes. Vaill. Haym.)

Alexandri et Mamaeae: OC. HOC. (Vaill.)

Pupieni: CΠΔ. (Theup.)

Gordiani: HΠC. (Vaill.)

Philippi sen. BqC, (Pellerin. Mel. II. p. 310.)

Aemiliani: ΘqC. (Vaill.)

Corneliae Superae: ΘqC. de quo numo mox.

Valeriani: T. TA. TI. TЄ. ZT.

Gallieni, Saloninae: T. ЄT. (Vaill. Pellerin.)

Epochae initium ad autumnum anni V. C. 707. esse figendum, numi Macrini et Diadumeniani cum anno ΓΞC. et Pupieni cum anno CΠΔ. evincunt. Vaillantius existimat, ejus initium ducendum a fine Maji V. C. 707. Verum cum constet, Asiae urbes passim annum suum inchoasse ab autumno, et anni ΓΞC. ΔΞC. in numis Macrini, quibus ad sententiam suam stabiliendam utitur Vaillantius, cum annis ejus imperatoris rite possint componi, ratio nulla apparet, ob quam Aegarum anno ver principium statuendum sit. Esto, urbis annum incipere ab autumno, annus ΓΞC. incipiet ab autumno V. C. 969. et desinet in autumno 970., et tum incipiet annus ΔΞC, et exibit in autumno 971. Iam vero constat, Macrinum acclamatum imperatorem mense Aprili anno 970., et occisum mense Iunio 971. Ex quo satis apparet, Vaillantium ab anonymo Neapolitano adversus alterius sententiae patronos parum concinne defendi [c]), cujus error eo profluxit, quod cum calculum subduceret, numerum unitate non multavit, scripsitque adeo [d]): *Nell' anno di Roma* 971. *entrava l'anno di Ege* 264., quo admisso verum est, numum Macrini ΔΞC. pluribus mensibus ejus imperatoris morte fore posteriorem. Sed enim pro *entrava* scribendum fuit *finiva*.

Inducendae ejus epochae causa fuit

a) Num. Graec. p. 134. et 240. b) pag. 552. c) Lettera sopra una medaglia di Corn. Supera. d) pag. XII.

Digitized by Google

Iulius Caesar, quem constat anno V. C. 707. in Cilicia versatum, cum ex Aegypto per Syriam adversus Pharnaeem contenderet, et ut diserte refert Hirtius a), Ciliciae et finitimarum civitatum res constituisse. Etsi vero demus Vaillantio, Caesarem mense Majo adfuisse in Cilicia, ex eo tamen non sequitur, Aegeaeos ab eodem mense, et non ab autumno more ejus tractus aeram duxisse, nam et Anazarbeni Ciliciae non ab anno V. C. 734., quo ad eos invisit Augustus, sed ab anno sequente annos suos numeraverunt.

Corneliae Superae eximium numum protulit eruditus anonymus Neapolitanus in epistola supra laudata: Γ. ΚΟΡ- - - ΣΟΤΠΕΡ - - *Caput Superae.* Ɪ ΑΙ-ΓΕΑΙΩΝ. ΝΕΩΚ. ΝΑΤΑΡ. ΘqC. *Templum distylum, intra quod aquila, infra capra decumbens.* AE. I. Causa adstitutae epochae multum valet hic numus, ut sciamus denique, fuisse Superam Aemiliani uxorem, de qua magnum hactenus fuit inter antiquarios litigium. Vide, quae in hac causa plura docebimus in numis Corn. Superae.

AR. RRRR. AE. R.

ALAE.

Stephanus: Αλαι της Κιλικιας πολις, ἀπο δε τυτυ Αλησιον πεδιον, *Alae Ciliciae urbs, unde Aleius campus.* Plinius urbem non nominat, sed tantum *campos Aleios.* Huc certe pertinet.

Imperatorius Hadriani, quem Harduinus ex Spanhemio citat, si modo epigraphe rite lecta: ΑΛΑΙΩΝ. ΚΙΛΙ-ΚΩΝ. *Bellerophon Pegaso vectus cum Chimaera.* Revera hunc heroem et Pegasum fracta ungula aegrum per campum, unde hic dictus *Aleius*, oberrasse, refert Stephanus in Ταρσος, ut jam advertit Harduinus. Idem alium Gordiani citat inscriptum ΑΛΗΙΝΩΝ, quem huc quoque vocat, verum censeo legendum ΑΛΙΗΝΩΝ, et esse adeo Aliae Phrygiae.

AE. RRRR.

ALEXANDRIA.

Ad sinum Issicum et urbem cognominem, aedificata ab Alexandro M., quia hoc loco Darium ingenti praelio fudit. Ad aliarum urbium cognominum discrimen a Ptolemaeo aliisque dicta κατ' Ισσον, quod praestant et numi; in Tabula est *Alexandria catisson.*

Autonomi:

Caput muliebre turritum. Ɪ ΑΛΕ-ΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΖΡ. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Herculis imberbe. Ɪ ΑΛΕ-ΞΑΝΔΡΕΩΝ. *Figura togata stans d. extenta.* AE. II. (Hunter.)

Epochae annus in numo priore, et fabrica huic eum Alexandriae jure tribuunt, quin et similis typus est in numo Caracallae apud Vaillantium. Minus certum judicium de numo sequente, quem sibi forte etiam vindicare poterit Alexandria Troas.

AE. RRRR.

Regius.

Caput regis diadematum. Ɪ ΑΛΕ-

a) Bell. Alex. c. 66.

Digitized by Google

ΞΑΝΔΡΕΩΝ. ET. IP. *Bacchus stans.* AE. II. (Mus. Caes.)

De hoc numo distinctius agetur in numis Antiochi IV. Commagenes regis, ad quem eum pertinere ibi comprobabitur.

AE. RRRR.

Imperatorii.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΚΑΤ. ΙϹϹΟΝ. ϹΤΟΤϹ. ΑΠΡ. *Genius stans*, Trajani. (Vaill. Harduin. Chron. vet. test. p. 618.)

ΑΤΤΟΚΡΑ. ΑΔΡΙΑ. ϹϹΒΑ. ϹΤΟΤ. ϹΒ. *Caput Hadriani.* Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡ - - - ΙϹϹΟΝ. *Cybele leone vecta.* (Pellerin.)

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΚΑΤ. ΙϹϹΟ. ϹΤ. ΒΠϹ. *Fortuna stans*, Caracallae. (Vaill.)

* * *

Epocham variis his numis inscriptam Vaillantius ducit ab autumno V. C. 687., cum nempe Pompejus victis praedonibus Ciliciae res constituit. Eam Harduinus uno anno priorem facit [a]).

AE. RRR.

AMANIENSES.

Hoc nomine Cicero compellat Amani montis accolas.

Autonomus.

Caput Iovis. Ɪ AMANIT. ΔIO. E. A. *Mercurius stans.* AE. III.

Singularem hunc numum ex museo le Bret edidit Panelius. (Mem. Trev. 1737.)

AE. RRRR.

ANAZARBVS *quae et* CAESAREA.

Mediterranea in Cilicia campestri ad Pyramum fl. et Anazarbum montem, urbs illustris et Tarsi aemula. Historiam numismaticam Anazarbi prolixe ac eleganter descripsit insignis Belleyus [b]), ex quo, quae huc pertinent, tuto excerpsero additis propriis observationibus.

Vetus urbis nomen fuit *Anazarbus* sic dicta a monte, cui adstituta fuit, docente istud Stephano. Deinceps *Caesarea* nomen adoptavit beneficiis haud dubie ab Augusto adfecta circa annum V. C. 734., unde et epocham induxit, ut dicetur. Plinius: *Anazarbeni, qui nunc Caesarea.* Malala eam dictam *Diocaesaream* adserit [c]), sed fabulas ibi occinit, quas numi ipsi evertunt. *Caesarea* simpliciter, nulla addita Anazarbi mentione, dicitur in numo Neronis, quem infra prodaeam, verum ut ab aliis Caesareis discerneretur, dicta fuit Ptolemaeo Καισαρεια προς Αναζαρβῳ, et in numis Antonini, et M. Aurelii: ΚΑΙϹΑΡϹΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΤΩ. ΑΝΑΖΑΡΒ. (Belley l. c. p. 707. Mus. Caes.) vel: ΚΑΙ-ϹΑΡ. ΤΠ. ΑΝΑΖΑΡ. ut in autonomo. Istud Caesareae nomen in numis omnibus usque ad Aurelium signatis praefert, supprimitur inde a Commodo restituta vetere et unica Anazarbi appellatione, quod docent numi omnes inde ab hoc ad finem usque signati, constanter adeo inscripto ΑΝΑΖΑΡΒΟΤ. De epigraphe ΑΝΑΖΑΡΒΩ, vel ΤΩ. ΑΝΑΖΑΡΒΩ. ut in Veri et Commodi numis legit Vail-

a) l. c. b) B. L. T. XXXII. p. 707. c) Chronogr. L. X. sub fin.

Digitized by Google

lantius, jure dubitare liceat. Forte praeponendum ΚΑΙC. ΠΡΟC. ΤΩ.

Autonomi.

Caput barbatum laureatum. ☧ ANAZAPBЄΩN. *Mulier stans cum cornucopiae.* AE. II. (Hunter.)

ЄΠ. BAP. *Caput muliebre velatum, juxta fax ardens.* ☧ KAICAP. ΤΠ. ANAZAP. *Caput muliebre velatum, prae quo spicae et papaver.* AE. III. (Hunter tab. 14. n. IV.)

In posteriore hoc numo mentio situs peragitur praefixo ΤΠΟ, cum in aliis, ut vidimus, scribatur ΠΡΟΣ. Sed et Caesarea alia suum ad montem Panium situm indicavit scripto vel ΤΠ. ΠΑΝЄΙΩ vel ΠΡΟC. ΠΑΝЄΙΩ. Epigraphen anticae explicare non tento. Si vere scribitur ЄΠ., sequens vocabulum indicabit magistratum. At hactenus in Anazarbi moneta magistratus non comparuit. Quid si esset annus epochae, et vera lectio ЄΤ. BAP. Ex lege epochae Anazarbenae signatus tum esset numus V. C. 866. imperante Trajano, et sic capite Cereris in antica exhiberetur caput vel Plotinae, vel Marcianae, et capite Proserpinae in aversa caput Matidiae. Sed de hoc certius nos aliquando instruet Combius.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Apud Vaillantium incipiunt a L. Vero, Belleyus ex museo Pellerinii numos Antonini et Aurelii protulit. Hos omnes aetate praecedit numus Neronis, de quo copiosius agam infra, ubi de Anazarbi epocha disputabimus. Porriguntur apud Vaillantium usque ad Valerianum, sed Gallieni unum addidit Haymius.

Pars antica in numo M. Aurelii et L. Veri moris est insolentioris: CЄBAC. ANTΩNЄINOT. KAI. OTHP. OMONO. *Vterque imperator stans jungit dexteras, singuli s. volumen tenent.* (Belley l. c. Mus. Caes.)

KOINOBOTΛION. *Mulier sedens calculum in adstantem urnam immittit,* Caracallae. (Spanh. Orb. Rom. p. 290.)

De raro hoc in numis vocabulo agemus infra in numis Tarsi.

Reliqui typi nihil memorabile offerunt: *Diana in taurorum bigis,* in numo Paulae. (Pellerin Rec. III. p. 242.) *Capricornus super globo,* Gallieni, (Haym.) retento adhuc in Augustum adfectu.

* * *

Metropolis. Hic titulus primum comparet in numo Caracallae: ANAZAPBOT. MHTPOΠOΛЄΩC. ЄT. BΛC. (Spanh. l. c.) Ergo hoc honore non fuit decorata ab Elagabalo, ut censuit Vaillantius. Hoc titulo constanter deinceps gloriabatur, etsi is praeter honorem illi nihil addidit; nam quod ad juris contentionem attinebat, id omne ad Tarsum veram Ciliciae metropolin pertinuit, ut existimat Belleyus [a]).

* * *

ЄNΔOΞOT. *illustris*, qui titulus comparet primum in numo Corn. Paulae, (Pellerin Rec. III. p. 242.) deinde Maximi Caes. ANAZAPBOT. MHT. KAI ЄNΔOΞOT. in aliis: ЄNΔ. ЄN-

a) L. c. p. 717.

Digitized by Google

ΔΟΞ. Observat erudite Belleyus [a]), hanc appellationem urbi adhuc inhaesisse sub Diocletiano, nam in actis Martyrum scribitur: *ἐν Ἀναζαρβῳ τῃ* ΕΝΔΟΞΩΙ *μητροπολει.*

* * *

ΑΥΤΟΝΟΜΟC in binis numis Commodi. (Vaill.)

* * *

Certamina:

ΙЄΡΟC. *intra lauream*, Commodi. (Vaill.)

CЄΒΑCΜΙΑ *intra quernam*, Maximi. (Vaill.)

ЄΤ. ΙЄΡ. ΟΛΥΜΠ. *Vrnae ludorum*, Decii, de qua formula vide mox sub epocha.

* * *

Mentio situs:

A monte Anazarbo, in numis supra descriptis.

A Pyramo fl. ΠΥΡΑΜΟC. *Fluvius decumbens*, L. Veri. (Vaill.)

* * *

Literae solitariae: A. M. K. item Γ. Β. vel Γ. Γ. primum comparent in numis Paulae, aut forte Caracallae, de quarum probabili significatione agetur in Tarso.

* * *

Epochae annus fere constanter additur praefixo ЄΤ. ЄΤΟΥC. En annorum, quotquot reperi, catalogum.

ΗΠ. verius ΗΜ. ut infra dicetur, Neronis.

ΘΟΡ. Antonini, (Belley l. c.)

ΒΠΡ. Aurelii, (Belley l. c.) Veri. (Vaill.)

ΒC. Commodi. (Vaill.)

ΒΛC. Caracallae. (Spanh. Orb. Rom. p. 290.)

ΗΛC. Paulae. (Pellerin Rec. III. p. 242.)

ΗΜC. CΜΘ. Alexandri. (Theup. Vaill.)

ΔΝC. Maximini. (Vaill. Pellerin. Suppl. II. p. VII.)

ΞC. Gordiani. (Panel. de numo Trebon.)

ΑΞC. Tranquillinae. (Pellerin. Rec. III. p. 242.)

ΒΞC. Gordiani. (Mus. Caes.)

ΗΞC. Herennii. (Vaill.)

ΘΞC. Decii. (Mus. Caes.) de quo agemus infra.

ΟC. Volusiani. (Haym.)

ΒΟC. Valeriani et Gallieni. (Vaill.) Haym.)

ΔΟC. Gallieni. (Tanini.)

Hujus initium epochae ab antiquariis omnibus summa concordia fixum est ad autumnum V. C. 734. Nam quo minus in anteriorem posset dimoveri, vetant numi Maximini, Herennii, et Volusiani. Omnes tamen hi variis in numis citati anni, dempto primo Neronis, de quo mox, non obstant, quominus initium in annum sequentem 735 differri nequeat. At placuit antiquariis annus praecedens, quoniam illo Augustus ipse in Syriam profecturus in Cilicia aderat, resque ejus regionis composuerat, ut narrat Dio. Ex quo cum verisimile sit aliquid emolumenti accessisse Anazarbenis, hi ab eo anno epocham sunt auspicati.

a) l. c.

Digitized by Google

Haec epocha communibus antiquariorum suffragiis sua hactenus sede tuta turbari coepit a Mazzoleno [a]), qui ex Haymio citatum supra Volusiani numum cum anno OC. produxit, qui additus ad annum 734. exhibet annum V. C. 1004. in cujus autumno exiret annus Anazarbensium OC, seu 270. Verum secundum adcuratiores chronologos saltem in Novembri hujus anni superstes adhuc fuit Decius. Ergo epocha Anazarbi tutius ab anno 735. auspicanda. Addo numum Herennii cum anno HΞC., qui idem probet. Nam si initium aerae statuatur annus V. C. 734. annus numi exibit in autumno 1002. At constat, inchoato ejus anni autumno superstitem adhuc fuisse Philippum.

Tutius ergo ex mente Mazzoleni removetur epocha in annum sequentem 735., quem sequuntur etiam Belleyus et Pellerinius. Belleyus hujus epochae causam ab eadem, quam antea dixi, Augusti in Cilicia commoratione, et impertitis tum beneficiis repetit, quod etsi factum V. C. 734., tamen existimat, qualiacunque ea privilegia anno demum sequente a senatu comprobata, atque ab eo anno deductam aeram. Ex analogiae lege arguit etiam, urbes vicinas Antiochiam ad Sarum, et Sebasten ab eodem anno 735. epocham inchoasse [b]).

Memorandi hoc loco numi sequentes: ANAZAPBOT. ЄNΔOΞOT. MHTPOΠO. Γ. Γ. ЄT. IЄPOT. OΛTMΠ. ΘZC. *Quinque urnae ludorum prominentibus palmis*, in numo Decii. AE. I. (Mus. Caes.)

- - - MHTPOΠ. ЄT. IЄP. OΛTM. ΘZC. *Bacchus s. thyrsum jacenti humi pantherae insidet*, in numo Etruscillae. AE. I. (Mus. Caes.)

Vtrumque numum causa epochae, et inscriptionis singularis edidi in mea Sylloge I. p. 44. Priorem jam vulgavit Frölichius [c]), sed bis tum peccavit, ac primum quidem legendo ZΞC. 267. pro ΘZC. 269. Statuto enim, coepisse aeram Anazarbi V. C. 734., annus 267. exibit in autumno V. C. 1001. At tum Philippi imperium adhuc obtinuere. Quare necessarium jam visum fuit Frölichio, ad conciliandam temporum rationem aerae initium in annum 735. retrahere, quod deinde, ut vidimus, placuit Mazzoleno quoque et Belleyo. Sed neque sic sublata omnis difficultas. Nam admisso etiam posteriore hoc principio annus 267. exivit in autumno V. C. 1002., at constat, superfuisse adhuc Philippos post inchoatum hujus anni autumnum. Ad conciliandum ergo cum Decii temporibus praetensum hunc Frölichii annum necesse fuit Mazzoleno et Belleyo varia comminisci effugia, sed irrito sane labore. In eo enim numo non, quod Frölichius scripsit, legitur ZΞC, sed ΘZC, quod jam pridem in Catalogo musei Caesarei adversus Frölichium monui. Confirmavit judicium meum numus musei Theupoliani, qui idem prorsus est cum Frölichiano, et qui diserte annum ΘZC. enunciat. Quare tantum abest, ut hic Decii numus epochae Anazarbenae ab anno 735. ductae adversetur, ut ei etiam facile se accommodet.

a) Animad. in num. Pisan. p. 164. b) l. c. p. 723. c) IV. Tent. p. 342.

Digitized by Google

Alter Frölichii error ad anni inscripti epitheta pertinet. Legerat is: ЄΓ ΙЄΡΟΤ. ΝЄΟΤ. ΠΡΩτυ ΖΞС. *anno sacro novo* 267., qua is deceptus falsa lectione varia putat posse stabiliri, quae eruditi de ЕΤΟΤΣ. ΝЄΟΤ. ΙЄΡΟΤ. Flavioram numis argenteis inscripto docuerunt. At enim exploratis adcurate literis, et contento numo altero Etruscillae, quem proposui, legendum vidi ЄΤ. ΙЄΡΟΤ. ΟΛΤΜ. ΘΖС. *anno sacro Olympio* 269. Eandem vero etiam epigraphen offert laudatus numus Theupolianus, etsi partim false, partim timide ab anxio ejus praecone promulgatam; nam legit ЄΤ. СЄΡΟΤ. pro ЄΤ. ΙЄΡΟΤ. Quod sequitur tanquam evanidum, punctis notat, ex quo conficit literas ΟΛΤΠΠ. nempe indubitatum ΟΛΤΜΠ. Indicat ergo epigraphe annum per ludos Olympios, qui Anarzarbi agebantur, sacrum. Iam vero cum ludi Olympii etiam in aliis urbibus exemplo Olympiorum Elidis ineunte quovis quinto anno fuerint celebrati, per totum Decii imperium, quod non multum ultra biennium porrigebatur, nonnisi unus annus esse potuit, in quo hi ludi agerentur. Atqui numus Theupolianus, alterque Etruscillae eos actos memorant anno Anazarbi ΘΖС, ergo et eundem exhibere debet numus Frölichianus.

Cum ex laudatis hactenus numis satis certum sit, Anazarbi epocham initium ducere ab anno V. C. 735, tamen huic sententiae palam obloquitur numus Neronis, quem olim ex museo M. D. edidi, (Num. vet. p. 226.)

ΝЄΡΩΝ. ΚΑΙСΑΡ. *Caput laur.* Ꞧ. ΚΑΙСΑΡЄΩΝ. ЄΤΟΤС. ΗΠ. *Mulier sedens d. calculum in adstitutum vas mittit.* ΑЄ. ΙΙΙ.

Este ex veterum antiquarioram sententia annus V. C. 734. aerae principium, subducto calculo annus Anazarbensium 88. incipiet in autumno V. C. 821. At Nero jam mense Iunio ejusdem anni violentas sibi manus intulit. Multo minus, ut patet, anno sequenti 735. ejus initium poterit accommodari. Nihil aliud tum, cum numum ederem, reperi, quo difficultatem levarem, quam statuendo, duplicem aeram fuisse Anazarbenis usitatam, cujus exempla praebent Sinope, Antiochia etc. aliamque valuisse Neronis aetate, aliam deinceps. Quod si admittamus, viguisse tum apud eos aeram Actiacam ductam ab anno V. C. 723., numus hic Neronis cusus est ab autumno anni 810. Ita equidem ratiocinabar olim, sed aliud visum, cum serius numum Augustae Ciliciae a Pellerinio editum expenderem. Est is Neronis quoque, et inscriptus in aversa: ΑΤΓΟΤСΤΑ-ΝΩΝ ЄΤΟΤС. ΗΜ. Cum quo cum numum Anazarbi, de quo nunc sermo est, contenderem, vidi utrumque non modo capite Neronis, sed etiam aversae epigraphe egregie convenire. Cum igitur suspicarer, an non in altero hoc pro ΗΠ. legi quoque debeat ΗΜ., coepi in ectypon numi, quod ipse ex prototypo Mediceo expresseram, et adhuc possideo, adcuratius inquirere, ac tum adverti, superiorem literae lineam revera aliquantum inclinari, sic ut, quod Π esse mihi videbatur, certius Μ haberi possit. Ad haec cum constet, et Anazarbum, et Augustam perquam esse vicinas, nam sic Plinius: *Anazarbeni, qui nunc Caesarea, Augusta, Castabala*, probabile sane videtur, Anazarbenos et Augustanos Neronis aetate commu-

Digitized by Google

nem habuisse epocham, cumque Augustae aera, ut infra dicetur, adcurate fixa sit ad autumnum anni V. C. 773., prior etiam Anazarbi aera ad eundem annum videtur figenda. Quare etiam secundum hanc doctrinam duplex Anazarbi aera necessario statuenda est, prior ab anno V. C. 773. ex hoc Neronis numo, altera ab anno V. C. 735. ex numis laudatis demonstrata.

AE. R.

ANCHIALE.

Autonomum huic urbi tributum a Frölichio non huc pertinere, sed Antiochiam Cariae, legendumque esse ANTIOXEΩN, non ANXIAΛEΩN, alias monui [a]).

Imperatorios a variis propter inscriptionem ANXIAΛEΩN huc vocatos tribuendos verius Anchialo Thraciae, in hac dictum.

Nullam ergo certam habemus hujus urbis monetam.

ANEMVRIVM.

In Cilicia aspera cum promontorio cognomine.

Autonomi.

Caput muliebre velatum turritum. ℵ ANEMΩTPIEΩN. *Iuvenis nudus stans d. arcum protendit, s. columnae innixus.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

A Domitia usque ad Valerianum.

Epigraphe: ANEMOTPIEΩN. ANEMOPIEΩN.

Typi: *Diana Alphaea fasciis involuta veloque circumdata cum tutulo d. aliquid ignotum, s. securim,* Alex. Sev. His verbis numum describit Vaillantius. Similis ejusdem Alexandri exstat in Theupoli. — *Perseus stans cultu solito,* Maximini, AE. m. m. (Catal. d'Ennery.)

Magistratus praetor, saltem auctoritate Vaillantii: CTP. ANT. ANEMOTPIEΩN. Harduinus numum dissimulat, neque alter aliquis hujus urbis cum magistratu citatur.

Anni imperii: ET. Δ. Alexandri. (Theup.) ET. IΓ. ejusdem. (Vaill.) ET. A. Maximini, (Catal. d'Ennery.) ET. A. Decii, (Tanini) ET. B. Γ. Valeriani, (Vaill. Mus. Caes.) ET. F. ejusdem, in numo, quem vidi Vindobonae.

AE. RR.

ANTIOCHIA *ad Sarum, quae et* ADANA.

Geographi veteres et numi binas urbes ad Sarum fl. memorant, Adanam et Antiochiam; pro Adana vide testimonia apud Cellarium, pro Antiochia numos sequentes tres:

Caput Antiochi IV. Syriae regis. ℵ ANTIOXEΩN. TΩN. ΠPOΣ. TΩI. ΣAPΩI. *Iuppiter sedens.*

Hic numus ignotus fuerit Frölichio, nam in Annalibus suis ejus non meminit, neque eum Vaillantius in suis Syriae

a) Num. vet. p. 55.

Digitized by Google

regibus produxit, sed obiter ejus ex museo suo meminit in suis numis Impp. Graecis [a]). Ex quo apparet, eum serius cimelium istud adeptum fuisse.

Caput muliebre velatum. Ϟ ANTIOXEΩN. TΩN. ΠPOΣ. TΩI. ΣAPΩI. *Equus liber gradiens.* AE. II. (Pellerin Rec. II. p. 161.)

Caput M. Aurelii. Ϟ ANTIOX. IEP. KAI. ACTΛ. Π. CAPON. POB. *Iuppiter stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus ara.* (*Vaill.*)

Soli sunt hi tres numi, qui de Antiochia Saro adstituta nos edocent. Scriptores veteres tacent. Vnus Stephanus Antiochiam in Cilicia prodit, sed his verbis: ἑκτη Κιλικιας, ἐπι τω Πυραμω, *sexta Ciliciae ad Pyramum.*

Eruditus Belleyus in prolixa dissertatione probare contendit, Antiochiam ad Sarum eandem esse cum Adana, sic ut posterius hoc nomen fuerit ejus pervetustum, alterum Antiochiae inditum ab Antiocho IV., sed hoc serius abolitum resumpto vetere Adanae, perinde ac Anazarbus abolito adscititio nomine *Caesareae* ad vetus suum rediit [b]). Sic Tarsum quoque ab eodem Antiocho dictam fuisse Antiochiam diserte tradit Stephanus [c]), et verisimile etiam est, ab eodem Antiocho Epiphane nomen traxisse Epiphaneam Ciliciae, quam antea dictam Oeniandum tradit Plinius. Argumenta Belleyi sunt I. Typus Iovis sedentis, qui item occurrit in numis Adanae nomine sub Caracalla et Valeriano signatis. II. Haec Antiochia Antonini aetate urbs non parum illustris fuit, quod indicant tituli ἱερας και ἀσυλου in laudato supra Aurelii Caes. numo, et tamen ab adcuratissimo Ptolemaeo in recensione urbium Ciliciae reticetur, sed tantum nomine *Antiochiae*, nam reipsa eam, sed vetere et populari *Adanae* nomine commemorat. III. Inde a M. Aurelio nullus amplius comparet numus cum epigraphe *Antiochiae ad Sarum*, Adanae nomine complures. Ante Aurelium nullus nomine *Adanae*, cujus una causa est dicta nominis permutatio. Quare conjicit etiam, Stephanum per errorem scripsisse: Επι τω Πυραμω pro Επι τω Σαρω, erraveritque in fluvii mentione, ut Zonaras et Cedrenus, qui in describendo Mopsi situ Sarum pro Pyramo posuerunt. Haec pleraque Belleyus, quae veri speciem habent quidem, sed adsensum nondum extorquent.

* * *

Typi, ut vidimus, sunt obvii. Ad equum gradientem observandum, laudatos jam Herodoto fuisse Cilices equos, qui refert, a Dario Hystaspis imperatum Cilicibus tributum annuum equos albos trecentos sexaginta [d]). Equum offert etiam numus Seleuciae ad Calycadnum.

* * *

Epocha POB. in citato Aurelii numo, quam Vaillantius ducit ab anno V. C. 734. Sed Belleyus [e]), et Pellerinius [f]) exemplo vicinae Anazarbi eam deducunt ab anno 735. Signatus ergo est numus ab autumno V. C. 906. Oportet adeo epigraphen Aurelium prodere Caesarem, quod more suo negligit Vaillan-

a) Pag. 255. b) B. L. T. XXXV. p. 610. c) in Ταρσος. d) L. III. §. 90. e) l. c. f) Mel. II. p. 313.

Digitized by Google

tius, nam eo anno nondum Augustus fuit.

AE. RRR.

* * *

Adanae nomine plures exstant numi.

Autonomi:

Protome Palladis. Ɪ ΑΔΑΝΕΩΝ. ΑΤϹΑΝΙΟΤ. ΜΑ. *Victoria gradiens.* AE. II. (Pembrock.)

Caput Iovis. Ɪ ΑΔΡΙΑΝϵΩΝ. ΑΔΑΝϵΩΝ. *Protome Palladis.* AE. III. (In meis Num. vet. p. 225.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

Reperti a Domna usque ad Gallienum.

Epigraphe ΑΔΑΝϵΩΝ.

Typi: Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam, Decii, (Mus. Caes.) Valeriani. (Vaill. Theup.) — *Caput muliebre turritum inter signa zodiaci*, Gordiani. (Theup.)

* * *

Nomina ab Impp.

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΑΔΑΝϵΩΝ. in autonomo, tum Diadumeniani, Philippi, Treboniani, Gordiani, Decii, Valeriani. (Vaill. Mus. Caes. Theup.)

ΑΔΡ. ϹϵΤ. ΑΝΤΩΝϵΙΝΟΤΠΟ. ΑΔΑΝϵΩΝ. Domnae. (Num. vet. l. c.)

ΜΑΞΙΜϵΙΝΙΑΝΩΝ. ΑΔΑΝϵΩΝ. Maximini. (Theup.)

* * *

Ludi.

ΙϵΡ. ΟΙΚ. id est ἱερὸς ὀικουμενικος, in numo Domnae, (Num. vet. l. c.)

* * *

Literae solitariae: Z in numo Philippi. (Panel de num. Trebon.)

* * *

Historiam hujus Adanae late descripsit Belleyus in dissertatione laudata, ubi et varias inscriptiones huc pertinentes adfert. Notandum, in nullo numo Adanae nomine inscripto notari epocham, quae tamen occurrit in numo Antiochiae nomine signato. An urbs, quae nomen mutarit, mutaverat etiam mores? Certe Anazarbus, seu Caesaream se, seu Anazarbum inscripsit, epocham utrobique signavit.

AE. RR.

ANTIOCHIA INCERTA.

Autonomus:

Caput muliebre turritum, pone monogramma. Ɪ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟ - - - ΑΚΩΙ. *Iuppiter sedens d. hastam, in area hinc* F, *inde* H. AE. II. (Mus. Caes.)

Numum hunc in mea Sylloge I. pictum stiti [a]). Typus, fabrica, inscriptionis modus numum hunc esse Cilicium profitentur. Adsitam se haec urbs cuipiam seu fluvio, seu monti profitetur in ΑΚΩΙ desinentem, sed quam terminationem in Ciliciae geographia nondum reperi. Expectandus igitur numus, qui mancum id vocabulum plene efferat. His in dubiis fueram, cum in opere cl. Sestini nuper edito in veram, ut ipse profitetur, hujus numi explicationem incidi. Ait, mancam numi epi-

a) Pag. 46.

Digitized by Google

graphen sic explendam: ANTIOXEΩN. TΩN. ΠPOΣ. TΩI. KPAKΩI. vel: TPAKΩI. Istud statuendi causa illi Baudrandus geographus, cujus ipse recitat verba: *Antiochia super Tragum, urbs Ciliciae asperae, in ora maris Cilicii, Ptolemaeo Antiochetta, -- sic dicta fuit alias, quia sedet juxta Tragum fluvium, et prope Cragum oppidum.* Vt ergo, pergit Sestinus, Cragum oppidum, vel Tragus fluvius concilietur cum scriptura numi KPAKΩI, vel TPAKΩI, sciendum, saepe a Graecis pro Γ usurpatam literam K. Sic pro AKPAΓAΣ legi etiam AΓPAΓAΣ, et pro ΘEOΓAMIA legi ΘEOKAMIA. His ergo, ait, testimoniis nos doceri, memoratam in hoc numo Antiochiam esse eam, quae a situ juxta Tragum fluvium, et Cragum oppidum nomen tulit. Haec ille [a]). At enim consultius egisset vir eruditus, si, antequam isthaec adsereret, Baudrandi sui auctoritatem in judicium vocassset. Enim vero neque Tragum fluvium, neque Cragum oppidum intra Ciliciae fines apud veteres geographos, neque Antiochettam apud Ptolemaeum reperio. Quae ergo Sestino ab inconsultis his testimoniis fiducia? Neque majoris momenti videntur ipsa Sestini argumenta. Γ et K a Graecis promiscue fuisse usurpata, probat ex inscripto Agrigenti numis jam AKPAΓAΣ jam AΓPAΓAΣ, at dixi in hujus urbis moneta, epigraphen AΓPAΓAΣ valde mihi videri suspectam. ΘEOKAMIA pro ΘEOΓAMIA mihi ex numis ignotum, neque facile dedero promiscuum hunc inter Graecos τε K et Γ usum, nisi sub certis legibus, sed quae ad praesentem causam non valent, et quas modo exponere longum foret. Quocirca licebit hanc Ciliciae Antiochiam adhuc nobis ignotam putare.

AE. RRRR.

ARGOS.

Hactenus numi omnes inscripti APΓEIΩN tributi fuere Argis Aeolidis. Pellerinius, cum in binis numis Gallieni et Saloninae videret literas arithmeticas IЄ, vel Z, quae tantum in Cilicia, Pisidia, et vicino tractu numis inseri consuevere, praeterea fabrica Peloponnesum minus sapere videretur, aliud in hac vicinia Argos circumspexit, et obtulit unum Stephanus [b]): Κιλικιας, ἡ νυν Αργειοπολις [c]). Eruditam Pellerinii conjecturam amplius promovi in meis Numis vet. [d]), cumque viderem, in his numis typos esse ejus generis, qui jure possunt ad Argos Argolidis pertinere, multo magis credibile videbatur, quod jam etiam suspicatus est Pellerinius, hoc Ciliciae Argos esse revera ductam ex Argolide coloniam, quod in eodem meo opere pluribus comprobare conatus sum inde a pag. 76. Addo, me etiam hoc Ciliciae Argos reperisse in Philostrato [e]), cum narrat, Apollonium a Tito invitatum, ut ad se Argos veniret ex Syria Romam reducem. Fuisse autem illud Ciliciae Argos, patet ex sequente

a) Lettere pag. 55. b) in Αργος. c) Mel. I. p. 22. d) pag. 225. e) Vit. Apollon. L. VI. c. 30.

Digitized by Google

capite 34., quo narratur, eum cum Tito Tarsum descendisse. Αργαιος βους, *Argaei collis* in Cilicia meminit etiam Zonaras [a]).

Imperatorii

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Mercurius gradiens d. crumenam, s. caduceum, in area majore forma* IA. Valeriani. (Arigoni.)

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Perseus stans d. caput Medusae, s. harpam, in area* IA. Valeriani. (Num. vet. p. 225.)

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam, pro pedibus adsurgit serpens, pone triquetra.* Valeriani. (Ibid.)

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Corona, intra quam* IЄ. Gallieni. (Pellerin. Mel. I. p. 22. Arigoni.)

ΑΡΓΕΙΩΝ. *Pavo stans, supra Z,* Saloninae. (Pellerin l. c.)

Hos numos ad hoc Argos pertinere praeter harum literarum indicia etiam istud argumento est, quod paucae Peloponnesi urbes extra Severi imperium signavere monetam, et quae signaverunt, eam vix ad Gordiani aetatem porrexerunt. Hujus vero tractus sub ipso Gallieno ejusque familia copiosam habemus monetam etiam urbium tenuissimarum. Pavo ad cultum Iunonis pertinet Argis Argolidis celebrem, et Perseus domo Argivus penitus cum ea Peleponnesi urbe connectitur, de quo abunde disserui in meo opere locis laudatis. Ex hac ergo metropoli in hanc Ciliciae coloniam avita religio derivata est.

Hoc inter utriusque urbis numos discrimen servandum existimavi, non quod Pellerinii auctoritate me abripi paterer a qua saepe apertis ejus ingratiis discessi, sed quod argumenta, sive, quae ipse attulit, sive quae indiganti mihi sese obtulere, satis idonea visa sunt, quibus adsensum praestarem. At nuper cl. Sestinus fastiditis Ciliciae Argis numos omnes inscriptos ΑΡΓΕΙΩΝ Argis Argolidis restituendos edixit [b]). Causa illi praecipua, quod sibi ex Peloponnesi vicinia numi aliquot imperatorii Argorum Argolidis Constantinopolim adlati essent, quos inter fuere etiam iidem illi bini, quos Argos Ciliciae sevocavit Pellerinius. At enim argumentum istud non semper valere, ut inter omnes artis nostrae studiosos facile constat, sic et ipse alias professus est [c]). Nisi ergo iterata possit commemorare exempla, numos similes eodem itinere adferri, nullam reperio mutandi consilii mihi impositam necessitatem. Modum, quo literas IA. IЄ. Z. etc.: explicat, vereor, ut aeque aliis, atque ipse sibi, persuaserit.

Qua ratione triquetra numi III. cum Argis Argolidis connectatur, per conjecturas copiose disputavi in meis Numis vet. inde a pag. 76.

AE. RR.

AVGVSTA.

Diversa a Sebaste ejusdem regionis, et Papho Cypri, quae ipsa quoque Augusti permissu *Augusta* appellata est [d]).

a) L. XVI. c. 5. b) Lettere. T. III. p. 111. c) Lettere T. I. p. 97. d) Dio L. LIV. §. 23.

Digitized by Google

Vicina fuit Anazarbo, nam sic de his Plinius: *Anazarbeni, qui nunc Caesarea, AVGVSTA, Castabala.* Hujus urbis numos egregie descripsit Belleyus [a]).

Autonomus.

Caput muliebre. ℞ ΑΤΓΟΤΣΤΑΝΩΝ. *Capricornus tenens globum, superne astrum.* AE. III. (Pellerin.)

Expressum in hoc Augusti symbolum, a quo urbs nomen sumpsit. Similem jam edidit Spanhemius [b]), sed inique in Siciliam derivavit, in qua hodie superstes est oppidum *Agostae* nomine, sed veteribus ignotum.

AE. RRRR.

Imperatorii.

A Nerone usque ad Valerianum, ex quibus eos, qui epocham continent, descripsit Belleyus [c]). Quin ex ejusdem sententia caput muliebre numi autonomi exhibet Iuliam Augusti F.

Epigraphe ΑΤΓΟΤCΤΑΝΩΝ. *Typi* obvii.

* * *

Epochae annos plerisque inscripsit praefixo ЄΤ. ЄΤΟΤC.

HM. Neronis. (Pellerin.)

HOP. Caracallae capite laureato. Sed est annus dubius. (Haym.)

HqP. Elagabili. (Haym. T. I. p. m. 123.)

HKC. Philippi sen. (Mus. reg. Gall.)

AMC. Valeriani. (Pellerin.)

Epochae principium Vaillantius fixit ad annum V. C. 771. Harduinus 770. Verum ex numis Neronis, Caracallae, Elagabali, et Valeriani docemur, figendam esse ad autumnum V. C. 773. Ejus constitutae causa ignoratur; quam enim Vaillantius adfert, aeque fallax est, atque ipsum, quod dictavit, aerae principium.

Ex hujus epochae lege arguit Belleyus, Valerianum in autumno anni P. X. 260. nondum fuisse apud Persas captivum.

Supra dictum, Anazarbum Neronis aetate communem cum hac Augusta aerae legem habuisse.

AE. RR.

CAESAREA AD ANAZARBVM.

Vide supra in Anazarbo.

CASTABALA.

Numos huic urbi tributos esse verius Castabalorum Cappadociae, in his disputabitur.

CELENDERIS.

Maritima in Trachea.

Autonomi:

Sine epigraphe. Hircus respiciens flexo anteriore genu. ℞ *Quadratum incusum.* AR. I. II. (Hunter, Pellerin.)

ΚΕΛ. ΚΕΛΕΝ. *aut etiam sine epigraphe. Vir nudus equo currenti non*

a) B. L. T. XXVI. p. 406. b) T. I. p. 240. c) l. c.

Digitized by Google

inequitans, sed insidens. ℞ *Hircus respiciens flexo anteriore genu.* AR. I. (Pellerin, Hunter.)

Venerabiles sunt hi numi propter omnia canae vetustatis argumenta, quo nomine praecipue se commendant Hunteriani. Videtur hircus religionem involvere. Tacitus, ubi de sacrificiis Veneris Paphiae disserit, addit, certissimam Paphi fidem habitam hoedorum fibris, at simul testatur, eam haruspicum scientiam e Cilicia accitam [a]). Equitem partis anticae Sandocum Astynoi F. putat Panelius [b]), qui e Syria in Ciliciam profectus Celenderin condidit [c]).

* * *

Caput muliebre velatum turritum, retro variae literae. ℞ ΚΕΛΕΝΔΕΡΙΤ. *Apollo nudus stans cum lyra columellae imposita.* AE. II. (Pellerin.)

AR. RRR. AE. RRRR.

Imperatorii.

Commodi inscriptus ΚΕΛΕΝΔΕΡΙΤΩΝ. typo Neptuni stantis. (Pellerin. Lettres p. 8.) Alter Etruscillae apud Vaillantium, sed is perperam, ut videtur, epigraphen legit: ΚΕΛΕΝΔΡΕΝΩΝ.

AE. RRRR.

CENNATI.

Vide infra in numis Olbae.

CODRIGAE.

Ejus oppidi, et institutorum hic lu-dorum mentio fit in numis Tarsi, quam vide.

COLYBRASSVS.

In Trachea versus Pamphyliam teste Ptolemaeo, sed cui scribitur Κολοβρασσος, in Notitiis varie, sed tamen etiam in quibusdam secundum numos Κολυβρασσος. Cellarius hanc urbem ignoravit.

Imperatorii. Pellerinio cogniti tres, Treboniani unus, et duo Salonini. In utroque hic dicitur CEBαςος [d]), de quo titulo vide numos Salonini commatis Latini. Alium Valeriani edidit Panelius ex museo le Bret [e]).

Epigraphe: ΚΟΛΥΒΡΑCCΕΩΝ. *Typi: Pallas stans, vel: Iuppiter stans in templo d. fulmen, s. hastam.*

Ludi: ΓΥΜΝΑCΙΑΡΧΙΑ *inscriptum templo tetrastylo, in quo tres urnae super mensa,* Salonini. (Pellerin. l. c.)

Ludi hi leguntur etiam in numo vicinae Syedrae, si tamen ludi fuere dicti Γυμνασιαρχια, de quo vocabulo vide quae observabo in tractatu de ludis.

Literae solitariae IA. juxta caput Salonini, infra quod aquila expansis alis.

AE. RRR.

CORACESIVM.

Maritima Tracheae, prima a Pamphylia.

Imperatorius Hadriani ΚΟΡΑΚΗCΙΩΤΩΝ. (Vaill.) Saloninae: ΚΟΡΑΚΗCΙΩΝ. (Haym.)

---

a) Hist. II. 3. b) Mem. Trevoux Octob. 1737. c) Apollodor. L. III. c. 13. §. 3. d) Rec. III. p. XXVII. et 249. e) Mem. Trev. Octob. 1737.

Digitized by Google

Literae solitariae IA. ante caput Saloninae.

AE. RRRR.

CORYCVS.

Maritima, et a Trachea principium Campestris.

Autonomi:

Caput muliebre turritum. Ϡ ΚΩΡΤΚΙΩΤΩΝ. *Mercurius stans d. pateram, s. cornucopiae.* AE. II.

Horum complures editi sunt a Frölichio [a]) Pellerinio, aliisque. Mercurium Coryci impensius cultum non modo hi numi docent, sed etiam, quod in hymno Orphico diserte Κωρυκιωτα dicitur [b]). Adde epigramma Archiae [c]):

Ερμη Κωρυκιων ναιων πολιν, ὦ ἀνα, χαιροις
Ερμη, και λιτῃ προσγελασσας ὁσιῃ.

Mercuri Coryciorum habitans urbem, o rex! salve
Mercuri, et precibus adride sanctis.

In utraque horum numorum superficie vagantur literae solitariae, aut arithmeticae, aut vocabulorum exordia. Frölichius literas ΔΤ. numi sui epocham notare credidit [d]), sed eodem loco in Pellerinianis legitur ΑΜ, et in uno etiam solum Α. Iure igitur conjicit Pellerinius, verisimile non esse, intervallo CCC. annorum typos, aut fabricam monetae Coryciotarum nullas vices passam. Aliud igitur hae literae notant, praecipue cum teste Pellerinio etiam in numis vicinae Seleuciae juxta caput Palladis sint literae Σ, vel ΣΑ.

Idem literas HP. TAP. quae sunt in aversa numi sui, existimat indicare concordiam Coryciotarum cum Tarso et Heraclea quapiam. Sed rursum eodem loco in Pellerinianis aliae comparent literae, quae de urbium nominibus explicari vix possunt.

AE. RR.

Imperatorii.

Exstant Trajani, (Pellerin.) Caracallae, etc. Gallieni.

Navarchis: hic honos praedicatur inscripto: ΚΩΡΤ. ΝΑΤΑΡ. ΑΤΤΟΝΟ - - in numo Caracallae. (Arigoni.) vel: ΚΩΡΤΚΙΩΤΩΝ. ΝΑΤΑΡΧΙΔΟC. Gordiani. (Mus. Caes.) vel: ΚΟΡΤΚΙΩΤΩΝ. ΑCΤ. ΝΑΤΑΡΧΙC. Valeriani. (Mus. Caes.)

Autonoma dicitur in laudato Caracallae, tum et ΚΟΡΤΚΙΩΤΩΝ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. in numis Gordiani et Gallieni.

Asylum in dictis numis Valeriani.

* * *

Ludi Theogamia.

Bacchus stans cum attributis, juxta tripus cum urna, cui inscriptum ΘΕΟΓΑΜΙΑ, Valeriani. (Vaill. Theup.)

Fuere celebrati in memoriam nuptiarum Plutonis et Proserpinae, cum quibus sociari Bacchum insolentius videatur. Vaillantius in numo suo fugientes literas dixit [e]). In simili musei Pisani praetenditur urnae inscriptum ΘΕΜ. Superest ergo una fides ex numo Theu-

a) Animadv. in num. urb. b) Hymn. XXVII. v. 8. c) Brunck. Anal. T. II. p. 97.
d) l. c. e) Num. Graec. p. 335.

Digitized by Google

poliano. Certa Θεογαμια habemus in numis Nysae Cariae.

AE. RR.

DALASIS.

Portio Ciliciae apud Ptolemaeum, cui *autonomum* Pellerinius adjudicat, et prolixe de eo disserit [a]), an etiam persuadeat, arbitretur lector.

DIDYMAE.

Imperatorium Valeriani Bandurius inique huc adigit inscriptum, ut ipse profitetur: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΑΤΡ. ΔΙΟΓΕΝΟΤC. ΔΙΔΤΜΑΙΩΝ. ЄΙΛΗCΙΩΝ., ex quo is concordiam inter Didymas Ciliciae, et Ilesium Boeotiae arguit [b]). Est is numus Mileti Ioniae, legendumque: ΔΙΔΤΜЄΙΑ. ΜЄΙΛΗCΙΩΝ. atque istud tanto certius, cum ex aliis numis apud Haymium, Arigonium, Vaillantium constet, Valeriano imperante fuisse Aurelium Diogenem archontem Mileti.

DIOCAESAREA.

Hierocles et Notitia in hoc tractu urbem hoc nomine memorant quidem, sed provinciae Isauriae contribuunt, exiguo discrimine. In Ciliciam eam constituunt numi propter additum KENNATΩN, de quo videatur Belleyus [c]), et de quibus numis sic inscriptis agetur mox infra in numis Olbae, et huic subjectis numis Polemonis, et Ajacis toparcharum. Malala Anazarbum antea dictam Diocaesaream statuit, sed fabulosa ea sunt omnia, quae ibi narrat [d]). Hujus Diocaesareae numos ordine recenset ibidem Belleyus, suntque [e]):

Imperatorii Philipporum: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ΜΗΤΡΟ. ΚЄΝΝΑΤΩ. *Hercules nudus decumbens cum clava et exuviis leonis*, in alio: *Fulmen mensae impositum.*

Forte non inique huc revocavero numum Severi: ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. *Fortuna stans*, quem Pellerinius Diocaesareae Phrygiae largitur [f]). Diocaesaream Ciliciae constat Hadrianae titulo gavisam, qua usam alteram Phrygiae non constat.

AE. RRRR.

DORON.

Imperatorium M. Aurelii nondum Augusti edidit Frölichius: (IV. Tent. pag. 203.)

ΟΛ. ΔΩΡЄΩΝ. ΒΟC. *Hercules nudus stans sinistram cum Gigantis in binas draconis caudas desinentis dextra committit, d. elata ictum intentat.* AE. II.

Numus hic nunc est in museo Caesareo, et sanus, ac integer. Epigraphe suspensum diu virum eruditum tenuit, qua in urbe signatum hunc numum ediceret, dum denique in Ciliciae urbe acquiesceret, quam *Doron* vocat Plinius, et Calycadno fl. eique adsitae Seleuciae admovet. Huic sententiae non parum favet typus; nam similis dimicatio cum Gigante, sed decertante Pallade, comparet frequenter in numis

a) Suppl. II. p. 27. b) T. I. p. 122. c) B. L. T. XXI. p. 428. d) Chronogr. L. X. sub fin. e) pag. 440. f) Mel. II.

Digitized by Google

dictae Seleuciae, ut adeo utrique vicinae urbi certa communis typi ratio videatur fuisse proposita. Acrius Frölichium vexat praefixum ΟΛ., dum demum expensis omnibus mallet indicari concordiam cum Olba Stephani, vel Olbasa Ptolemaei initam. Minus istud videtur verisimile, cum saltem ex numo nullum appareat concordiae indicium. Abest enim vocabulum ὁμονοια, abest duplex typus, et concordiam cum aliis urbibus inivisse Cilices, saltem ex numis certis non constat.

Alia occurrit conjectura, quam eruditorum hic arbitrio liceat proponere. Ex Plinii testimonio [a]). Doron vicinum fuit urbi, quam *Holmoe*, et mox infra *Holmia* vocat, adsitam mari, quamque antea incoluere Seleucenses, antequam Seleuciam ad Calycadnum a mari nonnihil remotiorem migrarent, ut testantur Plinius, Strabo, Stephanus. Forte Doron in Holmensium agro situm fuit, atque ut sese ab aliis urbibus nomine adfini distingueret, agri, in quo situm erat, mentionem addidit, scripsitque adeo: ΟΛ. ΔΩΡΕΩΝ. Forte vacuos Seleucensium discessu Holmos occupavere Dores, quos cum aliunde, tum adcuratius ex Strabone constat, multum per Asiam minorem fuisse vagatos, urbemque de se Doron dixere, addito tamen in numo, ut saepe alias factum, vetere urbis nomine, ut adeo Holmoe et Doron, inter quae Plinius distinguit, reipsa una eademque urbs fuerint. Sed haec per solam conjecturam disputata sunto.

Epochae annum BOC. 272. Frölichius refert ad annum V. C. 623., quo Cilicia a senatu R. data est regibus Cappadociae referente Iustino.

AE. RRRR.

ELEVTHEROCILICES.

ΕΛΕΤΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΤΡΑΜΩΙ. De hoc numo vide, quae dicturi sumus in numis Seleuci VI. Syriae regis.

EPIPHANEA.

In Cilicia Campestri prope Issum. Olim dicta *Oeniandos* teste Plinio, sed Antiochi Epiphanis gratia, ut censent Norisius et Belleyus, nomen commutavit. Fuit etiam altera ejusdem nominis in Syria ad Orontem fl. At multum conflictati sunt Norisius, Vaillantius, aliique veteres antiquarii in collocandis rite numis Epiphaneae nomen ostentantibus. Eos Belleyus novorum supplementorum subsidio certius definivit in elegante dissertatione de utriusque urbis numis [b]). Inter hos numos Epiphaneae nomine inscriptos esse distinguendum, docuere additi epochae anni. Nam cum in uno Gordiani numo legeretur annus 206., in altero ejusdem Gordiani annus 306., necesse erat, alios numos tribuendos huic, alios alteri Epiphaneae. Cum vero ex numis constet, aeram Epiphaneae Syriae figendam ad annum V. C. 690., manifestum est, alios, quorum anni numis inscripti cum hac aera componi non possunt, esse Epiphaneae Ciliciae. Ejus generis:

a) L. V. p. m. 270. b) B. L. T. XXVI. p. 391.

Digitized by Google

Imperatorium unicum, eumque Gordiani, reperit Belleyus: ЄΠΙΦΑΝЄΩΝ. ЄΤ. SC. *Serapis sedens d. pateram, s. hastam, pro pedibus animal triceps.*

Epocham figit Belleyus [a]) ad V. C. 790., quo Caligula Antiocho Commageno partem maritimam Ciliciae tradidit. Graviter peccat Harduinus, qui eundem Gordiani numum describit, sed aerae annum legit ϛT., quo statuto idem aerae principium hujus Epiphaneae et Alexandriae ad Issum esse contendit [b]).

AE. RRRR.

Autonomum tamen etiam musei Medicei huc referendum conjicio a me olim editum [c]).

Epigraphe extrita. Caput juvenile hedera coronatum. Ϫ ΤΡΑΙΑΝΟΠΟ. ЄΠΙΦΑΝЄΩΝ. *Figura barbata alte succincta stans d. capiti admota.* AE. III.

Similis typus aversae est etiam in numo vicinae Mopsuestiae. Hic si huc pertinet, docemur, hanc urbem nomen a Trajano sumptum tulisse, qui forte urbi beneficia quaedam praestiterit, quando anno V. C. 867. in Parthos moturus hunc tractum peragravit.

AE. RRRR.

FLAVIOPOLIS.

Taurum versus supra Anazarbum. Nomen et epochae principium traxit a Flavio Vespasiano. Incertum, quod vetus ejus fuerit nomen.

Imperatorii a Domitiano usque ad Valerianum.

Epigraphe: ΦΛΑΟΤΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ.

Typi: Capita Sarapidis et Isidis. — Mulier turrita sedens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens. (Pellerin. Suppl. I. pag. 34.)

Epochae anni plerumque inscribuntur praefixo ЄΤ. vel ЄΤΟΤϹ.

ZI. Domitiani. (Pellerin.)

M. Trajani. (Pellerin.)

HΞ. Antonini. (Vaill.)

ΔIP. Commodi. (Vaill.)

BKP. Domnae. (Pellerin. Suppl. I. p. 34.)

ΔMP. Diadumeniani. (Vaill.)

ΔNP. PNЄ. Alexandri. (Theup. Vaill.)

ΔΠP. Valeriani. (Theup.)

Epochae principium Vaillantius ducit ab autumno V. C. 827., quo eodem anno opportune constat, a Vespasiano Ciliciam in provinciae formam redactam, quod factum ejus imperii anno V. Cum Vaillantio conspirant omnes.

AE. RR.

HAMAXIA.

Maritima in Trachea.

Autonomus:

Caput juvenile dubium. Ϫ ΑΜΑΞΙΩΝ. ΠЄ. *Contignatio trium trabium, quarum uni avicula insidet.* AE. III.

Singularem hunc numum, qui fuit olim in museo Savorgnan, olim edidi subjectis Khellii nostri observatis [d]). Vir eruditus hoc typo indicari putat, quod de hac Hamaxia refert Strabo, eo materiam fabricandis navibus deportari.

AE. RRRR.

---

a) l. c. p. 398. b) Chron. vet. test. ad ann. V. C. 686. c) Num. vet. p. 228. d) Num. vet. p. 229.

Digitized by Google

HIEROPOLIS.

Exstant *Autonomi:*

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΤΡΑΜΩ. *Vir nudus undis innatans d. porrecta aquilam tenet.* AE. II. (Haym. T. II. p. 137. Pellerin, Theupoli p. 1273.) In aliis: *Mulier sedens.* AE. II. (Hunter.)

Hieropolin aliquam in Cilicia positam, et quidem distincte ad Pyramum fl. soli hi numi produnt, geographi omnes altum tacent. Quae causa est, cur omnino existimem, Hieropolin esse novum ac adscititium nomen, quod pro vetere aliquamdiu constiterit, ac rursum abolitum, cujus exemplum habemus in Anazarbo, quae aliquanto tempore Caesarea dicta est, atque iterum Anazarbus, ut copiosis aliis exemplis abstineam. Sic et testibus Strabone et Plinio Hierapoleos Cyrrhesticae verum et vetus nomen fuit Bambyce, praevalente deinde altero causa sanctitatis. Verisimile mihi videtur, hanc Ciliciae Hieropolin esse eandem cum Megarso; nam praeterquam quod utriusque faciei typus respondet, etiam inscriptio: ΜΕΓΑΡΣΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΤΡΑΜΩ. ejus fidem facit, tum quod simili forma concepta est, tum quod mentionem Pyrami quoque adjicit, ac forte ea urbs Hieropolis dicta est a Palladis cultu, qui ibi clarus exstitit, ut in Megarso dicetur.

Secundum aliquos antiquarios numi Diadumeniani et Elagabali inscripti ΙЄ-ΡΟΠΟ. ΚΑCΤΑΒΑΛΑ. concordiam inter binas Ciliciae urbes Hieropolin et Castabala indicant; verum hos numos esse Castabalorum Cappadociae, quae et Hieropolis nomine gloriabatur, in hujus urbis numis probari adnitar.

AE. RR.

ΙΘΤΑΡΕ.

In trachea, quam Plinius inter Arsinoen et Doron locat.

Imperatorium Philippi jun. ex gaza regia produxit Oudinetus, eumque peculiari dissertatione illustravit, quae exstat in *des Molets continuation des Mémoires de litérature T. IV.* et in B. L. hist T. I. p. 259.

ΙΩΤΑΠЄΙΤΩΝ. *Ceres stans d. facem, s. ramum, aut*, ut visum Harduino, *hyssopum Cilicium.*

AE. RRR.

IRENOPOLIS.

Sita in Lacanatide teste Ptolemaeo, et vocata etiam *Neronias*, ut dicetur.

Imperatorii recensentur a Domitiano usque ad Valerianum.

Epigraphe: ЄΙΡΗΝΟΠΟΛΙΤΩΝ.

Typi: Isis stans, vel: *Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens*, aliique obvii.

Epochae anni frequenter inscribuntur praefixo ЄΤ. ЄΤΟΤϹ.

BM. Domitiani. (Wesseling ex Mus. Wilde in Synecd. Hieroclis p. 706.)

ΔMP. Caracallae. (Vaill.)

ЄOP. Alexandri. (Theup.)

BqP. Gordiani. (Vaill.)

ЄH. Valeriani. (Vaill.)

Epocham figit Vaillantius ad V. C. 805, etsi horum numorum venia posset

Digitized by Google

aliquot annis anticipari. Causam repetit ex Tacito [a]), narrante ad hunc annum, Clitas, agrestem Cilicum nationem, facto ex Tauro decursu infestasse loca planiora, et ipsum Anemurium obsedisse, dum ab Antiocho Commageno ad pacem compellerentur. Factum istud imperante Claudio, atque eo fere tempore, quo Neronem adoptavit. Quare videtur haec urbs pace restituta se primum *Irenopolin*, deinde in Claudii gratiam vocasse *Neroniadem*, nisi id factum potius in Neronis pueri gratiam, quod forte Claudium sibi propter rebelliones infensum placaverat, nam ad sequentem annum 806. narrat idem Tacitus [b]), Neronem plures urbes precibus in Claudii gratiam reduxisse. Verum caeso Nerone videntur oppidani ejus tyranni memoriam aversati Irenopolis solum nomine in monumentis publicis usi, quod testantur numi, quamvis Neroniadis nomen etiam serius non exoleverit; nam apud historiae ecclesiasticae scriptores promiscue legitur et Neronias, et Irenopolis, ut videre est apud Cellarium.

Concordiam Vaillantio visus indicare numus Treboniani: ΖЄΦΥΡΙΩΤΩΝ. ЄΙΡΗΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Hercules stans.* Nolim temere viri eruditi adcurationem in suspicionem vocare, tamen nonnihil vellicat omissum ὁμονοια, typus simplex, et quod certum concordiae exemplum ex numis urbium Ciliciae nondum habemus. Ad haec numus hic, quem Vaillantius ex museo Christinae citat, neque in catalogo Franc. Cameli, neque in numis ejusdem musei ab Havercampo illustratis memoratur.

AE. RRR.

LACANATIS.

Pars Ciliciae aliquando Ciliciae regibus subjecta.

Autonomus.

Caput muliebre velatum spicis coronatum. Ϟ ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. *Lyra.* AE. III. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Regius.

Numum inscripto ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. vide in numis Antiochi IV. Commageni.

LAERTE.

Maritima in Trachea, quam Strabo Hamaxiam inter et Selinuntem fl. locat. Ab hac nomen tulit Diogenes Laertius philosophorum biographus.

Imperatorii editi a Pellerinio Antonini et Salonini, sed Hadriani integerrimum nuper museo Caesareo intuli, quem edidi in Sylloge I. p. 46. Quin et alium Trajani nuper addidit cl. Sestinus [c]), qui totus idem est cum illo, quem Pellerinius, quia legendum sibi videbatur ΜЄΓΙΑΙΤΩΝ, Megiam Mesopotamiae perperam transtulit. Alium praeterea Valeriani addidit Sestinus.

Epigraphe ΛΑЄΡΤЄΤΙΩΝ typis obviis.

---

a) Ann. XII. c. 55. b) L. XII. c. 58. c) Lettere. P. II. p. 194.

Digitized by Google

Litera solitaria Γ. ante caput Salonini, quod comparet nudum, etsi ejus titulis in fine addatur KAIC. C. quod Cεβαστος haud dubie notat.

AE. RRR.

MALLVS.

In Campestri versus Pyrami ostia, Argivorum colonia secundum Arrianum, condita ab Amphilocho, et Mopso, et fuit hic oraculum Amphilochi.

Autonomi:

Caput muliebre: ϒ ΜΑΛΛΩΤΩΝ. *Caput virile tectum galea, qua ipsum etiam mentum includitur, in area bos incusus.* AR. I. (Pellerin.)

Vir barbatus cum corona radiata currens d. hastam tenet, s. arcum praetendit in area signum incusum bovis. ϒ ΜΑΛ. *Hercules leonem suffocans.* AR. II. (Dutens Explicat. p. 28. Pembrock P. II. Tab. 75.)

Caput barbatum laureatum. ϒ ΜΑΛΛΩΤΩΝ. *Mulier turrita sedens in scopulis, hinc et inde fluvius natans.* AE. II. (Theupoli.)

Cujus sit caput aversae in numo I., incertum. Pellerinius esse ipsius Amphilochi conditoris et vatis conjicit. Numum II. bos incusus, qui, ut saepe dictum, fuit nota Ciliciae et adjacentibus plagis propria, sine dubio huic tractui, epigraphe ΜΑΛ. Mallo nostrae vindicat; at typus viri currentis, qui, ut ex similibus Daricis colligi potest, certus est Persa sagittarius, docet signatum numum, quo tempore Mallus adhuc Persarum imperio subjecta fuit. Conjectura eruditi Dutens, qui principio Mallos Indiae respexit, apud quos Alexander M. graviter sauciatus fuit, aut Abbatis le Blond, qui cusum numum a Maliensibus Thessaliae credidit [a]), minus reor viris eruditis probabitur.

AR. et AE. RRRR.

Imperatorius

Vnicus in lucem prolatus a Pellerinio. Est is Antonini. *Epigraphe* ΜΑΛΛΩΤΩ. *Mulier stans phallis utrinque a summo ad imum exstantibus d. oblongam facem tenet, juxta caput globus, vel astrum.* Similis typus comparet etiam in numo argenteo Demetrii II. Syri edito ab Haymio [b]). Auctor, cum juxta caput regis legeret M., numum Marathi Phoeniciae signatum conjecit. Verius ergo existimat Pellerinius praeeunte hoc Antonini numo Mallum ea littera indicari. Sed poterat istud numen cum pluribus urbibus esse commune; alioqui, si Astarte est, ejus cultus ex Phoenicia Mallum illatus est. Ceterum conjecturam de typo vide apud Haymium. (l. c.)

AE. RRRR.

MEGARSVS.

Prope Mallum in Campestri.

a) B. L. T. XL. hist. p. 91. b) Tom. I. p. m. 75.

Digitized by Google

Autonomus.

Caput muliebre velatum turritum. Ɪ ΜΕΓΑΡΣΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΤΡΑΜΩ. *Fluvius medio corpore enatans s. avem tenet.* AE. II. (Pellerin.)

Hic numus spectatis utriusque partis typis simillimus est alteri, qui inscribitur ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΠΤΡΑΜΩ. Supra in Hieropoli monui, propter aequalem typi ac situs rationem posteriorem quoque hunc numum forte huic Megarso tribuendum, et adsciverit sibi forte Megarsus nomen Hieropolis ob cultum Palladis, quae ab hac urbe dicta est *Megarsis*, ut testatur Arrianus [a]), et Tzetzes [b]). In marmore Reinesii: ΘΕΑΝ. ΜΑΓΑΡΣΙΔΑ [c]).

AE. RRRR.

* * *

Numum inscriptum ΜΕΓ., quem Combius huc vocavit, commode Sestinus Megaris Atticae restituit [d]).

MOPSVS, MOPSVESTIA.

In Campestri versus Pyrami ostia, aedificata a Mopso vate fabulis inclyto, et quod ejus ibi ara fuit, dicta Μοψου ἱερα.

Autonomi:

Caput barbatum laureatum. Ɪ ΜΟΨΕΑΤΩΝ. *addito in aliis* ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Ara luculenta.* AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

Caput muliebre velatum turritum. Ɪ ΜΟΨΕΑΤΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Apollo seminudus stans d. sagittam, s. tripodi innixus, in area annus* ΗΙΡ. AE. II. (Hunter.)

Caput Palladis. Ɪ ΜΟΨΕΑΤΩΝ. *Sol capite radiato curriculo vectus.* AE. II. (Hunter.)

Ara numi I. haud dubie est ara Mopsi, a qua, ut diximus, urbi nomen factum. Quare credam etiam, caput anticae esse ipsius Mopsi, non Iovis, nam laurus vatem quoque decet.

* * *

Perperam auctor musei Theupoli huc vocat numum, qui est Mopsii Thessaliae, ut in hac dictum.

AE. RR.

Imperatorii

Reperti ab Antonino ad Decium usque.

Epigraphe ΜΟΨΕΑΤΩΝ. typis obviis.

* * *

Epocham plerumque inscripsit praefixo ЄΤ.

ΗΙΡ. in citato autonomo.

ΗϘΡ. Antonini. (Vaill.)

ΑΣ. L. Veri. (Theupoli.) Lectio suspecta.

ΑC. Faustinae sen. (Sestini Lettere T. IV. p. 119.)

ZC. Antonini. (Sestini l. c.)

ΑΞC. Caracallae. (Vaill.)

ΒΞC. Severi. (Vaill.)

ЄOC. Macrini. (Vaill.)

Ex numo Macrini patet, initium epochae alteri anno adfigi non posse quam autumno anni 695. vel 696. Posteriorem mavult Vaillantius, causamque

a) Expedit. Alex. L. II. b) ad Lycophr. V. 444. c) pag. 166. d) Lettere p. 51.

Digitized by Google

petit a victis a Pompejo piratis, et XXII. urbibus tum in Cilicia instauratis teste Appiano, conjicitque, Mopsuestiae reparationem ad hunc annum contigisse. Annus quidem AC. Faustinae videtur pro exordio aerae exigere annum 694, nam secus ejus Augustae mors uno anno diutius differetur, quam eam statuunt certa monumenta, ut dicemus in ejus moneta, et numus nullas offert consecrationis notas. Sed forte hae a monetario omissae sunt, et is ea jam mortua cusus. Annus AΣ., quem predit numus L. Veri ex catalogo Theupoli, cum imperio hujus Augusti componi nequit. Ergo legendum videtur AKC.

Nomen ab Hadriano in citatis imperatoriis fere omnibus, nempe ΑΔΡΙΑΝΩΝ. In celebri inscriptione apud Gruterum dicitur: ΑΔΡΙΑΝΗ. ΙЄΡΑ. ЄΛЄΤΘЄΡΑ. ΑCΤΛΟC. ΑΤΤΟΝΟΜΟC. ΦΙΛΗ. ΚΑΙ. CΤΜΜΑΧΟC. ΡΩΜΑΙΩΝ [a]). Antonino Pio imperante marmor istud positum fuit.

AE. RR.

NAGIDVS.

Pamphyliae et Anemurio vicina.

Autonomi:

Venus capite tutulato sedens seminuda d. pateram, cui advolat Cupido coronam capiti impositurus, intra sedilis fulcra mus, vel lepus. Ϫ ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ. *Iuppiter seminudus stans d. botrum, s. hastam, in area* ΠΑΡ. *apis et monogramma.* AR. I. (Mus. Braun Norimb. et Pembrock P. I. Tab. 22.)

Venus sedens d. pateram, s. adstanti Cupidini innixa. Ϫ ΝΑΓΙΔ. *Idem typus.* AR. I. (Hunter.) In alio: *Iuppiter pro botro cantharum tenens, ac praeterea nota incusa bovis.* AE. I. (Neumann.)

Numum ex his primum olim edidi [b]), dixique, tribuendum urbi cuipiam, quae dicta esset *Nagidus*, sic ut adscriptum ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ sit κτητικον, ut ΦΕΝΙΚΟΝ. ΘΕΣΠΙΚΟΝ. et similia. Nagidi duae memorantur a Stephano, Mela, quin et Strabone, sed apud quem utrinque perperam scriptum Αγιδας pro Ναγιδος. Harum una in Cypro, in Cilicia altera collocatur. Vtri harum hic esset numus tribuendus, sic tum haerebam ambiguus, ut tamen in Nagidum Cypri inclinaret animus. At modo cum videam, viros eruditos ac praestantes, Neumannum nostrum, et Combium numorum Hunterianorum interpretem magis in Ciliciam propendere, lubet eorum accedere auctoritati, hosque numos esse Cilicios profiteri. In typo partis aversae olim Bacchum Indicum videram, et quis hunc inficiaretur, quando in aliis botrum, in aliis cantharum tenet? At nunc magis puto verisimile, esse Iovem; nam et in numis copiosis aliis peregrina scriptura notatis, quos esse Cilicios jure credimus, et quos olim in numis Phoenicio charactere inscriptis recensebimus, fingitur idem Iuppiter sedens, et d. botrum tenens. Sitne vero Iuppiter Tarsensis, ut existimant ii, qui Swinteni doctrinam sequuntur, nullo potest idonee argumento comprobari,

a) Pag. 255. 5. b) Num. vet. p. 233.

Digitized by Google

ut copiosius dicetur in citato tractatu de numis Phoeniciis.

Numum, quem altero loco dedi, esse aeneum, tanto magis mirum videatur, quod remotam praefert antiquitatem, eamque, qua monetam aeneam per Graecas urbes nondum fuisse signatam, plane sum persuasus. Ad haec bovem, notam huic tractui familiarem, nondum nisi argenteis, iisque omnibus perantiquis, incusum vidi. Quibus de causis subit animum suspicio, esse eum ex subaeratorum numero, etsi nullum in eo adhaerentis argenti vestigium appareat.

AR. et AE. RRRR.

OLBA.

In montanis versus Isauriam. Ejus mentio fit in numis sacerdotum Olbae, quos continuo subjicimus.

NVMI SACERDOTVM, ET PRINCIPVM OLBAE.

Olbae sacerdotium a remotissimis temporibus ducitur. Teucer ex Trojano bello in patriam Salaminen redux, cum a patre Telamone propter segnitiem non vindicati fratris Ajacis admissus non esset, in Cyprum cum sociis profectus urbem Salaminem patriae cognominem aedificavit. Teucri filius Ajax, ut refert Strabo [a]), in montanis Ciliciae apud Olbam Iovis templum dedicavit, cujus pontifex dominus fuit Trachiotidis. Nostra aetate, prosequitur Strabo, tractus is ditio, et sacerdotium Teucri appellari coepit, ejusque plerique pontifices Ajacis, aut Teucri nomen gesserunt. At Zenophanes quidam tyrannus subjectam sibi tutelae nomine Olbae ditionem reliquit filiae Abae in sacerdotum familiam per nuptias insertae, quae eam deinceps quoque retinuit beneficio M. Antonii, et Cleopatrae, quos omnibus sibi obsequiis demereri studuit. Aba sublata principatus in Teucri familia permansit. Haec Strabo.

Sacerdotes Olbenses in numis habemus *Polemonem*, *Ajacem*, *Teucrum*. Partem numorum ad hos pertinentium nonnulli antiquarii aliorsum inique traxerunt. Eos omnes collegit insignis Belleyus, et erudita dissertatione illustravit [b]), unde, quae mox leges, pleraque hausi.

POLEMON SACERDOS OLBAE.

M. ANTΩNIOT. - - - - *Caput virile et caduceus.* ℞ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΤΟ ΠΑΡΧΟΥ. ΚΕΝΝΑΤΩΝ. ΛΑΛΑΣ. ΕΤ. Β. (Typus non additur.) (Belley ex le Bret.)

M. ANTΩNIOT. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. *Caput Polemonis juvenile.* ℞ ΚΕΝΝΑΤ. ΔΥΝΑΣΤΟΥ. ΟΛΒΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ. Ε. ΙΑ. *Sella sacra, juxta triquetra.* AE. II. (Belley ex Pellerin. Liebe Got. num. p. 407.)

MAPK. ANTΩNIOT. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. *Caput Polemonis nudum.* ℞ ΔΥΝ. - - - ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ.

a) L. XIV. p. m. 989. b) B. L. T. XXI. Mem. p. 421.

Digitized by Google

ΚΕΝΝΑΤΩ. ΚΑΙ. ΛΑ --- ΣΕΩΝ. -- *Fulmen.* AE. II. (Frölich ad num. reg. acces. p. 88.)

ΜΑΡΚ. ΑΝΤΩΝΙΟΤ. ΠΟΛΕΜΩΝΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΣΑΛ. *Caput Polemonis nudum.* ℞ ΔΥΝΑΣΤΟΤ. ΟΛΒΕ - - - - ΚΕΝΝΑΤΩ. ΚΑΙ. ΛΑΛΑ - - ΩΝ. Ε. ΙΑ. *Fulmen.* AE. II. (Pembrock P. II. Tab. 67.)

Polemonis nostri numum primus edidit Liebeus [a]), verum quod vitiatus is fuit, bis peccavit, primum quod eum Polemoni Ponti regi tribuit, deinde quod Mylasae Cariae signatum putavit, cum pro ΛΑΛΑΣΣΕΩΝ. legeret ΜΥΛΑΣΣΕΩΝ. Eidem Polemoni regi editor musei Pembrockiani numum suum tribuerat, ac denique suum etiam Frölichius, quem ex museo Savorgnan vulgavit [b]). Eorum sententias non amplius refutamus, cum jam certiora teneamus.

Citati ergo numi certum nobis sistunt Polemonem sacerdotem summum, docente istud titulo ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ, et quidem Olbae, quod sequentia docebunt. Polemonem quidem hoc honore praeditum neque Strabo, neque alius quisquam prodidere. Eum tamen indicat Appianus in catalogo principum, a quibus M. Antonius V. C. 715. pecunias in imminens bellum Parthicum exegit, Πολεμωνα μερους Κιλικιας, *Polemonem partis Ciliciae* [c]). Haud dubie hic Polemo fuit ex familia sacerdotum, atque is ipse, cui Abam Zenophanis filiam nuptam fuisse supra ex Strabone diximus. Adscivit nomina *M. Antonii* in gratiam III viri, qui orientem tum tenuit, exemplo Tarcondimoti vicinae partis Ciliciae reguli, ut taceam similia observantiae exempla ex numis regum Bospori et Edessae cognita. Antonii quoque nomen habuit Polemo Laodicenus, celebris Hadriano imperante sophista, ut testantur Philostratus [d]), et marmor Oxoniense [e]).

Praeter titulum ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. habet alium quoque ΔΥΝΑΣΤΟΤ. ΟΛΒΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. Vnicum istud exemplum inscripti numis *Dynastae*, quo titulo usi sunt, qui inferiores erant potentia, quam ut in regium nomen involare aut possent aut auderent. Eum et Strabo loco supra adducto sacerdotibus his largitur: και ὁ ἱερευς δυναστης ἐγενετο της Τραχιωτιδος, *et sacerdos fuit dynasta Trachiotidis*, et paullo infra eam ditionem vocat Τυχης δωρεαν. Dicitur Polemo *dynasta Olbensium* urbis *sacrae*. Nimirum eodem loco Strabo dixit, fuisse Olbae Iovis templum ab Ajace Teucri F. dedicatum, ex quo adeo urbi titulus ΙΕΡΑΣ, *sacrae*, accessit. Habet idem titulum *toparchae Cennatorum et Lalassensium*. Τοπαρχης est *praefectus loci*, et nomen inferioris dignitatis, quod, si numos spectes, in sola horum pontificum moneta comparet. At enim, qui sint hi ΚΕΝΝΑΤΟΙ, quos non modo numi praesentes, sed etiam numi Diocaesareae in iisdem sitae memorant, tacentibus geographis omnibus difficile est decidere. Quidquid erit, hi certe Cennati ad Olbensium pontificum ditionem pertinuerunt. At satis cogniti ΛΑΛΑΣΣΕΙΣ, *Lalassenses*, siti secundum Plinium et Ptolemaeum in Lalas-

a) l. c. b) l. c. c) Bell. civ. L. V. d) in Polemone §. 3. e) pag. 93.

Digitized by Google

side, quae a montanis ad mare usque versus Anemurium porrigebatur.

Annos principatus Polemonis indicant literae ET. B. et ET. IA. Docuimus supra ex Strabone, Abam Olbensem ditionem abstulisse ab Antonio et Cleopatra. Factum istud fuerit V. C. 713., quo ipso anno et IIIvirum et Cleopatram aliquanto tempore in Cilicia moratos constat. Fuit ergo is annus primus Polemoni, quem supra fuisse Abae maritum verisimile diximus, quique adeo acceptī beneficii causa continuo Antonii nomen adscivit, et, quod sequitur, fuit ET. B. annus V. C. 714., denique E. IA. annus 723., quo posterior alter esse nequit, nam victo hoc anno ad Actium Antonio non ausus amplius fuisset Polemo ejus nomine IIIviri in monumentis publicis uti.

Antequam quae ad numorum horum epigraphen pertinent, absolvam, in examen videntur revocandae literae CAΛ., quae in numi Pembrockiani parte antica Polemonis titulis subjiciuntur. Eas neglexit Belleyus. Sed neque mihi idoneus earum explicatus praesto est. Si vere in numo exstant praetensae hae literae, quod dubitari sane potest propter biformes literas Σ et C se continuo excipientes, forte explendae sunt legendo ΣΑΛΑΜΙΝΙΟΤ, nimirum quod haec pontificum familia se ortam credebat, aut credi volebat a Teucro Salaminio, cujus filius Ajax Olbensis templi auctor exstitit. Neque sane alia causa fuerit, cur hi pontifices plerumque vel Ajacis, vel Teucri nomina sumpserint.

Typi: Sella, seu thronus augustior serviturus usui seu ipsius Iovis, seu ejus ministri pontificis. Certius ad Iovem pertinet fulmen. Diximus supra, Ajacem Teucri F. Iovi apud Olbam templum aedificasse. Accedit, quod Nicocles Salaminius ex eadem gente de se profitetur, se genus suum referre inter semideos ad Aeacidas, inter deos ad Iovem. (Isocrates in Nicocle, et copiosius in laudatione Evagorae.) De triquetra in numis sequentibus.

AE. RRR.

AIAX SACERDOS OLBAE.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΤ. *Caput Augusti intra lauream.* Ʒ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΑΙΑΝΤΟΣ. ΤΕΤΚΡΟΤ. ΤΟΠΑΡΧΟΤ. ΚΕΝΝΑΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΛΑΣ. *Duo fulmina.* AE. (Belley.)

ΑΙΑΝΤΟΣ. ΤΕΤΚΡΟΤ. *Caput Ajacis nudum imberbe, prae quo caduceus.* Ʒ ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ. ΤΟΠΑΡΧΟΤ. ΚΕΝΝΑΤΩΝ. ΛΑΛΑΣ. ΕΤ. Α. *Triquetra.* In alio: ΕΤ. Β. *Fulmen.* AE. II. (Belley, Pellerin Rois p. 199.)

Omnia fere, quae ad horum explicationem numorum pertinent, in observatis ad praecedentes numos occupata sunt. Hi numi docent praeterea, Ajacem Teucri F. imperante Augusto pontificio Olbae munere functum; confirmant etiam, quod testatur Strabo, ejus loci pontifices plerumque Ajacis et Teucri nominibus usos. In posterioribus numis ambiguum est, sitne legendum ΑΙΑΝΤΟΣ. ΤΕΤΚΡΟΤ., an ΤΕΤΚΡΟΤ. ΑΙΑΝΤΟΣ. Posterior lectio placuit Belleyo, et Pellerinio. At mihi prior praeplacet suadente istud numo praecedente, nam verisimile videtur, ad unum eundemque utrosque pertinere.

Digitized by Google

Triquetrae, quae saepe in horum principum numis recurrit, explicatum huc distuli. Ea obvia est in numis urbium Siciliae nota significatione. In suam etiam monetam vocavere Nola Campaniae, et Velia Lucaniae. Sed de harum regionum cum Cilicia nexu nihil constat. Suspicatur ergo Belleyus, indicari hoc symbolo nexum trium ditionum, quae his pontificibus parebant, Olbensium, Cennatorum, et Lalassensium. At vero satis videtur probabile, ut sella Iovis et fulmen ad Olbenses, forte etiam Cennatos pertinent, sic triquetram ad solos Lalassenses pertinere. Ejus argumentum capio ex autonomo solorum Lalassensium, quem in horum moneta ex museo Pellerinii citavi, in cujus aversa typus triquetra. Nullus sane in hoc cum reliquis duobus populis nexus apparet. Ex quo manifestum est, symbolum istud esse unis Lalassensibus proprium, et in hos pontificum numos advocatum, quia in his quoque eorum fit mentio. Satis constat, triquetram in plurium hujus tractus urbium numos gressum intulisse. Comparet sane in moneta Selges Pisidiae, Aspendi Pamphyliae, Argorum Ciliciae, et forte etiam in numo Tarsi. Cum similem triquetram in Argorum quoque Argolidis numo reperirem, olim, cum in hujus symboli progressum adcuratius inquirerem, verisimile dixi, eo indicari coloniam Argis Argolidis ductam [a]). Argumenta, quae ibi commemoraveram, repetere longum foret.

AE. RRR.

POMPEIOPOLIS.

Vide infra in *Solis*.

SELEVCIA AD CALYCADNVM.

In Trachea nonnihil a mari remota ad Calycadnum fluvium. Aedificata fuit a Seleuco Nicatore secundum Stephanum, et forte tum incolae Holmorum vicinorum, qui ad ostia Calicadni siti fuere, ad frequentandam novam urbem Seleuciam traducti sunt, quod factum tradunt Strabo, Plinius, Stephanus, ut etiam supra in numis Dorensium innui, etsi tempus, quo id factum, et auctorem non prodant. A scriptoribus inferioris aevi dicitur etiam Seleucia Isauriae, nempe hujus finibus in interiora Ciliciae Tracheae protentis, de quo vide Cellarium [b]).

Autonomi:

Caput Palladis. ℞ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩΙ. *Victoria gradiens, per aream* ΑΘΗ. vel: ΔΙΟ‹|›. ΗΡΑ. ΑΕ. II. (Pellerin.)

Caput Apollinis. ℞ *Eadem epigraphe. Equus dimidius saliens, in area* ΔΙ. ΗΡΑ. ΑΕ. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Propter additam situs mentionem hi numi certe sunt hujus Seleuciae. Alios tres huc adhuc refert Pellerinius, sed de quibus dubitari possit, quoniam Calycadni mentione abstinent, et complures fuere urbes Seleuciae nomine praeditae etiam in vicino Ciliciae tractu.

AE. R.

---

a) Num. vet. p. 77. b) pag. 194. et 203.

Digitized by Google

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Gallienum. Additur constanter Calycadnus, ut: CЄΛЄTKЄΩN. TΩN. ΠPOC. KAΛTKAΔNΩ. Illos, qui ferebantur inscripti KΛΛTΔIOCЄΛЄTKЄΩN, aliquando suspicabar male lectos, sic ut pro KΛΛTΔIO. legendum sit KAΛTKA., sed satis nunc mihi constat, genuinam hanc esse lectionem. Neque tamen hi numi sunt hujus Seleuciae, ut visum Vaillantio et Pellerinio, sed Seleuciae Pisidiae, ut in hac comprobavi.

Typi: Proponitur saepe *Pallas dimicans cum monstro barbato in geminos angues desinente*, quod inique Vaillantius esse Tritonem adserit, verum esse Gigantem, abunde alias comprobavi [a]). Haud dubie is est ipse Typhoeus, quem fuisse Cilicem, tradit Nonnus [b]), et cujus cubile fuisse prope Corycum, quae Seleuciae vicina fuit refert Mela [c]).

Tituli:

ЄΛЄTΘЄPAC. saepius addit, et quidem cum ostentatione, ut cum Victoria explicatum tenet volumen in formam ejus, quod Itali *coda di rondine* appellant, cui vocabulum illud est inscriptum [d]), aliter in aliis, sed plerumque ostentantis more. Censet Vaillantius, id privilegium urbi concessum a Gordiano, quoniam hunc titulum in hujus primum numis repererat; sed beneficium istud Pellerinius in Alexandrum vi numi sui confert [e]). Verum jam in Caracallae numo apud Arigonium eum tempello video inscriptum eodem modo, quo serius in numo Gordiani apud Vaillantium. Verius videtur libertatem suam debere Augusto, qui cum Ciliciam asperam Archelao regi subjecisset, hanc tamen Seleuciam exemit, ut refert Strabo [f]).

Metropolis honorem credo me deprehendere in numo Gallieni musei Caesarei, in cujus area lego MH. Serius certum est, fuisse Seleuciam metropolin Isauriae, ut ex Notitiis probat Cellarius [g]).

* * *

Magistratus decurtatis eorum nominibus inscribuntur autonomis nulla dignitatis mentione. In imperatoriis nullum eorum indicium.

* * *

Signum incusum exhibens triangulum, vel Δ, cui inscriptum O, in omnibus fere hujus urbis numis sub Gordiano signatis comparet, de quo vide Pellerinium [h]).

AE. R.

SELINVS.

In Trachea ad fluvium cognominem, Trajani morte celebritatem nominis nacta.

Imperatorius Lucillae laudatur in Catalogo d'Ennery: (pag. 598.)

CЄΛINOTCIΩ. *Diana gradiens.* AE. III.

Stephano gentile Selinuntis Siciliae est Σελινυντιος et Σελινησιος. Ejusdem rationis cum fuerit Selinus Ciliciae, poterat utrumque etiam gentile usurpare.

---

a) Num. vet. p. 230. b) Dionys. L. I. v. 155. c) L. I. c. 13. d) Pellerin Suppl. II. p. 57. e) l. c. f) L. XIV. p. m. 987. g) pag. 194. h) Suppl. II. p. 84.

Digitized by Google

* * *

Est apud Mediobarbum numus Latinus Trajani, in cujus aversa: S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. SELINVNTEM. typo *aedificii sphaerici* a). Falsi hujus numi non meminissem, nisi viderem, eum a summis viris in commentarios suos receptum, quos inter fuit Pagius b), et Harduinus c). Mors maximi ejus principis hac in urbe obita impostori fraudis materiem suggessit.

AE. RRRR.

SOLI, *qui et* POMPEIOPOLIS.

In Campestri maritima inter Lamum et Cydnum fluvios, a qua urbe propter dialectum barbaram *soloecismi* appellatio creditur fluxisse. A Solone legislatore urbem conditam narrat Diogenes Laertius d), et ab hoc saltem nomen tulisse censet Stephanus, sed Plutarchus non hos Solos, sed alteros Cypri esse opus Solonis adfirmat e), quin Strabo, Polybius, Livius, Mela unanimi consensu hanc Ciliciae urbem ab Achaeis et Rhodiis conditam praedicant, atque Rhodii hos Solos, perinde ac se, ab Argivis ortos, et secum sanguine junctos senatui R. commendavere referente Polybio f), et Livio g). Atque haec a Rhodiis tracta origo numis quoque comprobatur. Serius Pompejus finito praedonum bello in urbem incolis nudatam piratarum partem traduxit, eamque de se *Pompejopolim* appellavit, quod deinceps nomen fere valuit. Vtroque nomine habemus hujus urbis monetam, non modo ex scriptorum oraculo praepotentis, sed et testimonio nobilium numorum, qui supersunt.

I. *Nomine* SOLORVM, *et* SOLOPOLIS.

Autonomi:

Vir barbaro cultu ingeniculatus adligata femori pharetra, utraque manu arcum prae se tenet. Ϟ ΣΟ. ΣΟΛΕΩΝ. ΣΟΛΕΩΝ. *Botrus intra quadratum.* AR. I. (Hunter, Pellerin. Rec. III. tab. CII.)

Caput Palladis, cujus galea gryphoornatur. Ϟ ΣΟΛΟΙ. (*retrograde.*) *Botrus intra quadratum.* AR. I. (Pellerin. Rec. III. tab. XXIII. n. 17.) — ΣΟΛΙ. *Botrus.* AR. I. (in binis Hunteri.) — ΣΟΛΙΟΝ. *Botrus.* AR. I. (Pembrock.)

Caput Palladis. Ϟ ΣΟΛΕΩΝ. *Botrus, in area* APT. *et noctua.* AR. I. (Hunter.)

Expedienda primum varia in his numis epigraphes ratio. ΣΟΛΟΙ. est ipsum urbis nomen, perinde ac vicinum Ολμοι apud Stephanum, unde Plinianum *Soloe* et *Holmoe* h), unde ducuntur nota illa σολοικος, σολοικιζω, σολοικισμος. ΣΟΛΙ, ΣΟΛΙΩΝ. vel antique ΣΟΛΙΟΝ ducitur a gentili Σολιος, denique ΣΟΛΕΩΝ, antique ΣΟΛΕΟΝ, a gentili Σολευς. Cum binae fuerint urbes Solorum nomine, altera Ciliciae, Cypri altera,

a) Pag. 163. b) Crit. Baron. ad ann. Ch. 117. c) ad Plinii sui L. V. §. 22. d) in Solone. e) in Solone. f) Exc. leg. 25. g) L. XXXVII. c. 56. h) L. V. p. 270.

Digitized by Google

quaeritur, utri tribuendi sint numi sic inscripti. Epigraphe ΣΟΛΟΙ ad praesens criterium nihil confert, nam utraque haec urbs passim ab auctoribus dicitur Σολοι, a scriptoribus Latinis *Soloe*. Alter modus ΣΡΛΙ. ΣΟΛΙΟΝ. invitabit in Cyprum, si audiamus oraculum Diogenis Laertii sic utriusque urbis gentile enunciantis [a]): και εισιν οι μεν ενθεν (Ciliciae) ΣΟΛΕΙΣ, οι δ' απο Κυπρου ΣΟΛΙΟΙ. Ex quo testimonio videretur posse argui, numos inscriptos ΣΟΛΕΩΝ esse Solorum Ciliciae, at inscriptos ΣΟΛΙ. ΣΟΛΙΩΝ. Solorum Cypri. Verum malim hos quoque numos dare Cilicibus, quod typis fere penitus conspirant cum iis, qui ΣΟΛΕΩΝ offerunt, et quod, si Salaminis vetustissimos numos demas, vix alterius urbis Cypriae certos habemus autonomos, et malim credere, Solenses Ciliciae in gentili suo variasse, ut plures alias urbes variasse novimus. Sane et Stephano Solorum Ciliciae πολιτης dicitur Σολευς et Σολιος. Pellerinius numos similes omnes tribuit Solis Cypri, sed rationibus plane infirmis [b]). In numo simili Hunteriano comparet signum incusum bovem referens, quod nonnisi numi urbium Ciliciae et vicini tractus offerunt, valido ad numos hos Ciliciae tribuendos argumento. Denique et gentile ΣΟΛΟΠΟΛΕΙΤΗΣ in numis legitur, cujus plura exempla in Trajanopoli Thraciae dedi.

Non pauci ex his numis et inscriptionis et picturae causa longam praeferunt antiquitatem. Vide numos Hunterianos.

* * *

Caput juvenile radiatum. Ʀ ΣΟΛΕΩΝ. *Pallas sedens, per aream varia monogrammata.* AE. I. (Pellerin.)

Caput Solis radiatum. Ʀ ΣΟΛΕΩΝ. *Balaustium.* AE. III. (Sestini Lettere T. III. p. 106.)

Caput Dianae. Ʀ ΣΟΛΕ. *Pallas gradiens s. clypeum protendens, d. jaculum vibrans, per aream monogrammata.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Palladis. Ʀ ΣΟΛΕΩΝ. ΕΘ. *Noctua.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput radiatum numi I. et II. existimo esse Solis, et indicare originem Rhodo tractam, de qua egimus supra, quod tanto magis confirmat balaustium numi alterius. Numus IIII. Atheniensis monetae typos exhibens sententiae Diogenis Laertii suffragari videtur, referentis, ut diximus, Atheniensium colonos ibi consedisse.

* * *

Caput Pompeji M. nudum. Ʀ ΣΟΛΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Rhell Adpendic. II. p. 136.)

Similes alii jam pridem editi, sed *Pompejopolis* nomine, ut continuo videbimus.

AR. RRR. AE. RR. nomine Solopolis RRRR.

II. *Nomine* POMPEIOPOLIS.

Autonomi:

Γ. ΠΟΜΠΗΙΟΣ. *Caput Pompeji M. nudum.* Ʀ ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Mulier sedens pede prorae imposito.* AE. II. (Vaill. Num. Graec. p. 1. Morelli in Pompeja.)

a) In Solone L. I. c. 2. n. 4. b) Rec. III. p. 78. et 178.

Digitized by Google

Caput idem sine epigraphe. Ɪ. ΠΟΜ-ΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Theupoli. p. 829. Arigoni.)

Causam illati in hos numos Pompeji supra dedimus. Satis apparet, eos signatos mortuo Pompejo, eumque propositum tanquam conditorem more aliarum urbium Graecarum. Typi ad ejus viri victorias, ac praecipue navales adludunt, quae causa fuere restituterum Solorum.

* * *

ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Caput nudum barbatum.* Ɪ OP. *vel:* ΘKC. *Caput nudum barbatum, manu dextera, quae ex circumfluo pallio promicat, ori admota.* AE. II. (Morelli Specim. p. 240. Hunter.)

Morellius capite partis anticae Aratum, posticae Chrysippum Stoicorum principem adumbrari credit, qui Solenses domo fuere, et cum numi aetas docente aerae anno ΘKC. in imperium M. Aurelii, qui philosophus ipse fuit, incidat, suspicatur, factum istud a Solensibus, ut jactarent philosophos suos imperatori ipsi philosopho. Verum si rite lectus est annus OP. numi Hunteriani, qui cadit in annum V. C. 856. imperante Trajano, praetensum istud Solensium obsequium locum non habet.

AE. RR.

Imperatorii.

Exclusis numis Pompeji M., quos in autonomis dedimus, sunt a M. Aurelio usque ad Trebonianum.

Epigraphe: ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΙΤΩΝ.

* * *

ΠΗΓΗ. COTNIAC. BNC. *Fluvius decumbens,* in numo Commodi. (Vaillant.)

Fontis Suniadis veterum nullus meminit. Si incolae hujus urbis saltem quadam sui parte fuere coloni Athenis profecti, cujus supra in autonomis aliqua indicia proposui, videtur verisimile, Solenses fonti suo ex promontorio Attico *Sunio* nomen indidisse, in quo etiam templum Minervae, a loco dictae *Suniadis* stetit, ut narrat Pausanias [a]).

OMONOIA. CЄBACTΩN. *M. Aurelius, et L. Verus stantes jungunt dexteras.* AE. m. m. (Mus. Albani.)

Reliqui typi obvii.

* * *

Epochae anni, sed omisso ЄT.

OP. in autonomo.

ΘKC. in autonomo, et L. Veri. (Albani.)

BNC. Commodi. (Vaill.)

ΓΞC. Caracallae. (Mus. Caes.)

BΠC. Caracallae. (Vaill.)

ΓΠC. Macrini. (Theupoli.)

ЄΠC. Elagabali. (Mus. Christinae Tab. 28. sed in hoc Caracallae dicitur. Epocha Elagabalum exigit.)

ΘT. Gordiani. (Vaill.)

Vaillantius epochae principium figit ad annum V. C. 687., quo constat Pompejum victis piratis agros per Ciliciam distribuisse. De hac urbe diserte Dio ad hunc annum Acilio et Pisone Cos. *Itaque et aliae urbes habitari coeptae, et quam Pompejopolin nominant, Solos prius dictam, sitam in Ciliciae ora, quam Tigranes vastavit.* Revera praecipiente numo Macrini epochae princi-

a) Attic. L. I. sub init.

Digitized by Google

pium alteri anno illigari nequit, quam 687. vel 688. Molestus tamen est numus Caracallae cum anno ΓΞC. in quo is laureato jam capite est. Defixo ad annum 687. aerae principio numus signatus est ab autumno V. C. 949. usque ad sequentem autumnum 950. At Caracalla nonnisi anno 951. a patre in collegium adsumptus est. Videtur ergo addita corona licentia municipali.

AE. RR.

SYEDRA.

In Trachea, maritima, a posterioribus geographis Isauriae inseritur, nimirum pro recentiore divisione. Lucano dicitur urbs parva, et Selinuntis navale [a]), sed magis ipsa sibi placuit, ut docebunt tituli.

Imperatorii satis copiosi exstant a Nerone usque ad Saloninam.

Epigraphe CTЄΔPЄΩN. *Typi* obvii.

* * *

Honorum tituli:

CЄMNHC. ЄNΔOΞOTЄPAC. CTЄΔPЄΩN. *intra coronam*, Valeriani. (Pellerin Rec. III. p. VIII.)

CЄMνος, *venerabilis*, dictus est etiam Gordianus Africanus in numis Alexandrinis, tum et Caracalla SЄMNOS in numo coloniae Cassandreae Macedoniae. Est etiam σεμνοτατος δημος Αθηναιων in marmore Chandleri [b]). ЄNΔOΞOTЄPAN se dixerit in comparandi gradu, ut sese prae Anazarbo et Side urbibus vicinis, quae se modestius dixere ἐνδοξος, *illustres*, efferret.

* * *

Certamina.

ΓTMNACIAPXIA. *Vrna intra quatuor minores alias*, Saloninae. (Theupeli, Panel ex le Bret.)

Iidem ludi, aut verius ludorum praefectura, memorantur etiam in numis vicinae Colybrassi. Vide de hoc vocabulo tractatum de ludis.

* * *

Literae solitariae IA. juxta caput anticae in citatis numis Valeriani et Saloninae, item Gallieni in museo Caesareo.

AE. vix R.

TARSVS.

Ad Cydnum, Ciliciae nobilissima, a Perseo et Argivis condita. Ejus historiam ac numos praeclare conscripsit meis laudibus major Belleyus [c]). Temporaria ejus nomina fuere *Antiochia* ab Antiocho Epiphane [d]) et *Iuliopolis* in gratiam utriusque Caesaris [e]), sed utrumque nomen in numis non habetur.

Autonomi:

TЄPΣIKON. *Caput muliebre turritum.* ℞ *Hercules cum leone luctans.* AR. fere I. (Pellerin. Rec II. p. 22.)

Egregium hunc numum Pellerinius debili conjectura esse tribuendum Heracleae Bithyniae putavit. At quoniam certe constat, Tarsum dictam quoque fuisse *Tersum*, et urbes saepe pro gentili monetae suae inscripsisse κτητικα

a) L. VIII. v. 259. b) Inscr. ant. p. 55. n. 34. c) B. L. T. XXXVIII. p. 340.
d) Stephanus. e) Dio. L. XLVII. §. 26.

Digitized by Google

sive *possessivum*, et secundum binas adeo has causas ΤΕΡΣΙΚΟΝ pro ΤΑΡΣΕΩΝ, ipsi etiam typi Tarsum commode referantur, non dubitavi aliquando, numum hunc confidenter huc vocare [a]), quo loco haec omnia ex ipsis veterum testimoniis late comprobata habes. Causam meam demonstratam putabam, at en tibi iterum Pellerinium veterem suam aggressum tueri sententiam, impugnare meam [b]). Arbitretur lector.

Numum hunc omnes Tarsi numos hactenus cognitos aetate praecedere, ex omnibus causis patet.

* * *

Caput muliebre turritum. ℞ ΤΑΡ-ΣΕΩΝ. *Apollo nudus cortinae insidens d. plectrum, s. lyram, per aream sparsae literae.* AR. m. m. (Pellerin Lettres p. 219.)

Bini hi numi soli sunt certi hujus urbis argentei. Sed forte ex pervetustis illis, qui inscriptionem peregrinam offerunt, et typum habent leonem, qui taurum depascitur, aut leonem gradientem, cujus generis plures proposui in Catalogo musei Caesarei [c]), Tarsi signati sunt. Certe ejus generis numi ex ea vicinia advehuntur, et saepius in imperatoriis taurus leoni in oscam cedit.

* * *

Caput muliebre velatum turritum. ℞ ΤΑΡΣΕΩΝ. *Basis, cui imposita pyramis; huic insculpta figura quadrupedi insistens manu elata, supra pyramidem aquila expansis alis.* AE. I. II. (Pellerin, Hunter.) In alio *basis continet 4 figuras chorum ducentes.* (Pembrock.)

Hic typus, cujus explicatio a viris gravissimis tentata est, suum adhuc Oedipum desiderat. Plerique Sardanapali monumentum credunt, quod in hac vicinia stetisse indicat Strabo. Postremus Belleyus pyram Herculis honori erectam putat, sed non persuadet [d]). Alias variorum de hoc typo sententias vide apud Pellerinium [e]). Typus non absimilis est in autonomo Philadelphiae Lydiae [f]). Exstat apud Haymium argenteus Demetrii II. Syriae regis cum typo simillimo, quem propterea dubium non est a Tarsensibus cusum. In numo Macrini nostrae Tarsi Apollo barbatus insistit leoni, cujus occipiti caput tauri conjungitur, in cujus explicatu Liebeus editor allegorias venatur, quid enim aliud faceret? sed ut fieri amat, vagas et incertas [g]).

Caput muliebre velatum turritum. ℞ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΤΑΡΣΕΩΝ. *Figura capite tutulato d. elata, s. bipennem et pateram insistens quadrupedi ignoto.* AE. II. (Hunter.)

ΤΑΡCΟΤ. *Caput muliebre.* ℞ ΜΗ-ΤΡΟΠΟΛΕΩC. *Similis typus.* AE. III. (Hunter.)

Numi hi causa typi commode cum praecedentibus junguntur.

* * *

ΑΔΡΙΑΝΗC. ΤΑΡCΟΤ. *Iuppiter Nicephorus sedens.* ℞ ΤΤΧΗ. ΜΗ-ΤΡΟΠΟΛΕΩC. *Mulier capite turrito sedens d. spicas et papavera, infra fluvius emergens.* AE. I. (Pellerin.)

ΤΑΡΣΕΩΝ. *Iuppiter Nicephorus sedens, juxta* ΜΑΣΙΝΙΚΡΑ. ℞ *Idem*

a) Num. vet. p. 235. b) Additions. p. 75. c) Part. I. tab. V. d) B. L. T. XXXVII. p. 357. e) Rec. II. p. 175. f) Pellerin. g) Goth. num. p. 288.

Digitized by Google

aversae typus, juxta: ΟΡΤΤΓΟΘΗΡΑ. AE. I. (Pellerin.)

Eadem adversa, juxta: ΕΠΡ. Σ *Mulier sedens, ut in praecedentibus.* AE. I. (Hunter.)

Iuppiter in Tarsi numis typus frequens, sed constat etiam, insignem ejus fuisse in hac urbe cultum, a qua nomen quoque Διος Ταρσιυ tulit [a]).

Mulier partis aversae in omnibus his numis certa est *urbis fortuna* docente inscriptione ΤΥΧΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. De hac urbium Fortuna saepe in moneta vetere variis typis obvia vide quae alibi liberalius disputavi [b]). Eadem est in imperatoriis quoque.

Literas solitarias per Tarsensium monetam frequenter vagas nequaquam moramur, quemcunque ea explicatum sibi postulent. At jure advertit animum inscriptum numo II. ΟΡΤΤΓΟΘΗΡΑ, quod vocabulum *coturnicum venationem* notat. Suspicatur leviter Pellerinius, colli, cui mulier insidet, nomen fuisse *Ortygotherae*. De literis ΕΠΡ. vide mox infra.

* * *

Quadrupes formae mihi ignotae. Σ ΤΑΡΣΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΥ. *Herma inter duo animalia.* AE. III. (Hunter.)

Vnicus est hic numus, qui *Tarsum sacram et asylum* dicat. Omnes etiam imperatorii hos titulos dissimulant. Suspicari quis posset, pro ΤΑΡΣΕΩΝ. legendum ΡΩΣΕΩΝ., praecipue cum primas ejus vocabuli literas vitium passas ipse Cl. Combius profiteatur.

* * *

Caput muliebre turritum. Σ ΤΑΡ. ΣΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΚΤΔΝ. *Figura quadrupedi insistens.* AE. III. (Pellerin.)

Scilicet Cydnus fluvius, qui Tarsum adluit. Eundem supra saepius vidimus propositum typo figurae natantis more hujus tractus.

* * *

Epochae annum haud dubie videtur indicare ΕΠΡ. scriptum ante Iovem sedentem numi Hunteriani, quem supra proposui. Sin istud, unicus est hic Tarsi numus cum aerae mentione. Sed quia annus hic notatur in autonomo, a quo procedat initio, decidi nequit.

AR. RRRR. AE. C.

Imperatorii.

Perquam hi copiosi ab Augusto usque ad Gallieni aetatem, quodque in paucis urbibus factum, argenteam etiam monetam procudit, et nonnullos max. mod. nimirum cum capite Domitiani, Hadriani (Mus. Caes. Pellerin. Mel. I. p. 187. Khell. Suppl. ad Vaill.) Domnae, (Mus. Caes.) Caracallae. (Vaill. Num. praest.)

Epigraphe: ΤΑΡϹΟϹ. ΤΑΡϹΟΥ. ΤΑΡϹЄΩΝ. additis variis titulis, de quibus infra.

* * *

ΚΟΡΟΙ. ϹЄΒΑϹΤΟΙ. *Capita nuda adversa Caracallae et Getae, inter quae manus ab imo protenta caduceum tenet.*

Vulgavit Pellerinius, (Rec. III. p. 236.) censetque corrigendum Vaillan-

a) Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 868. b) Num. vet. p. 185.

Digitized by Google

tium, qui in simili numo vidit tantum CЄBACTOI, eumque adeo M. Aurelio, et L. Vero tribuit.

OMONOIA. CЄBACTΩN. *M. Aurelius et L. Verus stantes jungant dexteras.* (Vaill.)

ΔIOC. TAPCЄΩN. *Iuppiter sedens d. pateram*, Hadriani. (Vaill.)

Iovis sedentis typus in autonomis frequens, quos vide.

TYXH. TAPCOT. *Mulier insidens rupi etc. ut in autonomis*, in argenteo Caracallae, (Vaill. Num. praest.) et in aeneo Macrini. (Vaill.)

CЄITOC. *Navis explicato velo cum vectoribus*, Caracallae max. mod. (Arigoni.)

Scriptum CЄITOC pro CITOC, quod et *commeatum*, *annonam* significat, et indicare annonam Caracallae beneficio impetratam videtur, quod explicabitur amplius infra, ubi de ludis agam. Navis quoque typus inscriptionem juvat, quae annonam adfert. Sic et ANNONA in numis Neronis adstitutam navim habet.

KOINOBOTΛION. ЄΛЄTΘ. TAPC. *Pallas sedens calculum in subjectum vas mittit*, in argenteo Caracallae. (Vaill. Num. praest. Morelli Spec. p. 51.)

KOINOBOTΛION. etc. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam, juxta clypeus*, Caracallae m. m. (Mus. Caes.)

Vocabulum KOINOBOTΛION *commune consilium* significat, et quidem ipsius Tarsi. Nam, ut praeclare observat Belleyus contra Spanhemium, teste Dione Chrysostomo tres fuere Tarsi ordines, Δημος, Βυλη, Γερουσια, et ipse Dio laudat Tarsenses, quod concordes sint et κοινη βυλευονται *in commune consulant* a). Pallas typus est idoneus, nam non modo ipsa est sapientiae praeses, qua opus est cumprimis, cum in commune consulimus, qua de causa eam recte Phocion πολεμικην τε ἁμα και πολιτικην, bellatricem, *simul et civilium artium peritam* dixit b), verum et ipsa aliquando Orestem in judicio adposito suo calculo absolvit. Et stetisse Athenis in curia aram Iovis Βυλαιου, et Minervae Βυλαιας testatur Antiphon c). Idem vocabulum et similis typus est etiam in numis Anazarbi ejusdem Caracallae. Enim vero ex collatis numis Tarsi et Anazarbi satis apparet, et patebit magis continuo, hanc alterius non aemulam modo exstitisse, sed et in plerisque serviliter imitatricem.

* * *

Typi pro tanta numorum copia multum variant. Herculis labores frequenter proponuntur, et fuit hic eximie in hac urbe cultus, decantatis etiam publice hymnis, ut refert Dio Chrysostomus d). Inter hos illustriores sunt:

Hercules nudus stans d. clavam capiti bovino impositam, s. exuvias leonis et puellum eum adstante cerva colludentem, pone arbor, cui insistit avis. Maximini, AE. m. m. (Venuti Mus. Albani, Liebe p. 381.)

Vterque vir eruditus hoc typo varios Herculis labores, et propter puellum sinu gestatum ipsum Herculem tanquam bonum patrem familias propositum cre-

a) Orat. XXXIV. b) Plut. in Phoc. c. 7. c) Orat. περι του χορειυτου. d) Orat. XXXIII.

Digitized by Google

didere, cum tamen in hoc numo una agatur Telephi Herculis filii a cerva nutriti fabula, quam ex hoc ipso aliisque monumentis late explicavi in moneta Pergami Mysiae.

* * *

Scylla canibus succincta s. gubernaculum, dextera vel extenta, vel admotam ori concham inflans, in AE. m. m. Gordiani, (Mus. Florent.) Pupieni. (Num. max. mod. reg. Gall.)

Modo simillimo fingitur Scylla in notis denariis Sex. Pompeji. Sed si causam tenemus, cur his illata sit, nimirum propter relatam a Pompejo victoriam in freto Siculo, in quo fuit hujus monstri cubile, ignoramus certe, quae praedae spes eam in Ciliciam invitaverit, nisi forte eam ostentant Tarsensium numi causa Herculis, quod is ferebatur huic monstro mortem maturasse. (Tzetzes ad Lycophr. v. 45.)

ΑΤτοκρατωρ ΚΑΙσαρ ΘΕυ ΤΡΑιανυ ΠΑΡθικυ Τιος ΘΕυ ΝΕΡυα Τιωνος ΤΡΑιανος. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ϹΕβαϛος ΟΛΤΜΠΙΟϹ. Πατηρ Πατριδος. *Caput Hadriani laur.* Ɪ ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΤΑΡϹΕΩΝ ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. *Aquila expansis alis harpae insistens.* AR. m. m. (Mus. Caes.)

Illustre hoc cimelium olim vulgavi pictumque stiti metallo, volumine, Hadriani titulis, aversae typo in paucis nobile. (Sylloge I. p. 47.) Aquilam et harpen ad Perseum pertinere ex monumentis et mythologorum doctrina invicte demonstratur. In numis obviis Philippi V. Macedoniae regis, de cujus in Perseum adfectu constat, habetur in antica ejus heroïs caput cum harpa, in aversa aquila. Numus Larissae Thessaliae hic quoque in aversa aquilam eodem modo harpae insistentem offert. Adde eundem typum in drachma Argorum Peloponnesi, quam dedi in meis Numis veteribus [a]). At fuit Argos certa Persei patria, Larissa Perseo male cognita, quia in hac Acrisium avum imprudens interfecit. Harum urbium et exemplo et jure Tarsus quoque cum harpam Persei, tum patris Iovis aquilam in moneta praefert, etenim conditam fuisse a Perseo, ac propterea publicos in ejus honorem hymnos hac in urbe decantatos, Tarsenses vero sese Argivos professos, copiose olim demonstravi [b]).

* * *

1) ΚΟΙΝΟϹ. ΤΩΝ. ΤΡΙΩΝ. ΕΠΑΡΧΙΩΝ. *Corona, cui praeter literas* Γ. Β. *insistunt* XI. *capita quorum quinque mulierum, quatuor virorum esse dignoscuntur, reliquis duabus extritis*, Caracallae. (Frölich IV. Tent. p. 450.)

2) ΤΑΡϹΟΤ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. Α. Μ. Κ. Γ. Β. *Duo circuli concentrici, quorum interiori adfixa sunt VII. capita tam virorum, quam feminarum, et totidem similia circulo exteriori quorum unum juvenile laureatum ab adstante hinc et inde Victoria coronatur*, Gordiani. (Pellerin. Mel. II. p. 200.)

3) ΤΑΡϹΟΤ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. Α. Μ. Κ. *Corona, circa quam VII. capita humana*, Caracallae. (Theupoli.)

4) ΚΟΙΝΟΝ. ΚΙΛΙΚΙΑϹ. ΤΑΡϹΟΤ. ΔΙϹ. ΝΕΟΚΟΡΟΤ. *Corona quam obsident VIII. capita varia, intus rami ludorum.* Ɪ ΑΔΡΙΑΝΗ. ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ.

a) Pag. 78. b) Num. vet. p. 80.

Digitized by Google

ΤΑΡCOC. ΜΗΤΡΟΠ. *Mulier rupi insidens, subtus fluvius emergens.* (Gessner ex Bianchini hist.)

5) Eadem adversa. Ϟ Η. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ΑΔΡΙΑΝΗ. ΚΟΜΜΟΔΙΑΝΗ. ΤΑΡCOC. Idem typus. (Ibid.)

6) ΤΑΡCOΤ. ΜΗΤΡ. ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ. ΙCΑΤΡΙΑ. ΚΑΡΙΑ. ΛΥΚΑΟΝΙΑ. *Mulier turrita scopulis insidens cum emergente subtus flumine, adstant duae feminae turritae Isauriam et Cariam adsimilantes, Lycaonia retro stans Tarso coronam imponit*, Severi. (Vaill.)

Epigraphen numi I. ΚΟΙΝΟC. ΤΩΝ. ΤΡΙΩΝ. ΕΠΑΡΧΙΩΝ. *Commune trium provinciarum* praeclare explicat Frölichius ope numi VI., nimirum tres provincias in priore numo enuntiatas absque tamen nomine alias non esse, quam Isauriam, Cariam, Lycaoniam. Apparet etiam ex vocabulo ΚΟΙΝΟC, quo ἀγων subauditur, fuisse tribus his provinciis communionem ludorum, quos numi docent Tarsi celebratos, sed quorum causa a veteribus dissimulatur.

Quod ad capita in circulum disposita attinet, existimat Frölichius, in suo Caracallae numo exhiberi familiam hujus Augusti in linea tam ascendente, quam descendente, capitibus XI. constantem, de qua hujus occasione numi erudite disserit [a]). At hanc ejus sententiam alii videntur numi hic ex proposito citati convellere. Nam cur in altero numo ejusdem Caracallae septem tantum comparent capita? Magnopere etiam quis laborabit, qui septem capita, quae visuntur in numo Gordiani, et octo illa, quae sunt in numis 4. et 5., sub Commodo, ut vocabulum ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ docet, signatis ad horum Augustorum volet familiam exigere. Interea quis sit horum capitum sensus, decidere vereor, aliorumque judicio lubens decedo. Similis corona cum adfixis octo capitibus est etiam in numo Aspendi cum capite Saloninae [b]).

Numus VI. exhibet genium, seu Fortunam Tarsi praeeuntibus numis autonomis supra descriptis. Reliquus typus me commonefacit decreti Byzantiorum, quo hi sanxere, ut publice erigerentur tres statuae, nimirum populi Atheniensis coronati a populo Byzantiorum et Perinthiorum [c]).

* * *

Metropolis. Hunc honorem inde ab Augusto constanter profitetur, quo etiam gavisam jam Strabo professus est: τον της μητροπολεως ἐπεχυσα λογον, de Tarso loquens. Vocat se in nonnullis metropolin ΚΙΛΙΚΙΑC. vel ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ. (Vaill. in Ant. Pio, Severo.)

* * *

Autonomiam videt Pellerinius in argenteo max. mod. cum capite hinc Hadriani, inde Sabinae, juxta cujus Augustae caput hinc est A, inde T. Addit, tanto verisimilius videri his literis notari autonomiam, quod hanc constat, ut articulo sequente dicetur, a M. Antonio urbi concessam [d]). At verius legendum ΑΤγυς-η, probabimus in numis hujus Sabinae.

* * *

Libera, ΕΛΕΤΘερα in numo, in quo

a) l. c. p. 454. b) Pellerin Mel. II. c) Demosth. de Corona. d) Mel. I. p. 187.

Digitized by Google

ΚΟΙΝΟΒΟΥΛΙΟΝ, de quo supra. Tarsensibus a M. Antonio datam libertatem, narrat Appianus [a]). Et refert Lucianus [b]), Tarsum deprecante Athenodoro, quo in philosophia praeceptore usus est Augustus, vectigalibus levatam fuisse. Quod beneficium tulisse aetatem, inde arguo, quod Luciani adhuc aevo Tarsenses Athenodoro tanquam heroi annuos honores obtulere.

* * *

Imperatorum nomina varia tulit. Vocatam *Iuliopolin*, initio diximus, at numi tacent.

ΑΔΡΙΑΝΗ. Istud nomen jam in numis sub ipsum Hadriani imperium signatis usurpavit, ut docent numi aliquot altius descripti, item alter Antinoi. (Vaill.) Ab Hadriano peculiaria videtur beneficia abstulisse, cujus nomen in sequentium etiam imperatorum numis retinuit.

ΑΔΡΙΑΝΗ. ΚΟΜΟΔΙΑΝΗ. in numis Commodi, etiam autonomis.

ΑΔΡ. CЄΤΗΡΙΑΝΗ. Severi.

ΑΔΡ. CЄΤΗ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑΝΗ. vel ΑΝΤΩΝЄΙΝΟΤΠΟΛΙ. Caracallae.

ΑΔΡ. CЄΤ. ΜΑΚΡЄΙΝΙΑΝΗ. Macrini.

ΑΔΡ. CЄΤ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΙΑΝ. vel: ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΤ. Alexandri Sev.

Inde ab Alexandro vix videtur ullius amplius Augusti cognomentum usurpasse, etsi copiosi adhuc suppetant numi. Quare dubitem de lectione numi Valeriani sen. apud Vaillantium, inscripti, ut ait: ΑΔΡ. CЄΤ. ΑΝΤ. ΜΗΤ. ΤΑΡCΟC.

* * *

Neocoratus in solis Commodi numis, etiam autonomis, sed quos paullo ante sub imperatoriis citavi, proditur: ΔIC. ΝЄΩΚΟΡΟΤ., neque ante hunc, neque posthac ejus mentio. Frölichius in autonomo vetustioris formae vidit inscriptum B. ΝΕΩΚΟ. (Animadv. in num. vet. urb. p. 113. edit. Flor.) sed in hoc numo, qui nunc est in museo Caesareo, per aetatem adeso, praetensa epigraphe parum luculenta est.

* * *

Mentio situs ad Cydnum fl. in autonomo supra laudato, et in numo Antinoi, in quo ΚΤΔΝΟC. *Fluvius decumbens.* (Vaill. Num. Graec. p. 345.)

* * *

Literae solitariae A. M. K. in Tarsi et Anazarbi numis frequenter leguntur, et in numis quidem Tarsi apud Vaillantium inde a L. Vero, in numis Anazarbi a Caracalla, vel Elagabalo. Antiqua inter antiquarios et nondum satis explicata ratio, quis sit harum literarum verus sensus. Horum judicia omnia studiose collegit Belleyus, quae brevitatis causa praetermitto, et qui volet, adeat [c]). Confutatis reliquis eam censet amplectendam sententiam, quae sic explicat: Πρωτη Μητροπολις Κιλικιας. Ejus rationes in pugnum contractae sunt: I. Sardes, ut suum metropoleos honorem omnibus aliis aliarum urbium praeferendum docerent, in numis scripsere: CΑΡΔIC. ΑCIAC. ΛΥΔΙΑC. ЄΛΛΑΔΟC. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛIC. id est: *Asiae*, *Lydiae*, *Helladis prima metropolis.* Eodem modo et hae urbes se scripsere *primam metropolin*, sed Ciliciae. II. In numo Domitiani Nicaeae signato legitur: ΝΕΙΚΑΕΙΣ. ΠΡΩΤ. ΠΟΝΤ. Α. Μ. Β. id

a) Bell. civ. L. V. c. 7. b) in Macrob. c) B. L. T. XXXI. hist. p. 278.

Digitized by Google

est: Πρωτη Μητροπολις Βιθυνιας, ergo etiam in Tarsi et Anazarbi numis literae A. M. K. analogam significationem habent. III. Non obest, literas A. M. K. inscribi passim numis, in quibus per epigraphen TAPCOT. MHTPOΠOΛEΩC. sese urbs metropolin jam professa est; similis enim tautologia etiam habetur in numo Nicomediae cum capite Claudii - - - ANΘTΠATOT. B. ΠATPΩNOΣ. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. et infra: M. NIKO.

His argumentis utitur Belleyus ad intentum sensum eliciendum, eaque tam valida ipse putat, ut dubitari de eo nullatenus posse crederet. Fateor, esse tamen, quae difficilem reddant adsensum, etsi eam penitus evertere sententiam neque velim, neque possim. En quae in contrarium dici possunt. Subsidium, quod ex numo Nicaeae mutuatur, nullum est; nam literas A. M. B. de metropoli explicari non posse inde certum est, quod Nicaea saltem ea aetate, qua numus signatus est, metropolis certe non exstitit, ut dixi, cum in hunc Nicaeae numum commentarer. Iuvare quidem videtur numus Sardium, sed tamen molesta cuivis videatur aperta in his Ciliciae urbium numis tautologia, neque ea in aliquibus tantum, aut aliqua solum aetate cusis observata, verum in omnibus fere, et copiosissimis inde a L. Vero usque ad Gallienum cusis. Si hae literae indubitatum hunc sensum facerent, mirum, non etiam aliquando hunc metropoleos primatum ipsi epigraphes versui insertum, scriptumque more Sardium: TAPCOT. A. MHTPOΠOΛEΩC. KIΛIKIAC. Neque satis rem evincit tautologia in numo Nicomedensi exstans; nam tam manifesta ea tautologia non est, cum primum MHTPOΠOΛEΩΣ referatur ad titulum proconsulis patroni, alterum M., aut verius scriptum colligatis literis M. NIKO. Metropolin Nicomediam notet, ut est in numo Claudii apud Pellerinium.

Vt difficultatibus suis haec a Belleyo adprobata sententia non vacat, ita vereor aptiorem aliam me posse sententiam extundere. Si verum est, literas A. M. B. in citato Nicaeae numo significare Αριςων Μεγιςων Βιθυνιας, ut suo loco explicari posse conjeceram, satis possit videri verisimile, literas A. M. K. in Ciliciae quoque moneta significare TAPCOT. vel ANAZAPBOT. Αριςης. Μεγιςης. Κιλικιας., quam tenuem conjecturam perinde atque universam hanc causam lubens eorum, qui me plus valent, arbitrio relinquo.

Aliam explicationem non incommodam offerunt numi Ephesi, in quorum aliis cum capite Decii scribitur ЄΦЄCIΩN. A. ACIAC. *primorum Asiae*, in aliis cum capite Macrini: ЄΦЄCIΩN. MONΩN. ΠPΩTΩN. ACIAC. *solorum primorum Asiae*. Explica secundum hos epigraphen: TAPCOT. MHTPOΠOΛEΩC. A. M. K. et habebis: *Tarsi metropolis, quae est prima sola Ciliciae*. Hic explicatus nequaquam novus est, nam eum jam ὡς ἐν παροδῳ propositum video a Vaillantio [a]), et Bandurio [b]).

Novissime earum sensum literarum explicare adortus est Abbas Mazzolenus, sed fortuna, ut saltem mihi videtur, tam

a) Num. Graec. p. 130. b) T. I. p. 41.

Digitized by Google

adversa, ut ejus dictatis commemorandis immorari nolim. Lege, si lubet, ipsa auctoris verba a), sed et parum benevolum de iis Cl. Pacciaudi judicium b).

* * *

Praeter dictas literas etiam in numis tam Tarsi, quam Anazarbi comparent literae Γ. Β. vel Γ. Γ., quibus communi judicio notatur: Γραμματι Βυλης, vel Γερουσιας consentiente etiam Belleyo.

Aliae literae, quae in nonnullis imperatoriis observantur, minus parabilem habent explicatum, ut in numo Caracallae: ϵΛ. N. (Theup.) in numo Alexandri: Γ. ϵΠ. Π. Β. N. (Mus. Caes.)

* * *

Magistratus:

Αρχιερεως mentio in unico numo Severi apud Vaillantium: ϵΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ΟΜ. Haec ejus auctoris fide; nam in nullo alio hactenus vulgato hujus urbis numo cum capite imperatoris observatus magistratus seu sacer, seu profanus, et nescio, cur Αρχιερεα potius velit Vaillantius, quam Αρχοντα. Sane quo loco Αρχιερεις recenset c), Tarsum omisit.

* * *

Commune.

KOINON. KIΛIKIAC. typo *templi*, in pluribus numis, Augusti, (Morelli. num. Liviae.) Nervae, Antonini, Aurelii, Commodi. (Vaill.)

KOINON. TAPCOT. *Victoria stans cum genio urbis*, Caracallae. (Vaill.)

* * *

Ludi:

KOMOΔϵIA. Commodi. (Vaill.)

KOMOΔϵIOC. OIKOTMϵNIKOC. ΔIC. NϵΩKOPΘT. Commodi. (Vaill. Albani.)

CϵTHPϵIA. OΛTMΠIA. ϵΠINϵIKIA. Severi, de quo numo mox plura.

CϵTHPIA. AT. ANTΩNINI. KOPAIA. ATΓOTCTIA. AKTIA. *Mensa, super qua tres urnae*, Valeriani. (Pellerin Rec. III. p. XLVII.)

Lego: CϵTHP A. ATεηλια ANTΩNINIανα etc.: omnibus vero his nominibus triplices tantum ludos, nempe pro numero urnarum, designari puto, sic ut primus agon sit, qui constitutus est in honorem Severi, ejusque filii Aur. Antonini, alter KOPAIA in honorem Proserpinae, tertius Actia ab auctore Augusto dictus Augustea. Istud singulare, adhuc Valeriani aetate in Severi et Caracallae honorem apud Tarsum celebratos ludos. Cum constet, honores Caesaribus delatos, si quos suasit assentandi studium, continuo post eorum obitum antiquatos, necesse est, Tarsum ab utroque Caesare non insigni modo, sed et perpetuo beneficio fuisse adfectam. Cujus generis illud fuerit, non obscure credo explicat citatus supra Caracallae numus inscriptus CϵITOC, *annona*, typo navis explicato velo, ex quo verisimile, a Severo urbi perpetuos annonae reditus fuisse adsignatos, quales idem et adsignavit Laodiceae Syriae, quae deinde grati animi causa numos percussit inscriptos: AETERNVM. BENEFICIVM., ut ad hos numos prolixe explicabimus, pro qua inscriptione Tarsenses usi sunt vocabulo CϵITOC, et Nicomedenses vocabulo CTOΛOC., nam et similis liberalitas in Constantinopo-

a) In praef. ad trib. potest. b) Monum. Pelop. p. 237. c) pag 310.

Digitized by Google

lin a Constantino M. collata dicitur σιτηρεσιον apud Photium a). Analoge ad hoc beneficium frumentarium placuit Tarsensibus celebrare ΔΗΜΗΤΡΙΑ, de quibus continuo, et ΚΟΡΑΙΑ, nempe in honorem Cereris et Proserpinae annonae praesidum.

ΔΗΜΗΤΡΙΑ Caracallae. (Vaill.)

ΚΟΙΝΟC. ΚΙΛΙΚΙΑC. subaudi: ἀγων, non quod ait Vaillantius, esse positum ΚΟΙΝΟC pro ΚΟΙΝΟΝ, ut jam observavit Pellerinius b). Sic etiam in numo musei Caesarei: ΚΟΙΝΟC. ΤΩΝ. ΤΡΙΩΝ. ΕΠΑΡΧΙΩΝ. de quo supra.

Ludi in Codrigis.

ΑΔΡ. CΕΤΗΡΙΑΝΗC. ΤΑΡCΟΥ. ΜΗΤΡΟΠ. ΕΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙC. ΟΡΟΙC. ΚΙΛΙΚΩΝ. CΕΤΗΡΕΙΑ ΟΛΥΜΠΙΑ. ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ. *Vrna ludorum*, in alio: *Corona*. Severi. (Vaill.)

Alius, sed scriptum: ΕΝ. ΚΟΔΡΙΓΕC. (Pellerin.)

Ciliciae tractus is ad mare, qui Syriae adjacet, a binis praeliis ibi commissis magnum nomen est adeptus, primo prope Issum, quo Darium vicit Alexander, altero ad portas Amanicas, Severum inter et Pescennium. Citati hi numi docent, a Tarsensibus in Severi gratiam hoc loco ΟΡΟΙC. ΚΙΛΙΚΩΝ, *finibus Cilicum*, constitutos ludos ΕΠΙΝΕΙΚΙΑ, scilicet argumento victoriae. Locum ipsum, ubi celebrati fuere, propius definiunt hi numi: ΕΝ. ΚΟΔΡΙΓΑΙC. Hujus oppidi nomen unus Malala prodidit, cum narrat c), Diocletianum Antiochiae stadium pro ludis Olympicis aedificandum curasse, ne victores cogerentur *Cotrigas* in Ciliciam usque proficisci ad capiendam coronam ad ripam Argyri fluminis, ὡσε μη ἀπιεναι ἐν Κοτριγαις της Κιλικιας, και στεφανωσθαι ἐν Αργυρῳ. A quo illustri Malalae loco docemur, *Codrigas* in numo memoratas non esse *quadrigas*, certaminis quoddam genus in his ludis usitatum, ut post Vaillantium et Harduinum omnibus hactenus antiquariis visum, sed oppidum in Cilicum finibus constitutum. Quae hic commemoravi, fusius ac erudite disputavit Belleyus d), etsi hujus inventi laus debeatur erudito Wisio e).

At vero ex eodem hoc Malalae loco suspicari subit, jam ante Severi aetatem Codrigas fuisse a ludorum solennibus inclytas. Nam ut fingamus, constituta ibi certamina propter Severi victoriam, verisimile est futurum fuisse, ut ea mortuo Severo, aut saltem exstincta ejus familia, sublata nempe adulationis materia, celebrari desinerent. At docet Malala, sub ipsum adhuc Diocletiani imperium Codrigarum stadium fuisse frequentatum. Ergo conjicere pronum, ejus oppidi certamina vetustioris fuisse instituti, ac forte in monumentum victoriae Alexandri M. jam olim coepisse peragi, in seram aetatem propter summam adversus eum regem existimationem continuata, ac forte procurantibus Tarsensibus, quos gravem habuisse rationem observandi Alexandri alibi disserui f). Conjecturam meam forte juvat numus sequens ab iisdem signatus, et sic a Vaillantio descriptus:

ΤΑΡCΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. *Templum*

a) In vita Pauli Cod. 257. b) Rec. III. p. 237. c) Chronogr. p. 407. d) Mem. B. L. T. XXX. p. 263. e) Mus. Bodl. p. 198. f) Num. vet. p. 80.

Digitized by Google

8 *columnarum, in cujus frontispicio:* ΟΡΕΟΙΣ. ΚΙΛΙΚΙΑΣ. *Montanis Ciliciae.* Est Augusti.

Vocabulum ΟΡΕΟΙΣ Graecum vix est, et ad notanda *montana* scribendum fuerat ΟΡΕΙΩΙΣ, et difficile erit divinare, quis Tarsensibus fuerit cum montanis Ciliciae nexus. Forte legendum ΟΡΟΙΣ. ΚΙΛΙΚΙΑΣ. analoge ad citatos supra Severi numos, ac tum indicabuntur ludi in Alexandri honorem apud Codrigas instituti, quorum deinde solennia per ipsam Severi in vicinia victoriam majore pompa fuerint obita, ut numi manifestant. Implexior altera quaestio, quo pacto Antiocheni, cum ipsi usque ad tempora Diocletiani stadio Olympico carerent, coacti fuerint, ut ait Malala, coronas athleticas inde a Cilicia petere, cum tamen constet ex Iosepho, Antiochenos jam Herodis M. aetate suos habuisse Olympicos [a])? Praecipue cum idem Malala locis iis, quibus Claudii et Commodi res gestae refert, perhibeat quoque, Antiochenos ab Eleis jus Olympiorum aere redemisse, illosque ab iis apud urbem suam profusis sumptibus actos? Sed enim conciliare, in quibus ineptus hic scriptor sibi contradicit, alterius negotium esto.

AR. RR. AE. C.

ZEPHYRIVM.

In Trachea promontorium cum oppido.

Autonomus.

Caput muliebre velatum turritum. Ꝛ ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ. *Duae faces in decussem positae intra coronam.* AE. fere I. (Pellerin.)

Nomine Zephyrii plures exstitere per Asiam urbes, at numum huic Ciliciae oppido vindicat typus anticae plane Cilicius.

* * *

Huic Pellerinius junxit alterum argenteum, inscriptum, ut rebatur, -ΕΦΥ., sed quem loco suo docuimus esse Erythrarum Boeotiae. Binos alios dedit Goltzius [b]), sed qui certe sunt vel Arcadum, vel Megalopolis adficta epigraphe ΖΕΦΥΡΙΕΩΝ, vel ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Comperti Hadriani et Treboniani.

Epigraphe: ΖΕΦΥΡΙΩΤΩΝ. *Typi* obvii.

* * *

Concordiam cum Irenopoli Ciliciae in numo Treboniani vidit Vaillantius, de cujus epigraphes fide egi supra in Irenopoli.

Generatim notandum, a variis antiquariis productos numos, in quibus viderunt concordiam inter Castabala et Hieropolin, Corycum et Heracleam, Doron et Olbam, Irenopolin et Zephyrium, Seleuciam et Claudiopolin. Verum ut suis locis vidimus, dubitare de singulis licet, neque certum habemus numum, quo doceremur, ab ulla Ciliciae urbe cum altera initam concordiam, ne quidem a Tarso urbe praepotente.

AE. RRR.

a) Ant. Iud. L. XVI. c. V. §. 3. b) Ins. Asiae. tab. IV.

Digitized by Google

INSVLAE AD CILICIAM.

ELAEVSA *serius* SEBASTE.

Vrbs in insula cognomine Lami ostiis opposita, et Ciliciae fere contigua, cujus eam Ptolemaeus inter ipsas urbes secundum litus positas recenset. In ea regiam fixit Archelaus Cappadociae rex, posteaquam ei Augustus Ciliciam Tracheam cum modica hac insula cessit. Eam rex in benefactoris gratiam *Sebasten* vocavit, quae omnia uno loco egregie confirmat Iosephus [a]: *Herodes profectus cum filiis, cum juxta Ciliciam ELAEVSEN, quae nunc SEBASTE dicitur, appulisset, reperit regem Cappadociae Archelaum.* Vtroque nomine supersunt numi:

I. Nomine Elaeusae.

Autonomi:

Caput Iovis diadematum. Ɪ ΕΛΑΙΟΤΣΙΩΝ. *Victoria gradiens, in area sparsae literae.* ÆE. III. (Mus. Caes. Haym, Pembrock.)

Caput muliebre velatum. Ɪ ΕΛΑΙΟΤΣΙΩΝ. *Apis.* ÆE. III. (Neumann.)

Literae et monogrammata per hos numos vaga moris sunt Ciliciі, in quibus explicandis nimium video fuisse ingeniosos Haymium, et Frölichium [b].

AE. RR.

II. Nomine Sebastes.

Autonomus:

Caput muliebre velatum turritum. Ɪ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. *Victoria gradiens d. coronam offert, per aream varia monogrammata.* ÆE. II. (Pembrock.)

Confer numum hunc cum praecedente autonomo Elaeusae nomine signato, et apparebit continuo, numum hunc, ceteris etiam partibus totum Cilicem, ad aliam Sebasten pertinere non posse.

AE. RRRR.

Regii:

Hujus urbis exstant numi cum effigie Antiochi IV. et Iotapes Commagenes regum, inscripto ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, de quibus agetur in horum moneta.

Imperatorii.

Commodi, Crispinae, Gordiani, Valeriani sen. (Vaill. Theupoli, Pellerin.)

a) L. XVI. b) Animadv. ad num. urb.

Digitized by Google

Epigraphe: CЄB. vel CЄBAСTH.

Honorum tituli: ACT. ATTON. ЄΛЄTΘЄPA. NATAPX. in numo Commodi. (Vaill.)

* * *

Epochae annum in uno, eoque Valeriani, inscripsit, nempe ЄT. COΔ., quare difficile est, ejus exordium tuto definire. Vaillantius illud figit ad annum V. C. 736. Harduinus mavult annum 734. Sed Belleyus sola analogia inductus inchoandam censet ab anno 735. exemplo Anazarbi, et Antiochiae ad Sarum [a]). Istud certum, hanc insulam cum parte Ciliciae maritimae V. C. 734. dominum mutasse, Archelao Cappadociae regi ab Augusto permissam, ut dicetur in hujus numis.

AE. RRR.

REGES CILICIAE.

Vetusti Ciliciae reges circum tempora Trojana memorantur. Inde a Cyri regno Persis paruit. His ab Alexandro devictis, positisque tandem successorum dissidiis regio omnis in Syriae regum potestatem pervenit. Eam Pompejus victo Tigrane in provinciam redegit constitutis tantum in ejus parte regulis, quorum habemus numismata.

TARCONDIMOTVS I.

Tarcondimotum ob virtutis praestantiam a Romanis constitutum regem, et successionem posteritati suae traditam refert Strabo [b]). Tenuisse eum partem Ciliciae superioris, ait Plutarchus [c]). A Cicerone *fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusque populi R.* dicitur [d]). In bello civili adhaesit Pompejo [e]), post pugnam Pharsalicam a Caesare donatus venia [f]), quam promeritus videbatur, quod mox post cladem partes Pompejanas deseruit [g]). Ad bellum Bruti et Cassii vi compulsus [h]) subinde M. Antonium secutus in bello Actiaco perit V. C. 723 [i]).

Reliquit filios *Philopatorem*, et *Tarcondimotum II.*, de quibus mox.

Numus:

Caput regis imberbe diadematum. Ʃ BAΣIΛEΩΣ. TAPKONΔIMOTOT. *infra* Λ. ANTΩNIOT. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Maffei Ant. Gall. p. 14 et in Veron. ill. P. III. p. 235.)

---

a) B. L. T. XXXII. p. 723. b) L. XIV. p. m. 994. c) In Pomp. p. 994. B. d) L. XV. ad fam. ep. 1. e) Plut. l. c. f) Dio L. XLI. §. 63. g) Lucan. L. IX. 219. h) Dio L. XLVII. §. 26. i) Dio L. L. §. 14.

Digitized by Google

Verum numus hic regis nomen stabilit, quod in Strabone, Plutarcho, Lucano corruptum legitur. Scriptum infra Λ. ANTΩNIOT. arguit, Tarcondimotum observantiae causa gentis Antoniae nomen sibi adscivisse, cujus exempla vidimus in regibus Bospori, et supra in numis vicini Polemonis Olbae pontificis. Si vere legitur praenomen Λ. seu *Lucii*, erit nomen in numo scriptum L. Antonii, qui fuit frater Marci IIIviri. Sed forte M. pro Λ. legendum; nam M fallente matrice media sui parte exclusum facile ꟽ Λ speciem praebet.

AE. RRRR.

PHILOPATOR.

Tarcondimoti I. filii Philopator I. et Tarcondimotus II. cum Antonium ad Actium victum intelligerent, ejus partes deserunt [a]). Philopatori continuo Octavianus paternum regnum adimit [b]), sed decennio post Tarcondimoto II. ditionem, quam pater in Cilicia habuit, exceptis quibusdam maritimis restituit V. C. 734 [c]). Reliqua utriusque fratris ignorantur.

Philopator II. forte Tarcondimoti II. filius in regno succedit, incertum quando. Istud unum novimus ex Tacito [d]), Philopatorem Cilicum regem vita functum V. C. 770.

Numi:

Caput muliebre velatum turritum. ΣBACIΛЄΩC. ΦIΛOΠATOPOC. *Pallas stans d. Victoriolam, s. clypeum humi attinet. In horum uno literae* ΔΛ. AE. II. (Haym. T. I. p. m. 154. Theupoli.)

Dubitari potest, sintne hi numi tribuendi Philopatori I. an II. Si literae ΔΛ. annum regni notant, quod visum Massonio apud Haymium [e]), pertinere ad primum non possunt, qui vix degustato regno ab Octaviano pulsus est, ut diximus. Ergo ad Philopatorem II., qui si regnare coepit circa annum V. C. 736., potuit attingere annum regni ΔΛ. seu 34., cum mortuus tandem sit V. C. 770. Sed enim nondum satis liquere puto, notas illas revera esse arithmeticas, aut si istud sunt, esse indices annorum regni. Enim vero proprium istud est monetae Cilicum, ut literas per aream offerant, quae arithmeticae videri possunt, nulla tamen certa ejus causa. Sic in numis variarum Ciliciae urbium apud unum Pellerinium videas EP. ZP. HP. ΔN., in museo Caesareo: ΣA. ΔT. etc. Ceterum jam soli typi numum hunc esse Cilicem profitentur. Numus Seleuciae ad Calicadnum eosdem utrinque habet imagines.

AE. RRRR.

Archelai, qui partem Ciliciae sub Augusto tenuit, numos vide in regibus Cappadociae.

* * *

Numos sacerdotum et principum Olbae vide supra in numis Olbae.

---

a) Dio L. LI. c. 7. b) Dio L. LI. §. 2. c) Dio LIV. §. 9. d) Ann. II. c. 42. e) l. c.

Digitized by Google

CYPRVS.

Autonomum totius insulae nomine certae fidei nullum habemus. Numi ΚΥΠΡΙΩΝ cum templo Veneris Paphiae apud unum Goltzium exstant. Quem antiquarii huc revocant inscriptum ΚΥ. et cum nomine Eprii Marcelli proconsulis, verius credam pertinere Cymen Aeolidis, ut in hac monui. In alio Arigoniano pro praetenso ΚΙΠΡΟΣ legendum ΜΗΤΡΟΣ, et videtur esse Metrol Bithyniae, ut ibi dictum.

Imperatorii.

Cum epigraphe Graeca sunt a Claudio usque ad Macrinum. In his omnibus.

Epigraphe ΚΥΠΡΙΩΝ. *Typi* potiores:

Templum Veneris Paphiae, de quo vide infra in Papho. — *Iuppiter stans d. pateram, s. baculum cum aquila*, quem jam plerique Iovem Salaminium putant secuti Vaillantii oraculum [a]), de quo vide numos ΕΤΟΤΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ., in quibus hic typus frequens.

ΚΟΙΝΟΝ. ΚΥΠΡΙΩΝ. Sic fere omnes Cypriorum numi inscribuntur.

* * *

Magistratus proconsul. Secundum divisionem provinciarum ab Augusto V. C. 727. factam fuit Cyprus provincia Augusti teste Dione [b]), at quinquennio post idem Cyprum senatui populoque reddidit, quia nihil armis suis indigeret, atque ita proconsules huc mitti coepere, quod iterum diserte testatur Dio [c]). Istud confirmatur numis:

A. PLAVTIVS. PROCOS. *Templum Veneris Paphiae*, in numo Augusti. (Morelli Impp. T. I. p. 422. Mus. princ. Waldeck.)

Iungendus huic alter:

AEL. MVTIVS. PROCOS. *Templum Veneris Paphiae.* Ϫ LIVIA. IMP. CAES. *Caput Liviae.* AE. III.

His verbis hunc numum ex museo Pfau promulgavit Panelius [d]). Nemo non videt, absurdum esse hac aetate duplex gentis nomen Aeliae et Mutiae in uno sociatam. At quivis non gravate το AEL. MVTIVS. ope numi praecedentis in A. PLAVTIVS. corriget.

* * *

ΕΠΙ. ΚΟΜΙΝΙΟΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟ., *in medio numi* ΚΥΠΡΙΩΝ. Ϫ *Caput Claudii cum epigraphe Latina.* (Morelli in fam. Comin. Vaill. Theupoli.)

* * *

Eprii Marcelli Procos. numos hactenus Cypro tributos vide in moneta Cymes Aeolidos.

---

a) Num. praest. T. II. p. 93. b) L. LIII.ª §. 12. c) l. c. et L. LIV. §. 4. d) de num. Tarrac. p. 136.

Digitized by Google

* * *

Annos imperii signavere Cyprii in numis Galbae: ЄTOTC. A. (Vaill.) ЄTOTC. B. (Haym T. II. p. m. 245.) de quo duplice anno vide, quae ad numos Galbae notabimus. Vespasiani: ЄTOTC. H. (Vaill.) Inscripsere etiam consulatum numis Trajani: TΠAT. ς. vel: ΔHMAPX. ЄΞ. TΠATO. (Mus. Caes. Theup.)

* * *

ЄTOTΣ. NEOT. IEPOT. in numis argenteis Vespasiani, quorum alios in hac insula fuisse signatos proprii Cypriorum typi dubitare non sinunt, sed de qua numorum classe agemus alibi articulo singulari.

* * *

IMP. AVGVST. *Caput Augusti laur.* ℞ S. C. *intra coronam quernam.* AE. I.

TI. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Tiberii nudum.* ℞ DIVOS. AVGVSTVS. PATER. PATRIAE. *Caput Augusti laur. imminente astro, prae quo fulmen.* AE. m. m. (Pellerin Suppl. IV. p. 1.) AE. I. (Mus. Caes.)

Narrat Pellerinius, effossos esse in Cypro complures hujus generis una cum numis Claudii inscriptis KOINON. KTIΠIΩN, et esse ex cupro rubro, quale Cyprus insigniter laudatum protulit. Ex quo arguit, non omnes numos hujus argumenti, quod priores antiquarii censuere, signatos Antiochiae Syriae, sed etiam Cyprum in horum communionem vocandam [a]).

* * *

DRVSVS. CAESAR. *Caput nudum Drusi jun.* ℞ *Templum Veneris Paphiae.* AE. III.

Similes numos Vaillantius propter typum aversae in Cyprum ablegat [b]), et sane videmus, inscriptionem capitis Latinam valuisse in numis Cypri jam inde ab Augusto.

AR. RR. AE. C.

AMATHVS.

Autonomi argenteus et aeneus AMAΘOTΣIΩN apud unum Goltzium. Alium huc refert Arigonius: AMA. *Canis sedens sublato in altum pede anteriore*, sed satis apparet ex numo Sames, quem mox infra producit, eum huic Cephallenum urbi tribuendum. Pellerinius aeneum, in quo legit AMA., huc pertinere posse suspicatus est [c]), sed quem esse Corcyrae, praeclare evicit Neumannus [d]).

CARPASIA.

Autonomi argenteus et aeneus KAPΠAΣIEΩN apud solum Goltzium.

CERAVNIENSES.

Autonomum aeneum KEPATNIEΩN Goltzius Ceraunienses Cypri tribuit, quos tamen nullos geographi in Cypro nominant.

CVRIVM.

Autonomum Goltzius, ejusque commentator Nonnius huic Curio largiti sunt: KTPIEΩN. *Duae columbae sibi*

a) Suppl. IV. p. 1. b) in Colon. p. 93. c) Rec. III. p. 128. d) T. I. p. 195.

Digitized by Google

obviantes. Ademptum Cypro Begerus singulari dissertatione Aetoliae numis inseruit. Similes alii plures deinceps reperti, quos recensuit Khellius [a]), at in plerisque his epigraphe sic est exesa, ut ex residuis literis istud saltem intelligatur, legi vix posse KTPIEΩN a Goltzio indicatum. Enimvero in simili musei Caesarei, et alio Hunteri [b]) distincte legitur OTTΣ. Quare quorsum hi numuli sint vocandi, tuto hactenus definiri nequit, nisi malimus unius Goltzii testimonio subscribere.

IDALIVM.

Autonomi duo aenei IΔAΛEΩN exstant in Goltzii Graecia, sed ab alio hactenus non conspecti. Alium inscriptum IΔAΛIΩN ex museo le Bret huc vocavit Panelius, sed legendum esse MAΛIΩN, numumque restituendum Maliensibus Thessaliae, docuit Pellerinius [c]). Nullos ergo certos habemus Idalii numos.

LAPETHVS.

Autonomus ΛAΠIHΘEΩN. soli Goltzio cognitus, in quem pluribus commentatus est Spanhemius, sed idem quoque unius Goltzii fide nixus [d]).

MARIVM.

Ad hanc Cypri urbem Begerus *autonomum* argenteum revocat: MAPI. *Caput muliebre laur.* Ꝟ *Caput virile barbatum laureatum.* Vtrum huc revera pertineat, decidere nolim, neque alibi hic numus memoratur.

PAPHVS.

Autonomos aeneos binos ΠAΦIΩN unus Goltzius vulgavit ceteris ignotos.

Ceterum haec urbs insigne nomen adepta est a Veneris, quae nata mari primum ibi appulisse ferebatur, et cultu et templo, quare et *Paphia* apud auctores passim dicitur. Templi forma persaepe conspicitur in numis Cypriorum. Exhibet autem substructionem, ante quam tres pyramides, quae clauduntur area quadam in semicirculi formam, et ne dubitari possit, hac imagine sisti templum Veneris Paphiae, vetat ejusdem architecturae templum in numo Pergami, infra quod scriptum ΠAΦIA. Ab hac pictura non abludunt veterum testimonia. Tacitus [e]): *Simulacrum deae non effigie humana; continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metae modo exsurgens.* Maximus Tyrius [f]): *Venerem Paphii colunt, cujus statua similis est pyramidi albae.* Servius [g]): *Apud Cyprios Venus in modum umbilici, vel, ut quidam volunt, metae colitur.* Denique Philostratus [h]): τῆς Ἀφροδίτης εἶδος ξυμβολικῶς ἰδρυμένον, *Veneris statua symbolice constructa.* Et vero symbolicam hanc trium pyramidum rationem videntur expedire collati duo Pausaniae loci, quorum uno narrat, Paphios Veneris Coelestis cultum traxisse ab Assyriis [i]), altero, in quo ex vetere epigrammate refert, Venerem Coelestem esse Parcarum natu majorem [k]). Quare haud dubie media et altior pyra-

a) Adpendic. II. p. 167. b) Tab. 67. n. 25. c) Rec. I. p. 171. Doctr. num. vet. tom. II. p. 330—332. d) T. I. p. 342. e) Hist. L. II. c. 3. f) Dissert. 38. g) ad Aen. I. 720. h) Vit. Apollon. L. III. c. 58. i) L. I. c. 14. k) Attic. c. 19.

Digitized by Google

mis notat hanc Venerem inter minores dnas Parcas constitutam. Extra Cyprum quoque propagatus Veneris Paphiae cultus, docentibus istud numis Pergami, et Sardium, quos adi.

NICOCLES PAPHIVS.

Caput Veneris corona altiore floribus distincta redimitum, pone BA. Σ NIKOKΛEOTΣ. ΠAΦION. *Apollo nudus cortinae insidet d. telum, s. arcum humi attinens, pro pedibus ramus.* AR. I. (Mus. M. Ducis.)

Insignem hunc numum olim ediderам [a]). Ex pluribus hoc nomine viris, quos historia Cypria laudat, tribuendus videbatur illi, quem Diodorus diserte *regem Paphiorum* appellat [b]), cujusque tristem cum universa familia exitum cum is, tum Polyaenus [c]) late describunt. Crimini datum a Ptolemaeo Lagi F., quod clam cum Antigono conspirasset. Missi ergo ab hoc milites ad mortem adigunt miserum, cujus conspecto funere ejus fratres, uxor, et omnis familia injectis regiae ignibus mortem sponte oppetivere. Accidit ea miserae genti calamitas V. C. 444. Venus et Apollo in Cypro liberaliter culti numo typos suffecerunt. Similis Apollinis sedentis typus migravit in monetam primorum vicinae Syriae regum. Vide plura a me dicta loco laudato.

AR. RRRR.

Nicocliam heroinam, prioris Nicoclis vel filiam, vel sororem ex numo male per aetatem vexato exsculpere se posse sperabat Begerus [d]). Volupe est videre, quas numo machinas adhibeant Archaeophilus, et Dulodorus noti Begeri pugiles, ut suam sibi Nicocliam proderet. At enim inanes fuere conatus, nam numus est obvius Antiochenus, in cujus aversa est: ETO. ZOP.

SALAMIS.

Condita a Teucro Telamonis F., qui eam ex nomine patriae Salaminis, a qua pulsus erat a patre, appellavit, ut refert Strabo.

Autonomi:

ΣAΛAMINI. *Caput bovis.* Σ ΦIAΣ. *Prora navis.* AR. I. (Pellerin.)

ΣAΛAMINION. *Aries.* Σ *Cornu bovinum intra quadratum.* AR. I. (Pellerin.)

Numi operis perantiqui, et soli, quos hujus urbis hactenus habemus. Nam alium, quem ibi sistit Pellerinius inscriptum ΣA. et typo hinc capitis leonis, inde bovis pertinere Samum, in hujus insulae moneta diximus. Quo minus hi numi Salamini Atticae insulae tribui possint, obstat, quod eos sibi ex Cypro insula venisse testatur Pellerinius.

AR. RRRR.

Aeneus cum capite Eurypyli a variis Salamini tributus est, sed jam in numis Pergami observavi, perperam in iis lectum CAΛAMINIΩN pro ΠEPΓAMHNΩN.

Imperatorii:

Argentei cum capite Vespasiani, et inscripti: ETOTΣ. NEOT. IEPOT. typo

a) Num. vet. p. 238. b) L. XX. c. 21. c) Stratag. L. VIII. c. 48. d) Th. Br. T. I. p. 273.

Digitized by Google

Iovis stantis d. tenentis pateram, s. scipionem, cui insistit aquila, a plerisque huc referuntur, quod praeeunte Vaillantio hunc esse Iovem Salaminium credidere. Vt certum est, Iovem hoc cultu esse Cyprium, docentibus istud numis inscriptis ΚΥΠΡΙΩΝ, quos supra dedimus, sic esse Salaminium non satis probavit Vaillantius [a]). Succurrit tamen Ammianus [b]): *Salamis et Paphus, altera Iovis delubris, altera Veneris templo insignis.*

SOLI.

Autonomum argenteum, aliumque aeneum huic Cypri urbi tribuit Pellerinius, sed dubitari de utroque potest. Argenteum cum epigraphe ΣΟΛΕΩΝ pertinere potius Solos Ciliciae, ut et alterum inscriptum ΣΟΛΟΙ ab eodem alibi editum, ad hujus numos monui. Aeneus vero ΣΩ. typo botri, et amphorae sine dubio est Corcyrae, ut jam alias ostendi [c]), etsi Pellerinio istud meum judicium fuerit iniquum visum [d]), quem lector judex adeat, et una responsum meum ad ejus novam crisin in praefatione ad Catalogum Musei Caesarei.

TAMASSVS.

Autonomi aenei ΤΑΜΑΣΙΤΩΝ cum templo Veneris Paphiae ab uno Goltzio editi.

TREMITHVS.

Autonomum aeneum ΤΡΕΜΙΘΟ-ΠΟΛΙΤΩΝ huic tribuit Goltzius nemini praeterea cognitum.

CLIDES INSVLAE.

Hae plures numero, et perexiguae contiguae fere sunt lateri orientali Cypri.

Autonomus.

Aquila volans. ℞ *Clavis.* AE. III.

Pellerinius in hoc numo, quem ipse edidit, in clavi partis aversae adlusionem ad nomen petitam a κλεις, κλειδος, *clavis*, videt, quae adeo inscriptionis vicem fungeretur.

AE. RRRR.

REGES CYPRI.

Cypri urbes vetustis temporibus suos habuere regulos, sed magno Persarum regi obnoxios. Alii in Alexandri M. tempora duraverunt, sed quos ejus suc-

a) Num. praest. T. II. p. 93. b) L. XIV. c. 8. c) Num. Vet. p. 107. d) Additions p. 72.

Digitized by Google

cessores everterunt. Eorum catalogum habes apud Reinerum Reineccium, at multo adcuratiorem in Meursii Cypro, quae est in ejus operum Tomo III. Nomine ΚΤΠΡΙΩΝ unius tantum regis hactenus proditi numi. Est is

EVAGORAS.

Duos hoc nomine Cypri reges apud veteres exstare video.

Evagoras I. ex genere Teucri Telamonis F., qui Teucer Troja expugnata Salaminen redux, sed a patre non admissus adscitis sibi sociis in Cyprum profectus urbem Salaminen patriae cognominem fundavit. Regnasse Evagoram Salamine V. C. 363. perhibet Diodorus [a]). Cononem a Lysandro ad Aegospotamum victum ad se recepit. Artaxerxi Mnemoni aperto bello restitit, sed in arctum redactus pace facta in eas leges convenit, ut soluto quotannis tributo pariturum se promitteret, sed ut regem regi [b]). Caeditur perfidia eunuchi V. C. 380 [c]). Alias ejus res gestas vide apud Diodorum [d]), Isocratem, in excerptis Photii ex Theopompo et Ctesia, quae animadversionibus illustrata Gallice reddidit Gedoynus [e]), in Cypro Meursii.

Evagorae II. meminit Diodorus, cum refert, eum ante annum V. C. 403. regem in Cypro fuisse [f]). Qua ratione regno dejectus fuerit, non addit. Istud certum, eodem illum anno una cum Phocione Atheniensi fuisse ducem classis, quam Hidrieus Cariae rex ab Artaxerxe Ocho exoratus ad oppugnandos Cyprios miserat [g]). Oblata tum recuperandi regni paterni spes exitu caruit. Nam inclinantibus in Protagoram Ochi studiis satrapiae in Asia praeesse jubetur, quam cum male administraret, in Cyprum profugus ibique comprehensus morte multatur V. C. 404 [h]).

Numus:

Caput barbatum tenui diademate redimitum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΤΑΓΟΡΟΥ. ΚΤΠΡΙΩΝ. *Aquila explicatis alis insistens fulmini pede uno, altero prehensam volucrem stringit, in area* ΔΙ., *omnia intra lauream.* AR. I. (Maffei Veron. ill. P. III. p. 235. Pembrock P. II. p. 42.)

Cum numum illustrem, eumque magni ad philologiae studia momenti editum reperimus, nostras partes putamus, in praeconis scientiam, et in arte numismatica usum adcuratius inquirere. Scipionis Maffei in philologiam merita quis ignorat? At notum etiam, illum ab ea parte, quae numos veteres complectitur, non maximam abstulisse laudem. Et vero in hac ipsa tabula, qua nobis Evagorae numum spectandum praebet, obtulit etiam aliquos propalam spurios, ceu numum Labieni, in cujus aversa CINGVLVM, alium M. Bruti, pone cujus caput pugio Caesari fatalis, ut taceam nonnullos alios jure suspectos.

---

a) L. XIV. c. 98. b) Diodor. Sic. L. XV. c. 9. c) Ibid. c. 47. d) ll. cc. e) B. L. T. XIV. Mem. p. 235. et 247. f) L. XVI. c. 42. g) Diodor. l. c. h) Diodor. L. XVI. c. 46.

Digitized by Google

Ipsas vero observationes iconismis subjectas, non pejeravero, si non invitis, sed reluctantibus omnino Musis conscriptas adseram. At constat etiam, complures palam falsos praeclarum musei Pembrockiani catalogum deformare. Haec cautionis ergo praemittenda duxi, non quo numi fidei aliquid detractum velim, qui sane, quantum in se est, nihil offert, quòd posset legibus numismaticis adversari. Interea jure mihi videor posse adfirmare, universam ejus numi naturam modumque recentiorem esse, quam ut aetati Evagorae II., nedum Evagorae I. possit adcommodari, quorum tamen posteriori tribuendum censuit Frölichius [a]). Enimvero si coaevorum regum Macedoniae, Siciliae, Cariae, Heracleae numos lubet conferre, quam in his simplicia omnia, seu inscriptionem spectes, seu typos? quam proprius illorum temporum picturae rigor? Confer modo Nicoclis numum supra in Papho descriptum, in eadem Cypro, et quidem LX. circiter annis ab Evagorae I. morte signatum, qui tamen omnibus partibus vetustioris adhuc monetae rationem sequitur. Sunt haec criteria ejus generis, quae oculos longo usu edoctos multo fallant difficilius, quam quaevis alia aliunde petita. Licebit ergo conjicere, praeclarum hunc numum multo signatum serius, et vel esse Evagorae alicujus, qui circum tempora successorum Alexandri M. regnum in Cypro obtinuit, cujus, quod saepe factum in aliis, memoria interierit, vel, si revera est Evagorae I., a Cypriis memoriae causa, quod praeclarae fuerint ejus res gestae, fuisse percussum, quod a Syracusanis quoque Gelonis et Hieronis I. gratia fuisse factum, in horum numis observavimus, aut denique, numos hos plane esse spurios. Enimvero haud ita pridem ad manus meas pervenit numus idem sic omnibus modis, etsi aereus, Maffeiano similis, ut ejusdem esse matricis partum, ambigi non possit, sed quem continuo adulterinum agnovi. Quare subit suspicari, reliquos ejusdem argumenti ad unum omnes esse ejusdem naturae.

* * *

Numum *Nicoclis* Paphi regis vide supra in numis Paphi.

LYDIA.

Numum M. Aurelii, in quo Frölichius legere sibi visus erat: KOINON. ΛΥΔΩΝ., esse verius Iconii Lycaoniae, in hujus urbis numis diximus.

a) Not. Elem. pag. 135.

Digitized by Google

ACRASVS.

In solis Notitiis haec urbs memoratur, ὁ Ακρασης, nempe, *episcopus*, et tribuitur Lydiae.

Autonomi:

Duo cogniti: AKPACIΩTΩN. typo *Telesphori*, aut *Leonis gradientis*. (Haym. T. II. p. 103.)
AE. RRR.

Imperatorii.

Incipiunt sub Commodo, desinunt cum Alexandro. Sunt etiam maximae formae.

Epigraphe: AKPACIΩTΩN.

Typi:

Diana Ephesia, aliique obvii. In numo Severi max. mod., qui est in museo Theupoli, typus sic describitur: *Vir seminudus domans taurum, fugiente altero viro, subtus taurum mulier prostrata.* Dubium non est, hoc typo exhiberi Dircen tauro raptatam, quo modo etiam proponitur in numo Thyatirae Lydiae, quam vide.

* * *

Magistratus

Praetor plerumque in his scribitur: ЄΠΙ. CTPA. BACCOT. in numo Commodi, (Mus. Caes.) et similiter.
AE. III.

ANINESVM.

Autonomi:

Caput Iovis. Ɪ ANINHΣIΩN. *Equus stans cum palmae ramo.* AE. III. (Muselli.)

KTIMЄNOC. *Caput juvenile diadematum.* Ɪ ANINHCIOIC. *Diana Ephesia.* AE. III. (Hunter tab. 22.)

Numum posteriorem Combius musei Hunteriani auctor Ctemenis Thessaliae oppido tribuit. Ergo vir eruditus nomen urbis in KTIMЄNOC quaesivit. Aliud suadent notae ex aliis numis formulae: CATOPNINOC. ANKTPANOIC. — BЄTOTPIOC. TOIC. APKACI. etc.: subaudito ANЄΘHKЄ. quod in pluribus hujus generis addi quoque frequenter solet, quos alibi collectos sistam. Quare cum ex analogiae praecepto, tum numi praecedentis Muselliani, το KTIMЄNOC est nomen magistratus, et in ANINHCIOIC nomen populi, haud dubie in Asia provincia positi, quaerendum, partim quod hujus urbes frequentius hac formula usas video, partim causa Dianae Ephesiae huic tractui familiaris. Atqui in subscriptionibus conciliorum bini memorantur episcopi Ανινητε in provincia Asia sitae, de qua vide Carolum a S. Paulo [a]), eamque inter ejusdem provinciae urbes recenset Hierocles, sed scripto ANINETA. Huic ergo urbi rarissimi hi numi sine dubio sunt tribuendi, etsi urbis situs propius definiri non possit, cum provincia Asia plures regiones complectatur. Interea

a) Geogr. sac. p. 227.

Digitized by Google

Lydiae inserui, quia eam Hierocles inter plures alias Lydiae urbes commemorat, et in hac multae fuerunt aliae vix nomine notae, et a scriptoribus penitus praeteritae. Abbas Sestinus, ipse quoque utrumque hunc numum in judicium vocans esse Aenianum Acarnaniae monetam perperam conjecit a).

AE. RRRR.

ANOLVS.

Anolo Lydiae Combfus binos *autonomos* Hunterianos tribuit, in quorum aversae media area scriptum: ANΩ. adstituto palmae ramo. Parum haec omnia ex monetae Lydiae ingenio. Sed expectamus rationes, quae virum eruditum permovere, ut hic sentiret.

APOLLONIA.

Si Cellarium audimus, nulla fuit certa hoc nomine urbs in Lydia, et si qua a posterioribus geographis huic inseritur, videtur eadem esse cum illa, quae dicitur *Apollonis*, vel *Apollonidea*, et varia aetate varia usa terminatione. Stephanus Apolloniam in Lydia constituit, sed Apollonidem, vel Apollonideam, de quibus mox infra, dissimulat. Pellerinius tamen huc vocat sequentes

Autonomos:

IЄPA. CTNKΛHTOC. *Caput Senatus.* Ɪ XAPMIΔHC. NЄIKOCTPAT. CTPATHГΩN. AΠOΛΛΩNIATΩN. *Fortuna stans.* AE. II.

ΔHMOC. *Caput juvenile.* Ɪ AΠOΛ-ΛΩNIATΩN. *Bacchus stans.* AE. II.

Iudicii causa Pellerinio, quo minus eos urbibus homonymis Ioniae, Cariae, Lyciae tribueret, exstiterit, quod numi Apolloniae Ioniae inscribuntur AΠOΛ-ΛΩNIЄΩN, Cariae vero urbes rarissime *praetorem* produnt, Lyciae magistratum nullum. Qua de causa pro numo altero Lydiam maluerit, ignoro. Ceterum numi Apolloniae nomen praeferentes easdem offerunt difficultates, quas numi Heracleae nomine.

Imperatorium

Mamaeae Vaillantius huc refert, credo propter inscriptum CTP. AΓAΘЄI-NOT., ut diximus in autonomis. Res in ambiguo.

APOLLONIS, APOLLONIDEA.

Straboni inter Pergamum et Sardes est Απολλωνις, ex quo gignendi casus Απολλωνιδος. *Apollonidem*, et *Apollonidenses* saepe nominat Cicero in oratione pro Flacco, *Apollonidienses* Plinius. *Apollonidea* inscriptum est basi colossi noti Tiberiani, *Apollonia Dia*, tanquam distinctae duae urbes fuissent, legitur in chronico Hieronymi Scaligeriano, pro quo Cellarius legendum censet *Apollonidea*, et in summa unam eandemque esse urbem, quae posita in Lydia ab aliis *Apollonia*, aut *Apollonis*, aut *Apollonidea* dicitur. Numi, quos mox proponam, inscripti: AΠOΛΛΩ-NIΔEΩN lectioni *Apollonidea* plurimum favent.

a) Lettere T. III. p. 139.

Digitized by Google

Autonomi:

Caput muliebre turritum. Ϟ ΑΠΟΛ-ΛΩΝΙΔΕΩΝ. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam.* AE. II. (Pellerin.)

CTNKΛHTOC. — IЄPA. CTN-KΛHTOC. — ΘЄON. CTNKΛHTON. *et in* Ϟ ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΕΩΝ *variis typis.* AE. III. (Pellerin, Pembrock.)

AE. RR.

Imperatorios

Cum epigraphe ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΕΩΝ produxit Vaillantius inter numos Aurelii, et Caracallae. Alium Getae addidit Sestinius [a]). Sed Pellerinius in binis numis, quos inter autonomos pictos stitit, tam certas vidit Domitiani et Domitiae effigies, ut non dubitaret, eas his tribuere, etsi juxta caput utrumque scriptum sit CTNKΛHTOT [b]).

Typi *Bacchum* vel *Apollinem in templo stantem* exhibent.

Magistratus variat:

Archon in numis Aurelii. (Vaill.)

Praetor in numo Caracallae. (Vaill.)

AE. RRR.

APOLLONOSHIERON.

Apollonoshieritas in Lydia recenset Plinius, et noticiae Απολλωνος Ιερον produnt.

Autonomi:

Protome Palladis. Ϟ ΑΠΟΛΛΩ-ΝΙЄPЄITΩN. *Iuppiter stans d. aquilam, s. hastam.* AE. II. (Pellerin.)

IЄPA. CTNKΛHT - - *Caput senatus.* Ϟ ΑΠΟΛΛ - - OIЄPЄITΩN, *Figura incerta stans.* AE. III. (Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorii

ΑΠΟΛΛΑΩΝIЄPЄITΩN. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram,* Tiberii. (Pellerin Rec. III. p. 214. Arigoni.) Alius similis Neronis, integerrimus in gaza reginae Christinae, quem vidi ipse, et apud Morellium.

AE. RRR.

ASIA.

Oppidum cum campis, qui *Asii* dicebantur, circa Caystrum et Tmolum M. Hos campos celebravere poetae, quorum testimonia collegit Cellarius.

Autonomus:

Caput muliebre turritum. Ϟ ΑΣIЄ-ΩN. - - - ANIKOΣ. *Faunus stans duplicem tibiam inflat.* AE. (Haym T. II. p. 105.)

Typus hic obvius est in numis Apameae Phrygiae.

AE. RRRR.

Imperatorius

Gordiani hujus Asiae facit mentionem juncta concordiae modo Smyrna,

a) Lett. T. IV. p. 120. b) Rec. II. p. 98. Mel. II. p. 48.

Digitized by Google

ut supra in numis Smyrnae contra Vaillantium defendi. Numus tamen hic certe signatus est Smyrnae.

ATTALIA.

Hujus numos cum *autonomos*, tum *imperatorios* descripsi supra in moneta Attaliae Pamphyliae.

AVRELIOPOLIS.

Solae Notitiae, et Hierocles hujus nominis urbem recensent, sed illae duplicem statuunt, unam provinciae Ephesi, aliam Lydiae. Hierocles suam inter Tralles et Attaliam memorat, ad quam posteriorem numi sic inscripti videntur pertinere.

Autonomus.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput Senatus.* Ɪ CT. ΗΡΑΚΛЄΙΔΟΥ. ΑΥΡΗΛΙΟΠ. - - - *Pullus stans.* AE. III.

Rarissimum hunc numum editum ex museo reginae Christinae vide in meis Numis vet. [a]).

AE. RRRR.

Imperatorii.

ΑΠΟΛΛΩΜЄΔΗC. CΤΡΑ. ΑΝЄΘΗ. ΑΥΡΗΛΙΟΠΟΛΙΤΑΙC. *Apollo sol in bigis gryphorum*, — *Diana in bigis serpentum*, — *Bacchus in bigis Centaurorum*, in numis Commodi apud Vaillantium, at Buonarrotius in suo pro ΑΠΟΛΛΩΜЄΔΗC legit ΑΠΟΛΛΩΝΙΔΗC [b]).

ΑΥΡΗΛΙΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Diana in bigis cervorum*, Gordiani. (Vaill.)

Quae ad hanc urbem, ejusque numos pertinent, erudite tractavit laudatus Buonarrotius [c]).

AE. RR.

BAGAE.

Ex unis Notitiis cognitae.

Autonomi:

CΥΝΚΛΗΤΟC. — ΙЄΡΑ. ΒΟΥΛΗ. — ΔΗΜΟC. ΒΑΓΗΝΩΝ., in Ɪ ΒΑΓΗΝΩΝ, addito etiam ΚΑΙCΑΡЄΩΝ, item archonte, de quibus omnibus mox. Item: ΒΑΓΗΝΩΝ. ЄΡΜΟC. Sunt apud Pellerinium, et Harduinum.

ΒΑΓΗΝΩΝ. *Caput Herculis nudum.* Ɪ ЄΠΙ. ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ. *Mulier tutulata sedens d. pateram.* AE. III. (Pembrock.)

AE. RR.

Imperatorii

Neronis (Pellerin), Caracallae (Arigoni), Getae (Vaill. Pellerin, Haym.), Valeriani (Arigoni.).

Epigraphe: ΒΑΓΗΝΩΝ. typis obviis. Ex his illustrior:

ΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ΒΑΓΗΝΩΝ. ΤΗΜЄΝΟΘΥΡЄΩΝ. *Amazon et Fortuna stantes*, in numo Gallieni. AR. m. m.

Numum hunc cl. Taninius ex musco Com. Verità vulgavit. Singulare in eo est metallum una cum modulo, si modo vere argenteus est, et non mentitur ar-

a) Pag. 265. b) Osserv. p. 139. c) l. c.

Digitized by Google

gentum, ut tot Samiorum numi. Vir eruditus in hoc numo trium populorum concordiam videt. At enim Bagenis fuisse nomen *Caesarensium*, mox dicetur.

Magistratus archon, qui passim in Bagarum moneta literis APX. notatur. Sed Vaillantius notari putat Αρχιερεα, nam in suo Getae numo legit APXI. Quid quod et Harduinus in autonomo musei Foucaultiani eandem exstare lectionem adserit. Verum non adridet istud Pellerinio, quia in suo Getae numo scribitur APX. A. B., raro autem sacerdotium iteratum legitur, at frequentissime archontis munus. Hujus sententia videtur praestare, praecipue cum in omnibus numis, quos prodidere Haymius, Arigonius, Pellerinius, APX. tantum exstet.

Tractum nomen ab imperatore ΚΑΙCΑΡΕΩΝ est in laudato autonomo, dein Caracallae, (Harduin, Arigoni.) et Valleriani sen. (Arigoni.) et Gallieni. (Tanini.)

Mentio situs ab Hermo fluvio: ЄΡΜΟC, in autonomo Harduini, qui tamen hac epigraphe non situm urbis definiri, sed concordiam cum Smyrna satis inconcinne arbitratur.

Concordia cum Temenothyris Lydiae ex numo laudato.

AR. RRRR. AE. RR.

BLAVNDOS.

Quam reticent geographi veteres, et mémorant tantum Notitiae, quae eam Lydiae inserunt, et. Stephanus, cui *Blaudos* dicitur, et Phrygiae tribuitur. Aliquibus eadem videtur cum Ptolemaei Blaeandro Phrygiae.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤ. vel: ΔΗΜΟC. ΒΛΑΤΝΔЄΩΝ. addito in nonnullis ΜΑ. vel plenius ΜΑΚЄ. ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ., de quo in imperatoriis. Additur etiam magistratus.

ΙΠΠΟΤΡΙΟC. *Fluvius decumbens.* (Haym, Pembrock, Pellerin.) Fluvii hoc nomine nulla apud veteres mentio: quare verisimile, fuisse fontem in vicinia Blaundensibus sacrum.

Typi reliquorum obvii, quos vide apud auctores laudatos.

AE. RR.

Imperatorii.

A Nerone usque ad Volusianum. Neronis numi sunt in museo Caes., et apud Pellerinium.

Typi potiores: *Apollo stolatus stans cum lyra*, — *Amazon eques*, ex quo colligitur, Blaundenses ad Amazones retulisse originem suam.

Magistratus jam in Neronis moneta notatur, sed dignitas, nempe *archontis* primum additur inde a M. Aurelio. Item *praetoris.* CΤΡΑΤ. ΚΛ. ΜΙΛΗΤΟΤ. in nonnullis autonomis, et imperatoriis inde ab Antonino.

* * *

Notandi etiam eruditorum lapsus.

Autonomum edidit Harduinus; ΔΗΜΟC. ΚΑΛΤΝΔЄΩΝ. Ϫ *Fluvius decumbens.* Esset ergo Calyndae Cariae, verum praeeunte citato autonomo facile deprehendimus, restituendam lectionem ΒΛΑΤΝΔЄΩΝ.

Caii Caesaris Agrippae filii alium edidit Frölichius, in cujus aversa legit: TI.

Digitized by Google

ΦΛΑ - - - ΚΑΛΤΝΔΕΩΝ [a]). Hic numus nunc est in Caesareo, et habet caput Neronis, non Caii, et in hoc quoque legendum ΒΛΑΤΝΔΕΩΝ. Decepti nimirum eruditi hi viri fuere adfinitate nominis.

AE. RR.

BRIVLA.

Straboni et Plinio inter Lydiae urbes memorata.

Autonomi:

ΗΛΙΟϹ. *Caput Solis radiatum.* ℞ ΒΡΙΟΤΛΕΙΤΩΝ. *Vir nudus stans.* AE. (Haym.)

ΒΡΙΟΤΛΕΙΤΩΝ. *Caput Solis radiatum.* ℞ ΜΗΤΗΡ. ΘΕΩΝ. *Cybele stans inter duos leones.* AE. III. (Hunter.)

AE. RRRR.

Imperatorius

M. Aurelii adhuc Caesaris: ΒΡΙΟΤ-ΛΙΤΩΝ, *Bacchus stans.* (Haym.)

AE. RRRR.

CAYSTRIANI.

Populus Lydiae, cujus exstant sequentes

Autonomi:

ΕΓΕΟΣ. *Caput barbatum diadematum.* ℞ ΚΑΤΣΤΡΙΑΝΩΝ. *Iuno Pronuba stans.* AE. (Arigoni.)

Caput muliebre turritum, pone MP *in monogrammate.* ℞ ΚΑΤΣΤΡ- - ΩΝ. *Lyra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre nudum. ℞ ΚΑΤΣΤ - - ΑΝΩΝ. *Lyra, juxta* ΔΚ. AE. III. (Zarillo.)

Caput muliebre spicis coronatum. ℞ ΚΑΤΣΤΡΙΑΝΩΝ. *Clava, ex qua leonis exuviae pendent.* AE. III. (Pellerin.)

De his Lydiae incolis praeclaram dissertationem forma epistolari scripsit vir cognitae eruditionis Mathias Zarillus, quae edita fuit Neapoli anno 1755. Frequens apud veteres mentio camporum Lydiae versus Ephesum porrectorum, qui, quod eos flumen Cayster permeabat, dicti fuere *Caystrii, Caystreni, Caystriani*, quo modo campi, qui supra Caystrianos ad idem flumen positi fuere, vocati sunt *Cilbiani*, de quibus articulo sequente, quos excipiunt campi Hyrcani, et hi numismatici. Vrbis in his Caystri campis sitae, quae populum receperit, veteres diserte non meminere. Ait Xenophon [b]), venisse Cyrum εἰς Καΰστρου πεδίον, πολιν οἰκουμενην, *in campum Caystrianum, urbem habitatam.* Verum Zarillus sequens iter a Cyro coeptum, intentumque erudite conjicit, pro Καΰστρου πεδίον legendum esse Κεστρου πεδίον, et indicari campum Cestro fluvio rigatum, qui ex Phrygia in Pamphyliam descendit. Existimat vir eruditus, Larissam, quam aliqui scriptores in campo Caystriano positam dixere, fuisse hujus agri caput.

Displicet, numum I. aut minus esse integrum, aut, quod numis Arigonianis saepe fatale fuit, minus adcurate

a) IV. Tent. p. 160. b) Exped. Cyri L. I.

Digitized by Google

descriptum, quo fit, ut de epigraphe ΕΓΕΟΣ, et adstituto capite nihil certi statui possit. Literarum ΔΚ numi III. significatio incerta.

CILBIANI.

Hi secundum Plinium divisi fuere in *superiores*, et *inferiores*, quorum illi habitaverint versum fontes Caystri, hi in campis devexioribus, nam teste eodem Plinio hic ortus erat in jugis Cilbianis. Strabo Cilbianum campum Caystriano in ortum statuit, vocatque magnum, fertilem, et bene habitatum. Reliqua scriptores dissimulant. Numi plus lucis suppeditant, quos hic secundum varias suas causas describo.

A

Cilbiani inferiores.

1) ΚΛΕΑΝΔΡΟΥ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΤΩ. *Mulier stans, d. extenta, s. demissa.* Augusti. (Vaill.)

2) ΘΕΑΝ. ΡΩΜΗΝ. *Caput muliebre modio tectum.* Σ ΕΠ. ΓΡΑ. ΜΕΛΙΤΩΝΟC. ΚΙΛΒ. ΤΩΝ. - - - *Bacchus Indicus togatus stans d. cyathum, s. hastam.* AE. III. Eum edidi ex museo Caesareo [a]), quo loco verisimile dixi legendum ΤΩΝ. ΚΑΤΩ., quia Cilbianos superiores usos archonte, vel praetore mox videbimus.

B

Cilbiani superiores.

3) ΚΙΛ. ΤΩΝ. ΑΝΩ. *intra coronam*, Domitiani. (Pellerin.)

4) ΕΠΙ. CΤΡΑΤ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΑΝΩ. *Hercules a muliere urbis genio coronatus*, Trajani. (Vaill.)

5) ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΑΤΡΗ. ΔΙΟΝΤCΙΟΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΑΝΩ. *Aquila legionaria inter duo signa militaria*, Domnae. (Vaill.)

6) ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΔΙΟΦΑΝΤΟΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΑΝΩ. *Iuppiter aetophorus*, Domnae. (Vaill.)

6*) ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΑΤΡΗ. ΔΙΟΝΤCΙΟΥ. Κ. ΜΗΤΡΟΔΩΡΟΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΑΝΩ. *Aquila legionaria inter duo signa militaria.* AE. max. mod. In antica est caput Caracallae, ut ego existimo. Cl. Zarillus, qui numum hunc edidit in epistola supra in Caystrianis laudata, ait epigraphen anticae esse: ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. et caput *Antonini*, sed non addit, cujus. Credo, esse Caracallae, quia *Aurelium Dionysium* etiam in numo 5 cum capite Domnae vidimus.

C

Nicaeenses Cilbiani.

7) ΑΡΑΤΟΣ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΝΙΚΑΙΕΩ. *Mulier*

a) Sylloge I. p. 48.

Digitized by Google

stans d. extenta, s. demissa. Σ ΓΑΙΟΣ. ΛΕΤΚΙΟΝ. *Capita jugata nuda Caii et Lucii Caes.* (Mus. Caes.)

8) ΝΕΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. *Fluvius decumbens*, Hadriani. (Vaill.)

9) Alius, sed *statua imperatoris equestris.* (Ibid.)

10) ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. *Imperator eques*, Domnae. (Theupoli.)

11) *Eadem epigraphe. Pallas sedens coronatur a Victoria*, Domnae. (Vaill.) *Aesculapius et Hygia stantes*, Caracallae. (Sestini Lett. T. IV. p. 120.)

12) ΝΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. *Fortuna stans.* Getae. (Vaill.)

13) ΝΙΚΑΕΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒ. *Fluvius decumbens.* Getae. (Vaill.)

D

Pergameni Cilbiani.

14) ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΠΕΡ. ΓΡΑ. ΤΙΜΟΚΛΗΣ. ΝΕΙΚΗΑΝ. *Victoria gradiens*, Domitiani. (Haym, Pellerin.)

15) ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Imperator coronatur ab adstante muliere*, Commodi. (Vaill.)

E

Nicaeenses, Pergameni, Cilbiani.

16) ΠΕΡ. ΝΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. *Salus et Aesculapius*, Domitiani et Hadriani. (Pellerin Mel. II. p. 297. Vaill.)

17) ΝΙΚΑΕΩΝ. ΠΕΡΓ. ΚΙΛΒΙΑΝ. *Fluvius decumbens*, Domnae. (Vaill.)

18) ΠΕΡ. ΝΙΚΑΕΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. *Imperator stans coronatur a Victoria*, Caracallae. (Vaill.)

19) ΕΠΙ. ΣΤΡ. ΑΤΡ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΤ. ΠΕΡΓΑΜ. ΝΕΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝ. *Diana Ephesia*, Caracallae. (Vaill.)

Pellerinius singulari capite de variis his numis erudite disserit. En mea observata, quae eodem fere cum Pellerinianis recidunt.

I. Ex numis sub A et B descriptis apparet, Cilbianos populum fuisse, qui per se constitit, gubernatum suis legibus, ut inscripti magistratus docent, divisos item in *superiores*, ΤΩΝ. ΑΝΩ., et *inferiores*, ΤΩΝ. ΚΑΤΩ., quod jam Plinius docuit. Habuerintne hi oppidum cognomen, an alterius nominis, memoriae proditum non est. Videtur fuisse communitas plurium oppidorum, quae sub certis legibus, et uno nomine constitere, et monetam in communem usum signavere, quod idem apud Caystrianos valuisse apparet in campis homonymis positos, quorum aliquod oppidum a veteribus distincte non memoratur. Simile quid vidimus in Amphaxo Macedoniae.

II. Numi C. D. E. docent, Nicaeenses Bithyniae haud dubie agri bonitate invitatos in parte camporum Cilbianorum consedisse. Id plane persuadet formula in numis 10. 11. 13. adhibita, neque necesse est in hoc tractu aliquam vel Nicaeam, vel Nicopolin cum Harduino investigare. Vt adeo formulae: ΝΙΚΑΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. idem sit sensus, quem, ut in Antiochia Syriae docebimus, exigit nota epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ.

Digitized by Google

vel: ΠΡΟΣ. ΔΑΦΝΗΙ. etc., ut jam advertit Frölichius a). Non Nicaeenses solum, sed et Pergamenos hunc campum incoluisse, suadent numi sub D et E propositi, ac praecipue is quem loco 18. descripsimus.

III. Cum ergo certum sit, tam Nicaeenses, quam Pergamenos in Cilbianis consedisse, ultro sequitur, quotiescunque horum nomini additur ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ, illo non intelligi nobiles urbes Nicaeam Bithyniae, vel Pergamum Mysiae, sed novos colonos ex iisdem his urbibus advectos, in quo longe a vero aberrasse videntur Vaillantius, et qui hunc secuti sunt, qui concordiam inter dictas urbes et Cilbianos statutam credidere. Ad haec videmus ex numis ambarum urbium, eas cum illustribus tantum urbibus sanxisse foedera, Cilbianos autem fuisse satis ignobiles, ipsum veterum silentium arguit, atque adeo non eos, cum quibus inire concordiam Nicaeae vel Pergami intererat.

IV. Cum scribitur: ΝΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. vel ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ., vel ΠΕΡ. ΝΙΚΑΕΩΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ., dubium omnino videatur, an το ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ indicet situm, quo se ab altera vel Nicaea vel Pergamo discernerent, positumque sit pro ϵΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ., an vero concordia notetur inter advenas hos Nicaeenses et Pergamenos, et ipsos Cilbianos, quorum utrumque probabile est. Verisimiliorem tamen omnibus expensis priorem censeo sententiam.

AE. RR.

DALDIS.

In Lydia hanc urbem collocant Suidas, Notitiae, ut videre est apud Harduinum.

Autonomi:

ΙϵΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟϹ. *vel:* ΔΗΜΟϹ. Ϟ ΔΑΛΔΙΑΝΩΝ. *Diana cervum cornu retinens*, vel: *Iuppiter aetophoras*, vel: *Fortuna stans.* AE. (Hunter, Haym, Pembrock.).

AE. RR.

Imperatorii.

Hadriani, Domnae, Gordiani.

Typi frequentiores:

Diana venatrix, vel *Apollo*, qui teste Artemidoro in hac urbe nato a Daldianis nomine Mystis colebatur b).

Tres Nymphae in balneo, adstat hinc Actaeon curiosius in eas intuens, inde cervus, Gordiani max. mod. (Pellerin, Mus. Albani, Caylus Rec. T. IV. p. 169.)

Cervus in hoc numo positus est προλημπτικως, nimiram in quem subinde mutatus fuit, cujus prolepsis exemplum aliquando proposui in numo Laodiceae Phrygiae c).

Magistratus:

Praetor: ϵΠ. ΗΡΑΚΛϵΙΔΟΤ. ϵΤΡ. Hadriani, (Pellerin.)

Archon: ϵΠ. Λ. ΑΤΡ. ΗΦΑΙϹΤΙΩΝΟϹ. ΑΡΧ. Α. in numo Domnae, (Vaill.) et quod peculiare, idem L. Aurelius Hephaestion ΑΡΧ. Α. legitur etiam in

a) IV. Tent. p. 159. b) Oniroorit. L. II. sub fin. c) Num. vet. p. 169.

Digitized by Google
ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM

numo Gordiani apud Vaillantium, et Pellerinium, a quo tamen posteriore scribitur: APX. A. TO. Δ., at in simili musei Albani, nisi lectionis error subest, APX. A. T. B., ex quo docemur, hunc Hephaestionem, qui sub Caracalla archon jam fuerat, eundem magistratum quarta vice demum sub Gordiano obivisse.

Ἀρχιερεα eundem Hephaestionem nobis obtrudit Vaillantius [a]), sed idem altius eundem ipsum jam, ut oportuit, dixit archontem [b]).

DIOSHIERON.

Ptolemaeo circa Caystrum.

Autonomi:

ΔHMOC. *Caput barbatum laureatum.* Ɪ ΔIOCIЄPЄITΩN. *Aesculapius stans.* AE. III. (Pellerin.)

ЄΠI. CЄPOTЄINIOT. *Caput Iovis.* Ɪ ΔIOCIЄPЄITΩN. *Aquila explicatis alis.* AE. II. (Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Mamaeam.

Epigraphe solita. Typi: *Iuppiter stans, etiam intra templum*, unde scilicet urbi nomen, *Aesculapius*, *Hygia.*

ZЄTC. NЄPΩN. KAICAP. *Capita adversa Iovis et Neronis.* Ɪ ΔIOCIЄ-PЄITΩN. KOPBOTΛΩNOC. *Iuno stans d. hastam, juxta scriptum:* HPA. AE. II.

Singularem hunc numum vidi in museo Cels. principis a Waldeck. In antica est ZЄTC, nimirum Dioshieritarum *Iuppiter* comparatus cum Nerone, in aversa HPA, *Iuno*, sive hoc nomine Iovis conjux, sive uxorum Neronis quaepiam indicatur. At observatu in hoc numo dignissimum est nomen KOPBOTΛΩNOC. Fuit *Corbulo* nomen Romanum, quo minus verisimile est, eo magistratum domesticum designari, et quod praecipuum est, fuit imperante Nerone, cujus imaginem praefert numus, Cn. Domitius Corbulo, ad bellum contra Parthos amplissima cum potestate missus, cujus in commemorandis virtutibus, armorum, et restitutae belli disciplinae gloria, et maximis in imperium meritis copiosi sunt Tacitus, atque Dio, dignus adeo imperio, atque hoc forte uno culpatus, quod omnium votis oblatum est aspernatus, si modo culpanda est in principem etiam immerentem, et palam jure exosum fides. Si Corbulo numo huic inscriptus idem est cum hoc imperii vindice, at quo is nomine in Dioshieritarum monetam est vocatus? an quia, quod ignoramus, aliquo tempore Asiae proconsul fuerit? an ex adfectu in virum tam illustrium meritorum? An, quod maxime verisimile, quia magna orientis parte ejus potestati per bellum Parthicum permissa etiam Lydia imperio ejus fuit subjecta? de qua ampliata potestate vide Tacitum [c]).

* * *

Magistratus praetor in numis Caracallae, Alexandri, Mamaeae. (Vaill. Mus. Caes. Pellerin, Albani.)

AE. RR.

a) Num. Graec. p. 310. b) pag. 90. c) Ann. XV. 25.

Digitized by Google

GABALA.

Male in numos accita ab Harduino, legendum enim *Tabala*, quam vide.

GORDVS IVLIA.

A Ptolemaeo inter Hermum et Sipylum M. ponitur, et nomine *Iuliae* saepe cum in numis, tum apud geographos gloriatur.

Autonomi:

IЄPA. CTNKΛH. vel: ΘЄA. PΩMH. in aliis: ΓOPΔOC. vel: IOTΛIA. ΓOPΔOC. *Caput muliebre turritum*, nempe urbis genius. In aversa: ΓOPΔHNΩN, vel: IOTΛIΓOPΔHNΩN. *Bacchus*, *Aesculapius*, *Diana Ephesia*, *Fluvius jacens*. Sunt aenei omnes. (Pellerin, Haym, Pembrock.)

ΓOPΔOC. *Caput muliebre turritum.* Ɪ ЄΠ. ЄΛTΔOT. *Diota.* AE. III. (Hunter.)

AE. RR.

Imperatorii:

A Trajano usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΓOPΔHNΩN. vel IOTΛIЄΩN. ΓOPΔHNΩN. typis obviis.

Magistratus a Trajano ad Caracallam usque inscribitur sine mentione dignitatis. Memoratur deinde

Archon: ЄΠI. ATP. IOTΛIANOT. TOT. APTЄMA. APX. A. TO. B. Caracallae. (Vaill.)

ЄΠ. ATP. AIΛ.--IΠΠIKOT. APX. Gallieni. (Theupoli.)

IΠΠIKOT., id est, *equitis R.*, quam dignitatem nonnunquam magistratibus in numis fuisse additam, docebimus in commentario singulari.

Concordia cum Cado Phrygiae, quam vide.

AE. RR.

HERACLEA.

Hoc nomine urbem in Lydia statuit Stephanus, aliique, quos ad hunc Stephani locum laudat Thomas Pinedo.

Autonomum Pellerinius huc refert: IЄPA. CTNKΛHTOC. Ɪ HPAKΛЄΩTΩN. *Mulier stans d. spicas, s. facem.* AE. II.

Causam judicio dedit fabricae ratio, quae nimium saepe fallit, et fors aequo jure numus hic esse potest seu Heracleae Ioniae, seu Cariae.

Imperatorios cum Heracleae nomine plures describit Vaillantius ab Antonino usque ad Maximinum, sed eos nulla certa lege jam Cariae, jam Lydiae tribuit. Ex quo apparet, nullam eum certam rationem secutum, et haud dubie nullam, quam sequeretur, sibi praesto fuisse.

HERMOCAPELIA.

Cives Plinio *Hermocapelitae*, quod interpretatur Harduinus: *Mercurii caupones.* Verius censeo, ab Hermo fl. potius sic appellatum oppidum, cui fuerit adsitum, atque a cauponaria ibi primum constituta, ἀπο της καπηλειας, antequam in oppidi magnitudinem excresceret, dictum Ερμοκαπηλειαν, quo nomine revera haec urbs ab Hierocle et Notitiis compellatur. Ad haec Mercurii effigies in nullo hactenus vulgato comparet. Vi-

Digitized by Google

detur ergo Harduinus idem peccasse, quod teste Plutarcho in simili causa ii, qui Ερμου ὁπιαν, Bithyniae quemdam locum, sic dictum voluere ἀπο τυ Ερμυ, *a Mercurio*, cum tamen nomen traheret ab Hermo quopiam Atheniensi [a]). Hujus generis sunt *Claudi cauponae* apud Horatium [b]).

Autonomi:

ΙЄΡΑ. CTNKΛΗTOC. Σ ΘЄΑ. PΩ. *(etiam sine hoc.)* ЄPMOKAΠH. *vel:* ЄPMOKAΠHΛITΩN. *Caput muliebre impositis capiti binis turribus.* AE. HI. (Pellerin, Mus. Gaes. Arigoni.)

AR. RR.

Imperatorii.

Hadriani, Severi, Treboniani. (Vaill. Pellerin.)

Typi: Raptus Proserpinae, aliique.

Magistratus praetor: ЄΠI. CTPAT. ЄΛΛΑTO -- Severi. (Pellerin Rec. III. p. 214.)

ЄΠI. ΑTP. MHNOΦIΛOT. B. K. ΑNΔPONЄIKOT. Treboniani, Vaillantii lectionem sic corrigente Pellerinio. (Suppl. II. p. 86.)

AE. RRR.

HERMVPOLIS.

Numum Treboniani cum Hermopolis epigraphe profert Vaillantius, eumque Lydiae urbi tribuit, etsi apud auctorem nullum urbis Lydiae sic dicte mentio fiat. Hermopolin in Isauria memorant Notitiae, ceterum nullam hujus nominis per Asiam minorem, cui regioni certe soli vindicandi sunt numi sequentes:

Autonomus.

Caput Sarapidis. Σ ЄPMOΠOΛI-TΩN. *Fortuna stans.* AE. (Pembrock.)

Nihil obest, quo minus numus hic Isauriae tribui possit. Hermopolin crede Aegypti nemo respiciet, cujus urbes nonnisi numos suae rationis, ut dicetur, cuderunt.

AE. RRRR.

Imperatorius

ЄPMOΠΟΛЄITΩN. *Pluto Proserpinam rapiens*, in numo Treboniani apud Vaillantium, et Harduinum, qui posterior numum Hermopoli Aegypti largitur, sed perperam. Vaillantius Lydiam mavult, neque, ut videatur, inique. Nam Pluto Proserpinam rapiens etiam est in numo Hermocapeliae, et ejusdem quidem Treboniani. Quare quemadmodum Hermocapelia, ut verisimile diximus, nomen traxit ab Hermo fluvio, sic ab eodem nomen traxerit etiam Hermupolis, et forte inter se vicinae peculiari religione coluerint Plutonem, qui Proserpinam rapiens frequenter in numis Lydiae et Cariae fingitur. Plutonium certe fuit in Lydia, de quo egi ad Nysam Cariae.

AE. RRRR.

a) In Thes. p. m. 12. b) L. I. Sat. 5. v. 51.

Digitized by Google

HIEROCAESAREA.

Versus Aeolidem, una ex urbibus sub Tiberio terrae motu collapsis, cujus nomen etiam exstat in basi noti colossi Tiberiani. Nomen *Ἱερας* haud dubie traxit a cultu Dianae hic illustri, ut a Bellonae cultu Comana Ponti videntur quoque dicta Hierocaesarea.

Autonomi:

ΠЄΡCIKH. *Caput Dianae cum pharetra.* Ɪ ΙЄΡΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. *Ara ignita.* AE. III. (Seguin, Pellerin.)

ΙЄΡΟΚΑΙCΑΡЄΙΑ. *Caput muliebre turritum.* Ɪ ΑΝΘΤΠΑΤΩ. ΨЄΡΟΚΙ. *Diana stans cum arcu, et telum e pharetra promens.* AE. II. (Pellerin.)

ΔΗΜΟC. *Caput juvenile laureatum.* Ɪ ΙЄΡΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. *Diana in citis cervorum bigis.* AE. I. (Hunter.)

Hos numos insigniter illustrant scriptores veteres. Tacitus [a]: *Altius Hierocaesarienses exposuere: PERSICAM apud se DIANAM, delubrum rege Cyro dicatum.* De Diana hac Persica vide plura apud Spanhemium [b]. Aversam cum ara elegante, explicat Pausanias [c]. In Lydis, inquit, qui *Persici* cognominantur, esse urbes Hierocaesaream, et Hypaepam, in iis ARAM, cui si imponantur ligna, ea flammam sponte concipere sacerdotum solum barbaris carminibus excitatam. Narrat Diodorus [d]: Ptolemaeum Lagi apud Caunum Cariae occupasse *το μεν Ηρακλειον, και το Περσικον*, quod interpretor: *locum Herculi et Dianae Persicae sacrum.*

Magistratus proconsul in altero numo, in quo literam Ψ positam esse pro Φ, et indicari *Ferocem*, jam monuit Pellerinius. Videtur esse *Iulius Ferox*, quem Plinius junior vocat consulem designatum, virumque rectum et sanctum [e]. Ejusdem aetatis est marmor, nempe imperante Trajano positum, in quo *Ti. Iulius Ferox* dicitur *curator alvei et riparum Tiberis* [f].

AE. RRR.

Imperatorius certe fidei nullus exstat, nam quos Vaillantius, Pellerinius, aliique cum capite Severi et Caracallae huc revocant, inscriptos: ΙЄΡΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ΚΟΜΑΝЄΩΝ. ЄΤ. ΒΟΡ., in quibus concordiam cum Comanis Ponti vident, epochae annum ad Hierocaesareae historiam existimantes pertinere, esse tribuendos unis Comanis Ponti nullo cum hac Lydiae urbe nexu, supra in horum moneta explicavi.

HYPAEPA.

Versus Tmolum montem.

Autonomi:

ЄΠΙ. ΦΙΛΟΜΗΛΟΥ. *Caput Herculis nudum.* Ɪ ΤΠΑΙΠΗΝΩΝ. *Aesculapius stans.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Alius apud Haymium typo *Bacchi.*

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Saloninam. (Theup. Vaill.)

Typus communis: *Mulier stans ex-*

a) Ann. III. 62. b) ad Callim. in Dian. v. 37. c) L. V. c. 27. d) L. XX. c. 27. e) L. II. epist. 11. f) Grut. p. 498. 3.

Digitized by Google

pansis manibus, pallio diducto, et a vertice ad talos defluo, quam delineatam vide apud Pellerinium. (Suppl. II. p. 91.) Saepe *eadem stat intra templum.* Passim creditur esse Iuno Pronuba, cujus similis fuit habitus. Forte Venus apud Hypaepam hac forma fuit culta, cujus munere pulcherrimae istic fuere mulieres teste Stephano, aut Diana Persica, quam hic cum miraculo cultam mox in Hierocaesarea exposui.

Magistratus inde ab Augusto usque ad exitum inscripsere, jam addita ejus dignitate, jam suppressa.

Praetoris dignitas primum proditur in numo Commodi. (Pellerin.) In numo Elagabali apud Pellerinium: ЄΠΙ. ΚΗΡΙΝΘΟΥ. Δ. ЄΤΡΑΤ. Α. Nimirum. *Cerinthus quartum praetor primus.*

Asiarcha: ЄΠΙ. ΑΙ. ΑΠΙΩΝΟЄ. ΑCΙΑΡ. ΤΟ. Β. in numo Severi. (Vaill.) ЄΠΙ. Μ. ΑΤΡΗΔΙΟΥ. ΑCΙΑΡΧΟΥ. ejusdem. (Vaill.)

AE. RR.

HYRCANIA.

Sita in campis Hyrcanis, quos sic nominavere Persae a colonis ex Hyrcania huc translatis, ut docet Strabo [a]). Plinius et Tacitus hos vocant *Macedones Hyrcanos*, nimirum quod hi serius cum adventitiis Macedonibus permixti fuere, quod, ut videbimus, confirmant numi. Vrbis nomen veteres scriptores non produnt, est tamen HYRCA - - - in basi colossi Tiberiani, ac praeteraea Nicephorus et Hieronymus, qui Lydiae urbes terrae motu subversas enumerant, eam vocant ΤΡΚΑΝΙΑ, et *Hyrcania.*

Autonomi:

ΤΡΚΑΝΙC. *Caput muliebre turritum.* Ɪ ΤΡΚΑΝΩΝ. *Fortuna stans.* AE. III. (Haym, Pellerin.)

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ɪ *Nomen archontis et urbis. Aesculapius.* AE. (Haym.) *Telesphorus stans.* AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 121.)

AE. RRR.

Imperatorii.

A Commodo ad Otaciliam usque.

Typus illustrior:

Raptus Proserpinae more solito, sed praeterea volitans in aere cum binis facibus Cupido, juxta currum irruens Pallas d. hastam vibrans, s. velut rotam inhibitura, sub equorum pedibus serpens, et inversus calathus cum floribus, in numo Commodi. (Pellerin Rec. III. p. 216. Mus. Albani.)

Palladis in hoc actu partes investigandae. Reperio apud Euripidem [b]), Cereri in quaerenda filia operam sociasse Palladem: ἀ δ' ἐγχεῖ Γοργὼ πανοπλος, *et hasta Gorgo armata.* Gorgona appellat Palladem poetice, cum quod Gorgonis imaginem gestare est solita, tum quod truci instar Gorgonis aspectu esset. At magis apposite ad hujus numi typum Pallas apud Claudianum deo raptori exprobrat facinus, et retardare fugam omnibus modis nititur [c]). Idem praestat Pal-

a) L. XIII. b) Helen. v. 1332. c) Rapt. Proserp. L. II. v. 205. seq.

Digitized by Google

las in opere anaglypho, quod est in Admirandis Romae.

Origo gentis in eodem illustri numo; ΜΑΚΕΔ. ΤΡΚΑΝΩΝ., ut supra diximus.

Magistratus:

Archon: ΕΠΙ. Α: ΕΡΜΟΓΕΝΟΤΟ. Est apud Haymium in autonomo, qui το Α. explet Αρχων, forte melius est praenomen Αὖλε, praecipue cum certos habeamus in hoc oppido praetores, de quibus continuo.

Praetor in binis Commodi et Otaciliae apud Pellerinium: (Rec. III. p. 216.) ΣΤΡΑ. Λ. ΟΤΕΤ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΤ. Alter Otaciliae ad praetoris nomen addit etiam dignitatem.

Stephanephori: ΕΠ. ΣΤ. ΦΡΑΤ. ΕΡΜΟΓΕΝΟΤ. Β. ΣΤΕΦ. Vide tractatum de stephanephoris.

AE. RR.

MAEONIA.

Olim tota Lydia dicta Maeonia, serius nomen istud adhaesit oppido, cujus cives Plinius *Maeonios* vocat, et Tmolo admovet. Maeonas a Lydis adhuc distinguit Philostratus, ut jam advertit Spanhemius [a]).

Autonomi.

Horum copiosos Pellerinius ex locuplete sua gaza stitit.

Epigraphe solita: ΜΑΙΟΝΩΝ. Singulare est in horum uno: ΜΑΙΟΝΙΟΝ, quod certum est κτητικον, ut ΘΕΣΠΙΚΟΝ.

ΖΕΤΣ. ΟΛΥΜΠΙΟΣ. *Caput Iovis laur.* Est etiam in museo Com. Vitzai.

Caput Herculis nudum. ℞ *Omphale gradiens cum Herculis cultu.*

Fuit haec ex Herculis ἐρωτικοις late famigerata regina Lydiae, cujus regionis plures numi hoc argumentum sistunt. Vide infra in Sardibus.

Typi reliqui: *Herculis arma*, *Roma sedens*, *vitis*.

ΙΕΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. — ΔΗΜΟΣ. addito nonnunquam magistratu, sed sine mentione dignitatis.

Sunt aenei omnes, apud Pellerinium, Haymium, Theupoli, Hunter.

AE. RR.

Imperatorii.

A Nerone usque ad Etruscillam.

Epigraphe: ΜΑΙΟΝΩΝ, pro quo Vaillantius perperam in singulis legit ΜΑΙΩΝΩΝ.

Typi variorum deorum. ℞ Insignior est: *Bacchus in curru cum Ariadne*, *in aere Cupido volans cum face.*

Magistratus archon: ΕΠΙ. ΑΤΡ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΑΡΧ. in numis Alexandri aetate signatis. (Vaill.)

Stephanephorus: ΕΠΙ. ΑΤΡ. ΑΠΦΙΑΝΟΤ. ΤΟΤ. ΑΘΗΝΑΙΟΤ. ΑΡΧ. Α. ΚΑΙ. ΣΤΕΦΑΝΗΦ. *Bacchus in pantherarum bigis comite muliere*, in numo Decii. (Vaill.) In numo simili musei Caesarei est: ΤΟΤΚ. ΑΘΗΝΑΙΟΤ, id est: του και Αθηναιου, in alio apud Bandurium: ΤΟΤ. ΚΕ. ΑΘΗΝΑΙΟΤ. [b]). Fuit ergo hic Apphianus patria Maeon, adoptione Atheniensis, cujus plura exem-

a) Ad Callim. in Delum v. 250. b) Tom. I. p. 32.

Digitized by Google

pla alia dabimus in numis Laodiceae Phrygiae. Perperam Tristanus in numo simili pro MAIONΩN legit MAΓNHTΩN. [a]).

AE. RR.

MAGNESIA.

Ad Sipylum montem, cujus mentionem, quia plures Magnesiae fuere, in numis nunquam reticet. Illustris fuit a victo ibi Antiocho M., sed terrae motu item sub Tiberio adflicta.

Autonomi:

ΜΑΓΝΗCΙΑ. *Caput muliebre turritum.* Ɪ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. CIΠΤΑ. *Taurus gibbosus.* AE. II. (Pellerin.)

CIΠΤΑΟC. *Caput nudum barbatum.* Ɪ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Aesculapius.* AE. (Haym., Arigoni.) *Fortuna stans.* (Mus. Caes.)

Harduinus, qui numum similem citat, caput anticae esse ait Sipyli Agenoris F., a quo mons nomen abstulit, sed dicti sui vadem nobis invidit. Sipylus fuit etiam filius Niobes Apollinis telo confixus testibus Apollodoro, et Ovidio. Alius Sypilus Scytha, quem in hoc tractu vicisse Myrhinam Amazonem narrat Diodorus [b]).

Bos cum gibbo, qualem sistit numus prior, offert se etiam in numis Trallium, aliarumque urbium. Ejus formae a veteribus quoque facta mentio. Aristoteles: (Hist. anim. L. VIII. c. 33.) ἐν δὲ τῇ Συρίᾳ οἱ βοες, ὥσπερ οἱ καμηλοι, κάμπας ἔχουσι ἐπὶ τῶν ἀκρωμίων, *in Syria boves, quemadmodum cameli, flexuras habent in summo tergore.* Similia profitetur Plinius [c]): *Syriacis* (bubus) *non sunt palearia, sed gibber in dorso. Carici quoque in parte Asiae foedi visu, tubere super armos a cervicibus eminente.* Propter innatam feritatem a Romanis in spectacula quaesiti, et tales se in amphitheatro Romae vidisse testatur pastor Corydon apud T. Calpurnium Siculum [d]):

Vidimus et tauros, quibus aut cervice levata
Deformis scapulis torus eminet.

ΜΑΓΝΗΤΩ. CIΠΤΑΟΥ. *Caput barbatum.* Ɪ ЄΡΜΟC. *Fluvius decumbens.* AE. (Theupoli.)

Fluxit Hermus per Magnetum agrum.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ɪ ЄΠ. CΤ. ΑΥ. ΘЄΟΔΟΤΟΥ. *Cybele stans inter duos leones intra templum.* AE. I. (Pellerin.)

Male Patinus in simili legit ΘЄΟΛΟΓΟΥ. Idem magistratus Theodotus legitur in numis Gordiani. De Cybele mox plura.

AE. RR.

Imperatorii.

Ab Augusto ad Gallienum usque. Primorum imperatorum numi digni sunt, qui describantur.

ΣЄΒΑΣΤΟΙ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΣΙΠΤΑΟΥ. *Capita jugata Augusti et Liviae.* Ɪ ΤΙΟΙ. ΣЄΒΑΣΤΟΥ. ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ. ΙЄΡЄΤΣ. *Capita Caii et Lucii se respicientia.*

Vaillantius in numo suo legit ΣЄΒΑΣΤΟΙ, de quo dubito propter causas, quas olim in numis Liviae dabimus. In simili Morelliano, et musei Caesarei literae postremae OI extritae sunt. Legit

a) Tom. II. p. 595. b) L. III. c. 55. c) L. VIII. §. 70. d) Eclog. VII. v. 60.

Digitized by Google

item in aversa ΤΙΟΙ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ., sed in Caesareo luculentum est ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Eundem numum, sed cum omnibus Vaillantii erratis in novam suam editionem transtulit Harduinus.

ΘΕΑΝ. CΕΒΑCΤΗΝ. *Caput Liviae.* Ϟ CΥΝΚΛΗΤΟΝ. ΜΑΓΝΗΤΕC. ΑΠΟ. C. *Caput juvenile Senatus.* (Pellerin.)

CΕΒΑCΤΗC. ΗΡΑC. *Caput Liviae.* (Arigoni.)

ΤΙΒΕΡΙΟΝ. CΕΒΑCΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. *Caput Tiberii.* Ϟ ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΠΟ. CΙΠΤΑΟΥ. *Vrbis genius dexteram jungit cum imperatore.* (Pellerin.)

Iure Tiberius a Magnetibus *conditor* dici potuit, qui eos terrae motu graviter concussos liberaliter recreavit, ut diserte Tacitus [a]): *Magnetes a Sipylo proximi damno ac remedio habiti.*

ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙCΑΡΑ. CΕΒΑCΤΟΝ. *Caput Caligulae radiatum.* Ϟ ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΚΑΙ. ΑΓΡΙΠΠΙΝΑΝ. ΜΑ. ΠΡ. CΙΠΤ. *Germanicus velatus stans, et Agrippina senior d. spicas, s. hastam.* (Haym.)

ΝΕ. ΚΑΙ. ΖΕΥC. ΕΛΕΥΘΕΡΙΟC. *Caput Neronis.* Ϟ ΕΠΙ. Γ. ΙΟΥ. ΠΟΛΥΑΙΝΟΥ. ΜΑ. CΙ. *Vir eques*, in alio: *Mulier gradiens elatis manibus.* (Pellerin Rec. III. p. 234.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. CΙΠ. *Caput Senatus.* Neronis. (Vaill.)

* * *

Typi nobiliores:

Cybele stans vel sedens inter duos leones, vel: *vehitur in citatis leonum bigis s. hastam et tympanum tenens.* (Vaill. Mus. Caes.)

Dubium non videtur, hanc Cybelen esse την μητερα την Σιπυληνην. Eadem colebatur etiam Smyrnae, in cujus numis juxta caput turritum legitur CΙΠΥΛΗΝΗ. De hac vide plura in numis Smyrnae.

Amazon et Cybele stantes, Caracallae. (Vaill.)

Videntur ergo Magnetes sibi persuasisse, urbem suam ab Amazone conditam.

* * *

Magistratus:

ΙΕΡΕΤΣ. *Dionysius* in numo Augusti supra descripto.

Praetor inde ab Aurelio frequens. — ΕΠ. ΑΙΛΙΟΥ. ΙΠπικυ. De magistratibus, qui honorem Ιππικυ addunt, vide quae in volumine IV. de hoc titulo docebimus.

Mentio situs:

I. A monte Sipylo. Inscriptio variis modis peragitur, ut in citatis supra imperatoriis vidimus.

II. Ab Hermo fluvio, scripto ΕΡΜΟC in autonomo, et in numo Faustinae sen. (Vaill.)

* * *

Ludi:

ΟΛΥΜΠΙΑ. *Vrna*, in numo Gallieni. (Vaill.)

ΕΝΜΟΝΙΔΕΙΑ. *intra coronam*, Alexandri. (Pellerin Rec. III. p. 121.) Alius typo *urnae*, Gallieni. (Ibid. p. 246.)

Posteriori similem etiam edidit Vaillantius, sed legit: ΕΝ. ΜΟΝΗ. ΔΕΚ., atque hoc indicari decennalia suspicatus est. Aliter hos ludos explicat Pellerinius [b]). Vocabulum ducit a Μονη, *sola*,

a) Ann. L. II. 47. b) Rec. III. p. XXV.

Digitized by Google

et Ἰδιᾳ, quod opponitur τῷ Κοινῷ. Cum igitur aliarum urbium certamina acta fuerint pluribus propter sumptuum magnitudinem impensas facientibus, Magnesiam, quo ostenderet, se solam sumptibus suffecisse, in numis scripsisse ЄΝ-ΜΟΝΙΔЄΙΑ. Durus enimvero explicatus. Nam primum, cur Magnetes, ut istud indicarent, vocabulo uterentur extra omnem usum posito, et quod cōnstet, universae Graeciae ignoto? perinde quasi fingendum fuisset vocabulum novum, neque in promptu fuisset το ΙΔΙΟΝ, quod τῷ ΚΟΙΝΟΝ opponeretur. II. Si vocabulum istud revera hunc sensum patitur, et habet, cur non etiam in aliarum urbium moneta legitur? Ergo Magnetes hi, quos per contemptum parum validos vocat Tacitus a), per se soli poterant celebrare ludos, atque isto in numis gloriari, Pergameni, Ephesii, aliique omnibus copiis ornati, et in ostentationem effusi istud non potuere? III. Eo ipso, quod hoc vocabulum in hujus tantum Magnesiae numis legitur, apparet, hos ludos ita fuisse huic urbi proprios, ut, quaecunque demum ratio fuerit, aliae urbes eorum modum sibi neutiquam arrogarent. Sic certamina ЄΝ. ΚΟΔΡΙ-ΓΑΙС. in solis Tarsi numis leguntur, sed constat etiam, ea in vicinis Codrigis obita per causam victoriarum eo loco repertatarum, quae utique ad alias urbes non pertinuit. IV. Eadem haec in numis Tarsensibus inscriptio tenuiter suspicari facit, in Magnetum quoque numis separandam epigraphen, legendumque ЄΝ. ΜΟΝΙΔЄΙΑ., sic ut sensus sit, ludos hos celebratos in loco vicino *Monidea* dicto, quaemadmodum ludi acti fuere ἐν Κοδριγαις, atque ut passim formula apud Graecos obtinet: ἐν Ολυμπιᾳ, vel in numis Philippopolis Thraciae: ΠΤΘΙΑ. ЄΝ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙ. Forte Monidea nomen campo fuit, in quo propter insignem L. Scipionis de Antiocho M. victoriam stata certamina peragebantur, ut in Codrigis peracta fuere. At praetensae hujus Monideae nullus veterum meminit. Quis autem Codrigarum meminit dempto Malala infimae aetatis scriptore? qui nisi opportune hunc ceteris neglectum locum prodidisset, adhuc hodie crederemus, ea epigraphe certamen *in quadrigis* notari. Ceterum haec per tenuem conjecturam disputata sunto.

AE. R.

MASTAVRA.

Versus Cariam.

Autonomi:

MACTATPЄITΩN. *Apollo stans cum lyra.* (Pellerin.)

MACTATPA. *Caput muliebre.* Ɪ MACTATPЄITΩN. *Cupressus et ara.* AE. II. (Pembrock.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

A Crispina usque ad Philippum jun.

Typi praeter obvios alios:

Taurus, vel: *Mulier tunicata stans utroque brachio puerulum gestat*, Philippi jun. (Vaill.)

Hos typos idonee explicat Stephanus: *Mastaura urbs Lydiae a Ma, quae*

a) Ann. IV. 55.

Digitized by Google

Rheam sequebatur, cui Iuppiter Bacchum nutriendum dedit. - - - Rhea etiam vocabatur Ma, et ipsi apud Lydos taurus sacrificabatur, a qua urbi nomen.

AE. RR.

MOSTENE.

In campis Hyrcanis, terrae motum quoque sub Tiberio passa, inscripta etiam colosso MOSTENE.

Autonomi:

ΔHMOC. Ɪ. MOCTHNΩN. *Amazon eques, juxta ara et cupressus.* AE. II. (Pellerin.)

Hic typus etiam in imperatoriis plerumque est. Ergo et Mosteni Amazonem auctorem suam credidere.

Caput Cereris. Ɪ MOΣTHNΩN. ΛTΔΩN. *Spica, omnia intra coronam.* AE. III. (Sestini Lett. T. IV. p. 121.)

De nomine ΛTΔΩN vide imperatorios.

AE. RRRR.

Imperatorii

A Claudio usque ad Saloninam. *Typi*, ut dictum.

Magistratus praetor in numo Gallieni apud Vaillantium, sed cujus epigraphe sic rectius apud Cellarium proponitur: ЄΠΙ. CTP. M. ATP. ZЄTΞIΔOC. K. Λ. TTΛΛIOT.

Mentio situs: MOCTHNΩN. ΛTΔΩN., quo epitheto cur usi fuerint, incertum, nisi forte alia fuit Mostene, cujus memoria intercidit. Est numus Hadriani. (Vaill.)

AE. RR.

NACRASA.

Versus Hermum, habitata a Macedonibus secundum marmor Chishulli: H. MAKEΔONΩN. NAKPAΣEITΩN. BOTΛH [a]).

Autonomi:

ΘЄON. CTNKΛHTON. Ɪ NAKPACITΩN. *Diana Ephesia.* (Pellerin.) — *Serpens ab ara adsurgens addito nomine praetoris M. Iuniani.* (Pellerin, Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorii:

A Domitiano usque ad Severum.

Epigraphe: NAKPACITΩN, NAKPACЄΩN, NAKPACIΩN.

Typi obvii.

Magistratus praetor in numo Veri, (Vaill.) et autonomis mox citatis.

AE. RRR.

PHILADELPHIA.

Prope Sardes, Attali Philadelphi opus teste Stephano, terrae tremoribus misere obnoxia secundum Strabonem. Ejus nomen legitur etiam in basi colossi Tiberiani.

a) Ant. Asiat. p. 146.

Digitized by Google

Autonomi:

Non infrequentes, quorum plurimos vulgavit Pellerinius, aeneos omnes.

Epigraphe: ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ., praeponitur saepe ΦΛ., *Flaviorum*, de quo infra, saepe etiam additur ΝΕΩΚΟΡΩΝ.

ΔΗΜΟϹ. ΙΕΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. more hujus tractus.

ΖΕΥϹ. ΚΟΡΥΦΑΙΟϹ. *Caput Iovis diadematum.*

De hoc Iove Pausanias a): ὑπερ το θεατρον ἐϛιν ἱερον Διος Καπετωλιυ φωνῃ τῃ Ρωμαιων, κατα Ελλαδα δε γλωσσαν Κορυφαιος ὀνομαζοιτ' ἀν. *Supra theatrum templum est Iovis Capitolini in Latinorum lingua, quem Graece* Κορυφαιον *apte dixeris.*

* * *

ΦΙΛΑΔΕΛΦΙΑ. *Caput muliebre turritum.* Ɪ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. *Iuppiter sedens, d. Victoriolam.*

Eadem adversa. Ɪ ΝΕΩΚΟΡΟϹ. *Aesculapius.*

Hi numi docent, non in omnibus numis capite muliebri turrito, et scripto juxta urbis nomine, indicari Amazonem, sed saepe verius genium urbis. Sane in numis praesentibus *Philadelphia* nomen Amazonis esse nequit, cum nomen istud urbi inditum fuerit ab Attalo Philadelpho, ut dictum.

* * *

ΔΗΜΟϹ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΝΕΩΚ. *Caput juvenile diadematum.* Ɪ Κ. ϹΜΥΡΝΑΙΩΝ. Γ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Mater Sipylene Smyrnaeorum capite turrito sedens d. pateram, s. cornucopiae, simul tympano innixa, pro pedibus leo.* AE. III. (Haym, Hunter Theupoli.)

Numus hic, ut ex tertio Smyrnaeorum neocoratu liquet, signatus esse ante Commodum non potuit.

* * *

Caput Dianae. Ɪ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΤΣ. *Apollo stolatus stans cum lyra.* (Pellerin.)

Caput Dianae. Ɪ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΕΡΜΙΠΠΟϹ. ΕΡΜΟΓΕΝΟΤΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ. *Apollo seminudus sedens d. pateram, s. lyrae innixus.* (Haym T. II. p. m. 197.)

Caput Dianae. Ɪ ΣΜΥΡ. ΕΡΜΙΠΠΟΣ. ΕΡΜΟΓΕΝΟΤΣ. ΑΡΧΙΕΡΕ. *Apollo seminudus sedens d. pateram, s. lyrae innixus.* (Pellerin Rec. II. tab. LVIII. n. 56.)

Numum II. et III. ex ipsis iconismis conferenti patebit, utrique non modo spectatis typis et epigraphe dempto urbis nomine, sed etiam epigraphes situ plene convenire. Eorum etiam aetatem Augusti circiter aevo admovendam forma literarum E et Σ suadent. Rationem tam anxiae concordiae in numis diversarum urbium justo intervallo distantium nimirum Philadelphiae, et Smyrnae, difficile est divinare, casui vero minime tribuendam nemo non videt. Vide, quae ad similem causam numorum Alabandae et Antiochiae in moneta prioris Cariae urbis adverti.

* * *

Corona ex clypeis Macedonicis. Ɪ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. *Fulmen, monogramma, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Omnia in his urbem Macedonicam lo-

a) L. II. p. 121.

Digitized by Google

quuntur, sed frustra quis in Macedonia urbem Philadelphiae nomine quaesiverit. Quare hactenus huic Lydiae urbi tribuuntur. Similes clypei observantur etiam in nonnullis numis Paesti Lucaniae.

* * *

ΔHMOC. *Caput diadematum.* ℞ ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΠΗΓΗ. *Figura humi sedens s. urnae innixa, ex qua aqua profluit.* AE. II. (Pembrock.)

Fons Philadelphensium anonymus in hoc numo memoratur. Vide, quae de his fontibus in numis docebimus Vol. IV. in tractatu de Fluviis.

AE. R.

Imperatorii

A Nerone usque ad Herennium, cujus numus est apud Haymium. Marcianae numum vulgavit Arigonius.

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΕΦΕCΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Templum, ante quod stans mulier sigillum Dianae Ephesiae tenet; ei ad sinistram adstant duo viri seminudi*, in numo Decii. (de Camps.)

Cum in concordiae numis plerumque se offerant utriusque urbis symbola, certum est, mulierem cum Dianae Ephesiae signo stantem indicare Ephesum, viros duos tanquam *fratres sese amantes* Philadelphiam. Quanquam non obscure hoc typo videatur efficta fabula Iphigeniae, Orestis, ac Pyladis in Tauride, ut iconismum ipsum intuenti possit videri verisimile.

Imperatoris nomen, nempe *Flaviae*, sumptum haud dubie a Vespasiano, aut forte verius a Tito et Domitiano, quod esse debebant, *philadelphis*, saepius occurrit tam in autonomis, quam imperatoriis. Primum legitur in numo Domitiani adhuc Caesaris: ΦΛΑΟΤ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. (Pellerin.) In reliquis solum ΦΛ. praefigitur.

Magistratus: ΑΡΧΙΕΡΕΤΣ. in autonomo descripto.

Archon: ac primum in numo Trajani sic notatus: Ε. ΤΡΕΒ. ΝΙΓΡΟΤ. ΑΡ. ΠΡ. Β. id est: ΑΡχοντος ΠΡωτη Β. (Pellerin.) In numo Antinoï: ΕΠΙ. ΑΙΛ. ΚΑΠΙΤΩΝΟC. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. (Vaill.) et in nonnullis aliis.

Neocoratus indicatur inde ab Antinoo, et notatur etiam saepe in autonomis.

Concordia cum Smyrna et Epheso in numis citatis.

AE. R.

SAETTENI.

Hi scriptoribus omnibus ignoti numorum beneficio revixere. Lydiae hos vindicant numi cum inscriptis Hermo, et Hyllo fluviis, de quibus infra.

Autonomi:

Complures sunt apud Pellerinium, et in museo Caesareo.

Epigraphe constans: CAITTHNΩN. tam in autonomis, quam imperatoriis.

IЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. vel ΔHMOC.

ЄΡΜΟC. *Fluvius decumbens.*

Ceterum variorum deorum in his occurrunt effigies.

AE. RR.

Imperatorii

Ab Hadriano, cujus numus est in le Bret teste Panelio, usque ad Saloninam, cujus numum edidit Arigonius.

Digitized by Google

Epigraphe CAITTHNΩN. Vaillantii CAЄTΩN in numo Hadriani fallit, nam legendum: CA. ЄT. ΘN., et est Samosatorum, ut in his dicetur.

Typi varii, praecipue Herculis.

Magistratus archon inde a M. Aurelio. In numo Gordiani: ЄΠ. AI. ATTAΛIANOT. TIOT. IIAЄOT. APX. A. TO. B. Archon ATTIKOC. est in autonomo. (Panel Cistoph. p. 41.)

Mentio situs a binis fluviis:

ЄPMOC. *Fluvius decumbens*, Aurelii, Mamaeae, Otaciliae, et in autonomo, (Vaill. Arigoni, Pellerin.) at quod insolens, juxta eandem epigraphen in numo Aurelii est *Hercules stans*, (Vaill.) in quo cum nonnulli legerent APMOCAITTHNΩN pro CAITTHNΩN. ЄPMOC., eum perperam Armosata Armeniae transtulerunt, ut docebimus in numis regum Armeniae.

TΛΛOC. *Fluvius decumbens*, Tranquillinae. (Vaill.)

Hyllum exire in Hermum, docent Plinius et Strabo, qui praeterea addit, eum quoque vocari *Phrygium*. Videntur ergo Saetteni ad utriusque confluentem positi, quod egregie confirmat typus in numo Gordiani: *Mensis stans inter duos fluvios decumbentes*. (Vaill.)

AE. RR.

SARDES.

Ad Pactolum fl., vetustorum Lydiae regum sedes, in paucis olim opulenta. De hujus urbis re monetaria vetere praeclare est meritus Cl. Belleyus [a]), ex cujus commentariis magnam eorum, quae coram dabimus, partem me hausisse profiteor.

Autonomi:

ZЄTC. ATΔIOЄ. *Caput Iovis diadematum.* ℞. CAPΔIANΩN. *Hercules stans.* AE. III. (Pellerin.)

Similis adversa. ℞. ΘЄA. PΩMH. *Roma sedens d. Victoriolam.* AE. II. (Num. Graec. musei Benedicti p. 11. et princ. de Waldeck.)

Iovis cultus apud Sardianos inclytus. Sic et in eorum marmore habemus Bonnatum IEPEA. MEГIΣTOT. ΠOΛIEΩΣ. ΔIOΣ. - - - - AГΩNOΘETHN. ΔIAPIΩN. *ludorum Iovis*, nisi legendum ΔIAΣIΩN secundum Meursium [b]). Numum alterum, etsi urbis nomen non addatur, huc pertinere, praecedens conjicere facit.

* * *

CAPΔIC. *Caput muliebre turritum.* ℞. CAPΔIANΩN. B. NЄΩKOPΩN. *Dea velata sedens inter spicam et papaver.* AE. III. (Mus. Caes.)

In antica exhibetur genius urbis, in aversa Proserpina, ut dicetur in imperatoriis.

* * *

MHN. ACKHNOC. *Protome Mensis.* ℞. CAPΔIANΩN. B. NЄΩKOPΩN. ЄPMOC. *Hermus fl. decumbens.* AE. (Haym.)

ACKHNOC. est cognomen *Mensis*, aliis Luni, qui alibi alia habuit cognomina etiam in numis, quae collegit Belleyus [c]).

a) B. L. T. XVIII. p. 115. b) Graec. fer. c) l. c. p. 135.

Digitized by Google

* * *

Caput Herculis nudum. Ϟ CAPΔIANΩN. *Omphale gradiens cum Herculis omni cultu.* AE. III. (Mus. Caes.)

Fuit Omphale Iardani Lydorum regis filia, cujus amore insaniens Hercules stamen duxit, ipsa interea amasii clavam et leonis exuvias deferente. Idem argumentum supra in Maeoniae moneta vidimus. Magnum Herculis in Lydorum historia nomen, cujus posteritas genti diu praefuit teste Herodoto a).

* * *

TMΩΛOC. *Caput senile barbatum pampinis coronatum.* Ϟ CAPΔIANΩN. *Bacchus sedens d. cantharum.* AE. III. (Pembrock P. II. tab. 40.)

Plinius: *Celebrátur Lydia máxime Sardibus in latere Tmoli, qui antea Timolus appelabatur, vitibus consitus.* Vnde Bacchus in numo. Tmolus credebatur Martis filius, a quo monti nomen inditum, ut narrat Plutarchus b). Pampino coronatur propter vitium in eo abundantiam, quam praedicant Plinius, ut dictum, et saepe Ovidius, aliique. Tmolus etiam fingitur in numis Tmoli, de qua infra.

* * *

Caput virile imberbe laureatum. Ϟ ΣAPΔIANΩN. *Figura nuda stans d. extenta avim, s. demissa ramum, addito etiam magistratu, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

Obvii sunt hi Sardianorum numi, et hactenus descriptos aetate praevertunt. Caput anticae videtur esse Herculis Tyrii, de quo in imperatoriis, at partis aversae argumentum mihi ignotum.

* * *

Cistophori insignes in hac urbe cusi sunt, sed quos collectos vide in tractatu de his singulari.

AR. cistophori RRR. AE. C.

Imperatorii.

Augusti numis jam inscribitur ΣAPΔIANΩN, sed semper in consortio cum ΠEPΓAMHNΩN, et verisimile est ex typis, apud Pergamum eos signatos. Certi sunt a Druso juniore usque ad Salonimam. Hos inter memorabilis: ΔPOTΣOΣ. ΓEPMANIKOΣ. KAIΣAPEΣ. NEOI. ΘEOI. ΦIΛAΔEΛΦOI. AΔEΛΦOI. *Drusus junior et Germanicus sedentes*, (Vaill. Morelli.) de quo agetur uberius in moneta Germanici. Item numi Octaviae Neronis et Vitellii. (Sestini Lett. T. IV. p. 122. 123.)

* * *

Typi illustriores:

Proserpinae cultus apud Sardianos praecipuus, in numis enim saepe proponitur aut sola ipsa, aut a Plutone rapta. In numo Concordiae cum Epheso ipsa et Diana Ephesia stantes. Constituti etiam ludi KOPAIA, de quibus infra, ubi et plura de Proserpina proponentur.

ΠAΦIH. CAPΔIANΩN. *Templum Veneris Paphiae*, quale illud fingitur in numis Cypriorum. Ejus cultum apud Sardes et Pergamum receptum, testantur

a) L. I. c. 7. b) de flum. in Pactolo.

Digitized by Google

ntriusque urbis numi, et Sardium quidem copiosi ab Hadriano usque ad Gordianum. De Venere Paphia vide plura in Papho Cypri.

Caput Herculis imberbe laureatum, in numis Neronis. (Haym T. II. tab. 28.)

Est hic luculentus Hercules Tyrius, cujus adeo honores a Sardianis admissi sunt perinde ac Veneris Paphiae. Idem caput etiam in autonomis vidimus.

Vir barbatus stans aut sedens d. fulmen, s. infantem gestat, in numis Antinoi. (Vaill. Patin. Mus. Caes.)

Vaillantius hoc typo Saturnum credidit exhiberi, qui devorare filium parat, sed verius est Iuppiter Baechum Pyrigenem, seu inter fulmina enixum, sinu fovens. Vide, quae huc spectantia ad similem Laodiceae Phrygiae numum olim observavi [a]). Praeclare secundum hunc typum loquitur de se urbs Sardes in epigrammate Macedonii [b]),

Αυτη και Βρομιῳ γενομην τροφος, ἐν δε χερσιν
Εδρακον ἐυστερῳ φωτι φαεινομενον.

Ipsa etiam Baccho fui nutrix, et inter fulmina
Eum vidi latiore lumine collucentem.

Causam, cur hanc aversam Sardiani cum Antinoo conjunxerint, dabimus in numis hujus herois.

* * *

Magistratus in nonnullis scribitur sine mentione dignitatis. Sic: ΕΠΙ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΚΛΕΩΝΟΣ. in numo Drusi jun. (Vaill.) ΜΝΑΣΕΑΣ. ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ. Germanici. (Vaill.) ΕΠΙ. ΜΙΝΔΙΩ. Α. ΤΟ. Β. Octaviae Neronis. (Sestini Lett. T. IV. p. 123.)

Proconsul:

ΓΑΙΟΥ. ΑΣΙΝΙΟΥ. ΠΟΛΛΙΩΝΟΣ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numis Drusi jun. et Germanici conjunctorum. (Morelli.)

De hoc C. Asinio Pollione vide numos gentis Asiniae.

ΕΠΙ. Β. ΤΟΥΛΛΟΥ. ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ. in numo Trajani, quem citat Belleyus ex museo Pellerinii [c]), sed in numis a Pellerinio ipso editis non reperitur, et incertum etiam, quis fuerit hic Β. ΤΟΥΛΛΟΣ.

Archon legitur frequenter inde a Nerone usque ad exitum. Sic: ΕΠΙ. ΜΙΝΔΙΟΥ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. in numo Neronis. (Pellerin.) Harduinus το ΑΡΧ. in numis hujus urbis explet legendo ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ, sed perperam, nam in numo Caracallae plenius scribitur ΑΡΧΟΝ. In numo Valeriani apud Pellerinium insolens epigraphe: ΕΠΙ. ΔΟΜ. ΡΟΥΦΟΥ. ΑCΙΑΡΧ. Κ. ΤΙΟΥ. Τ. ΑCΙ. ΑΡΧ. Α. *et filio Asiarchae archonte primo.*

Praetor in aliquot Sardianorum numis legitur: ΕΠΙ. CΤΡ. ΑΡΙCΤΟΦΑΝΟΥC. in numo Aurelii, quem Belleyus ex Harduino hauserit. Pellerinius in autonomo legit: CΤΡΑ. ΕΙΟ. ΛΙΒΩΝΙΑΝΟΥ. An hic magistratus idem cum Liboniano, qui a Vaillantio ex numo Trajani sic describitur: ΑΡ. ΙΟ. ΛΙΒΩΝΙΑΝΟΥ. et qui adeo archon, non praetor dicitur? An Sardibus archon et praetor idem erat, et uterque promiscue acceptus, de quo jure dubitat Belleyus [d])? Certe idem numos binos citat, in quibus unus idemque vir simul archon, simul praetor dicitur, et quidem numum Caracallae: ΕΠΙ. CΤΡΑ. ΚΟΡ. ΟΥΕΤΤΗ-

a) Num. vet. p. 249. b) Brunck Anal. T. III. p. 120. c) l. c. p. 127. d) l. c. p. 128.

Digitized by Google

NIANOT. ACI. APX. A. (Mus. Theup.) quanquam in hujus numi lectione subesse mendum suspicer, nam idem omnino magistratus in numo Severi musei Albani dicitur: ЄΠΙ. CTPA. KOP. OTЄTTHNIANOT. ACIAPX. Δ., nisi forte et in hoc separandum vocabulum, ut sit: ACI. APX. Δ.; alium Otaciliae ex museo regio: ЄΠΙ. CTP. HPAKΛЄIΔOT. APX. A. Addo alium Maximini citatum ab Harduino ex museo regio: ЄΠΙ. CTP. MЄNЄCTPATIANOT. APX. Istud ex inscriptione Sponii certum, fuisse etiam Sardibus praetorem, nam in ea Bonnatus dicitur CTPATHΓOC. ΠPΩTOC. ΔIC. (Miscell. p. 356.)

Αρχιερευς μεγας. Vnus Spanhemius numum Elagabali ex museo Mediceo vulgavit inscriptum: ΓAΔ. KΛAΤΔIANOT. APXIЄ. MЄΓ., quod explicat: APXIЄρεως. MЄΓαλυ [a]).

Asiarcha dicitur Vettenianus in numis Severi et Caracallae supra in *Praetore* citatis, in quibus idem praeterea dicitur archon et strategus. In numo Valeriani et Saloninae *Domitius Rufus* hac dignitate insignitur, (Vaill. Arigoni, Pellerin.) qui simul Asiarcha, simul Asiarchae filius dicitur, ut vidimus paullo ante, et explicabimus amplius in tractatu de Asiarcha.

* * *

Metropolis:

MHTPOΠOΛЄΩC. ACIAC. in numo Severi. (Mus. Albani.)

* * *

ACIAC. ΛTΔIAC. ЄΛΛAΔOC. A. MHTPOΠOΛIC. CAPΔIC. *Caput muliebre velatum cum corona spicea.* Ϗ ЄΠΙ. COTΛ. ЄPMOΦIΛOT. ACIAPX. CAPΔIANΩN. B. NЄΩKOPΩN. *Pluto Proserpinam rapit, in aere volat Cupido, infra equos serpens, et calathus florum inversus.* AE. m. m. (Seguin p. 28.)

Eadem epigraphe. Caput muliebre velatum turritum. Ϗ *Iuppiter Nicephorus sedens inter signa zodiaci.* AE. m. m. (de Camps p. 93.)

Numi hi autonomi signati sunt inde a Caracalla usque ad Gordiani imperium, quia *Sulpicii Hermophili* nomen legitur in numis Caracallae, Elagabali, et Tranquillinae. Sardes sese profiteri posse metropolin *Lydiae*, nemo negaverit, neque pro ejus aetatis urbium arrogantia mirum videatur, eam se praedicare metropolin *Asiae*, nimirum proconsularis, praecipue cum Lydia vetustissimo aevo dicta fuerit Asia, quod late probavit Cl. Prideaux [b]), quanquam tum in hac epigraphe manifestam haberemus tautologiam. At eam audere sese propalam vocare metropolin *Hellados*, et quidem A, id est: *primam*, mirum atque incredibile videatur. Enimvero Helladis nomine una fere Graecia propria solebat intelligi, atque istud provecto adhuc imperio R., nam in marmore Farnesiano, quod positum est imperante Aurelio, post annum certe V. C. 934, dicitur Asclepiades vicisse ЄN. ЄΘNЄCIN. TPICIN. ITAΛIA. ЄΛΛAΔI. ACIA [c]). Sed restringenda sententia videtur Spanhemio, sic ut nomine Helladis intelligenda sit tantum portio Lydiae, sic dicta propter Macedonas ibi

a) T. II. p. 418. b) Marm. Oxon. p. 460. c) Grut. p. 314. 1.

Digitized by Google

constitutos. (Tom I. p. 618.) Verum an unquam Macedones intra Helladis fines fuere admissi, quos barbaros passim vocat Demosthenes? Sane in marmore Athenis reperto dicitur Ruffius Festus ΑΝΘΥΠΑΤΟC. ΕΛΛΑΔΟC. nempe provinciae Achaiae, exclusis adeo Macedonibus, qui alium habuere proconsulem [a]). Aliter visum Bellovo, qui cum videret, Ionas non raro a veteribus dici *Hellenes*, Ioniam autem ipsam secundum Herodotum et Xenophontem aliquando partem Lydiae constituisse, censet, Sardes spectato vetere hoc Lydiae statu dici potuisse metropolin Helladas, nempe Asiaticae. At non credam, Sardianos veterem hunc suum, et non praesentem statum respexisse, et videtur verisimilius, dici metropolin Hellados propter inhabitantes Asiam Graecos, qui Ελληνες dicebantur. Sic et Augustus omnes, qui per Asiam et Bithyniam habitavere, et Romani non erant, vocavit Ελληνας, referente Dione [b]). Teste Apollodoro, quem advocat Etymologicum M. [c]), Ατταλος ἐκ των Ελληνιδων πολεων οἰκητορας συναγαγων ἐκτισε πολιν, και ὠνομασεν Ελληνοπολιν. *Attalus conductis ex urbibus Graecis habitatoribus urbem condidit, eamque Hellenopolin vocavit.* Appianus agens de conventu provinciae Asiae a M. Antonio Ephesi habito ait [d]): της δε Ελληνας και ὁσα αλλα ἐθνη την ἀμφι το Περγαμον Ασιαν νεμονται, κ. τ. λ. *Hellenas vero, et quaecunque aliae gentes vicinam Pergamo Asiam inhabitant etc.* Dividit ergo incolas provinciae Asiae in Graecos adventitios, Ελληνας, et alios, quo nomine haud dubie intelligit veteres earum regionum indigenas. Et vero diu in eo tractu duravit Ελληνων appellatio teste epistola Alexandri Severi, quae incipit: Αυτοκρατωρ Αλεξανδρος τῳ κοινῳ των ἐν Βιθυνια Ελληνων [e]).

Ceterum non magnopere laboremus, an Sardiani vere de se hos titulos potuerint praedicare, nisi etiam velimus in jus vocare Nicaeenses, qui se Αρεως Μητρως in numis appellavere, quae fuerunt unius Iovis epitheta, ut alia urbium Asiaticarum arrogantiae argumenta circum eam aetatem, nimirum Pergami, Ephesi, Smyrnae, taceam, quae perinde cum historia vera componi vix possunt. Permisere Romani Graeculis privatas has de singulorum excellentia contentiones, quibus per ambitionem immersi committerent se negotiis publicis miscere. Infra videbimus, Trallianos se quoque in numis dixisse ΠΡΩΤΟΤC. ΕΛΛΑΔΟC, nullo certe alio jure, nisi quod libido sese prae aliis efferendi suggessit. Vide plures alias conjecturas a Spanhemio ad explicandam singularem hanc epigraphen propositas [f]).

* * *

Neocoratus primum comparet in numo Antinoi: CAPΔIANΩN. NЄΩΚΟΡΩN. (Vaill.) In numis Severi: B. NЄΩΚΟΡΩN. (Vaill.) Caracallae B. Γ. vel ΤΡΙC. NЄΩΚΟΡΩN. (Vaill.) Deinceps lex variat, nam in numis Elagabali scribitur B. et Γ. (Vaill. Pellerin. Suppl. II. p. 80.) Alexandri B. Gordiani B. et Γ. Tranquillinae et Philippi Γ., in Otacilia et Gallieno B., in Salonina Γ. Ex numo

a) Gruter p. 464. 7. b) L. LI. §. 20. c) in Ελληνοπολις. d) Bell. civ. L. V. c. 4. e) Digg. L. XLIX. tit. 1. §. 25. f) Tom. I. p. 618.

Digitized by Google

Caracallae, in quo scribitur ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ, et ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ., docemur, Sardes vivo adhuc Geta nondum fuisse tertium neocoras. Pellerinius tertium neocoratum concessum ab Elagabalo adserit, quia, inquit, numi cum tertio neocoratu, quos Vaillantius Caracallae tribuit, verius sunt Elagabali a). Quod vero singulare est, et unici forte exempli, Sardianos Fl. Leonis adhuc aetate monumentis suis inscripsisse neocoratum, docet marmor a Peyssonnelio apud Sardes repertum, in quo legitur: ΕΝ. ΤΗ. ΛΑΜΠ*ροτατη* ΚΑΙ. ΔΙC. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. CΑΡΔ*ιανων* ΜΗΤΡΟΠ*ολει* b). Esse vero marmor illud in haec tempora referendum, testatur primum indictionis numerus notis aliis chronologicis conjunctus, deinde praecipue, quod ibi mentio fit ΦΛ. ΛΕΟΝΤΟC. ΑΤΤΟΚΡΑΤΟΡΟC.

* * *

Commune. In numis Drusi jun. et Germanici juxta sedentium coronae quernae inscribitur: ΚΟΙΝΟΝ. ΑΣΙΑΣ. Recte conjicit Belleyus, notari ludos apud Pergamum in Augusti honorem permittente ipso Augusto celebratos a Graecis Asiaticis, ut decet Dio c), quibus accessisse Sardianos non modo per vicinium verisimile est, sed etiam, quia ex numis Augusti vidimus, jam sub hoc Sardianos et Pergamenos junxisse sacrorum societatem.

ΕΠ. ΑΝ. ΡΟΤΦΟΤ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Δ. ΚΟΙΝΟC. ΑCΙΑC. *intra coronam*, Domnae. (Arigoni.)

* * *

Ludi:

ΚΟΡΑΙΑ. in numo Caracallae ΕΠΙ. ΑΝ. ΡΟΤΦΟΤ. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Γ. ΚΟΡΑΙΑ. ΑΚΤΙΑ. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Proserpina adversa sedens capite tutulato, et a summo ad imum velata, hinc papaver, inde spica.* (Pellerin Rec. III. p. 164.) In numo Elagabali: *Ipsa sedens eodem cultu intra 4. urnas.* (Pellerin Suppl. II. p. 80.) Sic ornata est in autonomo musei Caesarei, quem citavi. Ex his apparet, spicam et papaver propria esse Proserpinae attributa. De ludis Coraeis vide tractatum de ludis.

ΑΚΤΙΑ mox vidimus cum Coraeis conjuncta, Apollo Actius comparet in numo Antinoi. (Mus. Farn. T. VI. tab. 40.)

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΙΑ. *Concordia stans inter Caracallam et Getam*, Severi. (Vaill.)

ΧΡΤCΑΝΘΙΝΑ, vel ΧΡΤCΑΝΘΕΙΝΑ, in Pellerinismo Severi ΧΡΤCΑΝΘΕΙΑ. Horum frequens mentio in Sardianorum numis inde a Severo. Quae ad hos ludos pertinent, vide explicata in tractatu de ludis.

CΕΒΗΡΕΙΑ. In citato Pellerinii numo ludi Severiani junguntur cum Chrysanthinis.

* * *

Concordia:

Cum *Pergamo* in numis Augusti, de quibus supra. In numis Domitiani: ΔΗΜΟC. CΑΡΔΙΑΝΩΝ. ΔΗΜΟC. ΠΕΡΓΑΜΗΝΩΝ. *Duo viri togati et barbati jungunt dexteras.* (Vaill.) Sunt hi forte Iuppiter Sardianorum, et Adscula-

a) Mel. II. p. 291. b) Peyssonnel Voyage p. 346. c) L. LI §. 20.

Digitized by Google

pius Pergamenorum, ut dictum in Pergamo. In numo simili Spanhemius legit: ΔΗΜΟC. CAPΔIANΩN. ΔΗΜΟC. CMTPNAIΩN. a).

Cum *Epheso*, *Diana Ephesia et Proserpina stantes*, Aurelii, aliorumque. (Vaill.)

Omitto ignobiliores alios.

Huc etiam pertinet numus Claudii, in quo Morellius et Patinus legerunt: ΣAPΔIANΩN. AMAΣIAΣ typo *Palladis stantis*, at verisimiliter, ut jam advertit Belleyus, hic numus idem est cum alio, quem Vaillantius in numis Germanici vulgavit, in quo ΣAPΔIANΩN. MNAΣEAΣ., et item Pallas stans.

* * *

Mentio situs:

I. a Tmolo monte: TMΩΛOC, in autonomo, de quo supra.

II. ab Hermo fluvio: ЄPMOC. in autonomo citato, et in numo Sabinae, in utroque *fluvius decumbens*. Sardes quidem aurifero Pactolo adfixae fuere, sed qui paullo infra in Hermum exivit.

Huno situm comprobat etiam memoratum supra Macedonii epigramma b):

Τμωλῳ ὑπ' ἠνεμοεντι, ῥοην παρα Μαιονος Ερμω,
Σαρδιες, ἡ Λυδων ἐξοχος εἰμι πολις.
Tmolo sub ventoso, propter fluenta Maeonii Hermi
Sardes, Lydorum praestans sum urbs.

AE. C.

SILANDVS.

Cellario praeterita, tantum in Notitiis inter Lydiae urbes recensetur. Vide Buonarrotum c).

Autonomi:

IЄPA. CTNKΛHTOC. Ж CIΛAN-ΔЄΩN. *Iuppiter sedens d. pateram.* AE. I. (Pellerin.)

ЄΔЄNO. *Caput barbatum nudum.* Ж CIΛANΔЄΩN. *Leo gradiens.* AE. II. (Hunter.)

In hujus antica haud dubium est caput Herculis, suffragante etiam leone partis aversae, sed quid significet scriptum juxta ЄΔЄNO, mihi ignotum.

AE. RRRR.

Imperatorii

Domitiani, Domitiae, Caracallae, (Pellerin.) Commodi. (Vaill.) Typis obviis.

Magistratus:

Praetor: ЄΠI. ΔHMOΦIΛOT. CTPAT. B. Domitiani. (Pellerin Rec. III. p. 215.)

Archon, summus sacerdos: ЄΠI. APXIЄPЄΩC.--TATIANOT.KAPX. in numo Commodi, quem ex museo Carpegna dedit Vaillantius, qui hunc Tatianum una *summum sacerdotem, et archontem* facit, at Buonarrotius, qui eundem numum commemorat, plura in explicatione τω KAPX. adfert, quae nullo possunt pacto admitti d). Verum numus hic, ut ectypon prodit, magis est vitiatus, quam ut certi quid de ejus lectione possit adfirmari. Magis integer serius editus in museo Albani, in quo legitur sic: K. APX. id est: Και APXων, quo confirmatur sententia Vaillantii, eundem

a) Tom. I. p. 136. b) Anal. Brunck. T. III. p. 129. c) Osserv. p. 143. d) l. c.

Digitized by Google

Tatianum simul summum sacerdotem, simul archontem statuentis, cujus simile exemplum dabunt etiam proximae Temenothyrae.

AE. RRR.

TABALA.

In Notitiis frequenter legitur *Gabala* pro *Tabala*, et Lydiae ea urbibus inseritur, at ex fontibus aliis magis sinceris, ac praecipue numis praeeuntibus restituendum esse *Tabala*, praeclare evincit Wesselingus [a]), saniore utique consilio, quam illud Harduini fuit, qui ex Notitiis luxatis corrigendos numos suasit, cum contrarium potius sana ratio exigat [b]). Evenit huic Tabalae, mutando nimirum perperam T in Γ, quod evenisse docui Tylisso Cretae, et fuit hoc notum librariorum fatum, ut saepe Γ pro T intruderent. Reliquis, quod sciam, scriptoribus haec urbs plane ignota. Pellerinius ait, unum Herodotum hujus Tabalae meminisse, qui eam in Lydia ad Ioniae fines constituit. In hoc reperio tantum ἐπι τῆς συμπολιορκησαντας Ταβαλεῦν [c]). Verum hic Tabalus urbs non fuit, sed homo Persa, quem Cyrus, ut in praecedentibus dictum [d]), Sardibus praefecit. An alibi Tabalae meminerit, ignoro. In rebus minus obviis citandi adcurate sunt fontes, quod constanter negligit Pellerinius.

Autonomi:

CTNKΛHTOC. Ɪ TABAΛЄΩN. ЄPMOC. *Fluvius decumbens.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin, Haym.)

AE. RRR.

Imperatorii

Commodi et Caracallae. (Vaill.) In posteriore *Amazon eques.*

Magistratus praetor in utroque.

Mentio situs a fluvio Hermo in autonomis.

AE. RRRR.

TEMENOTHYRAE.

A Pausania in Lydia collocantur [e]), a Notitiis in Phrygia, ceterum exiguae famae.

Autonomi:

ΔHMOC. *Caput barbatum nudum.* Ɪ THMЄNOΘTPЄΩN. *Iuppiter sedens.* AE. II. (Pellerin in urbib. Phryg.)

ЄΠI. Λ. TTΛΛI. *Caput muliebre.* Ɪ *Eadem epigraphe. Mulier stans d. spicas, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

IЄPA. CTNKΛHTOC. Ɪ ЄΠI. M. TTΛΛI. THMЄNOΘTPЄΩN. *Mensis stans.* AE. (Pembrock.)

ЄΠI. M. TTΛΛI. *Caput muliebre velatum, juxta pectus duae spicae.* Ɪ TPIMЄNOΘTPЄΩN. *Diana Ephesia.* AE. III. (Seguin p. 87.)

In numo hoc postremo primum Seguinus, deinde Vaillantius [f]) urbis nomen legerunt TPIMЄNOΘTPЄΩN, et adeo tribuerunt *Trimenothuritis* Ptolemaei, Phrygiae vel Mysiae populo, sed qui in codicibus varie scribuntur. Ille inscriptione anticae M. Tullium Cimbrum Caesaris percussorem, hic M. Tullium Ciceronem indicari credidit. Com-

a) In not. ad Hierocl. p. 670. b) Num. ill. in Γαβαλα. c) L. I. c. 161. d) cap. 153. e) L. I. c. 35. f) in Fam. Tull.

Digitized by Google

bius quaesito in ΘΤΡΕΩΝ. urbis nomine numum suum Thyreo Acarnaniae largitus est [a]). Lectionem sanam restituerunt Harduinus [b]) et Morellius [c]). Illis refutandis, qui nomine Tullii sive Cimbrum, sive Ciceronem indicari credidere, non immorabor, cum numus vel obiter inspectus continuo prodat, eum tam remotae aetatis nullo pacto esse posse, quin vultus lineamenta non obscure Tranquillinam eloquuntur sub Cereris imagine propositam, ut eo aevo in Asia proconsulare mos obtinuit. Censet Pellerinius, etiam epigraphen M. TTΛΛI. ex suo integro corrigendam, legendumque videri Λ. TTΛΛI. Verum numus Pembrockianus, et modo laudatus Hunterianus Combii M. pro Λ offerunt. Est adeo hic Tyllius certus magistratus domesticus.

* * *

Caput Palladis. Ϡ ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧ. ΤΗΜΕΝΟΘΤΡΕΤCΙ. *Ara, supra quam serpens adsurgens.* AE. III. (Mus. Caes.) In alio: *Leo gradiens.* (Liebe p. 201.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ϡ ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙΕΡΕΤC. ΤΗΜΕΝΟΘΤΡΕΤCΙ. AE. m. m., quem obiter citat Patinus. (Impp. p. 3.)

ΚΤΙCΤΗC. *Caput Herculis.* Ϡ ΝΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙΕΡ. Α. ΤΟ. Β. (Harduin.)

ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. *Caput Romae.* Ϡ ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙΕΡΑ. - - - Α. ΤΟ. Β. (Patinus ibid.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ϡ ΑΡΟΤ. Μ. ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙΕΡΕΤC. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. ΤΗΜΕΝΟΘΤΡΕΤCΙ. *Hercules coram Palladis statua esurens capita hydrae.* (Pellerin Mel. I. p. 71.)

Omnes hi numi certe signati sunt imperante Philippo, nam in numo Otaciliae apud Haymium [d]) legitur: ΝΕΙΚΟΜΑΧΟC. ΑΡΧΙΕΡΕ. Patet item, το ΑΡΧ. numorum, quos primo loco dedi, notare Αρχιερεα, non archontem, quamvis, ut continuo dicetur, archon ordinarius fuerit hujus urbis magistratus.

Ex numis III. et IV. argui posset, non modo summum sacerdotium fuisse iteratum, sed etiam summum sacerdotem alium fuisse primum, alium dignitate secundum, verum in his numis A. TO. B. referendum esse ad munus archontis, quod una cum summo sacerdotio gessit Nicomachus, intelligimus ex insigni numo sedis V. Mox supra in numis Silandi eundem simul archontem, simul summum sacerdotem vidimus.

AE. R.

Imperatorii

A Gordiano usque ad Saloninum. (Vaillant, Haym.)

Epigraphe in omnibus: ΤΗΜΕΝΟΘΤΡΕΤCΙ addito archontis et αρχιερεως nomine. Vide, quae de hoc inscriptionis modo observabimus in tractatu de formula ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Typi obvii.

Magistratus in autonomis nonnunquam nude positus.

Summus sacerdos: ΑΡΧΙΕ. in numo Otaciliae. (Haym.) In autonomis Nicomachus frequenter sic compellatur sed qui, ut vidimus, una archon fuit.

---

a) Mus. Hunter p. 335. b) in Temenothyrae. c) in Fam. Tull. d) T. II. p. m. 368.

Digitized by Google

Archon: ΛΟΛ. ΞΕΝΟΦΙΛΟC. ΑΡΧ. Α. ΤΟ. Β. in numo Gordiani. (Vaill.) — ΚΛΕΟΒΟΤΛΟC. ΑΡΧΩΝ. Α. Valeriani sen. (Vaill.)

Numum Gallieni argenteum max. mod. ΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΒΑΙΤΗΝΩΝ. ΤΗΜΕΝΟΘΤΡΕΩΝ vide supra in Bagis.

AE. RR.

THYATIRA.

Sardes inter ac Pergamum ad Lycum fl. secundum Plinium et Ptolemaeum, sed Peyssonelus putat legendum: *ad Caicum*, qui et plura alia ad hujus urbis situm statumque pertinentia vulgavit in itinere suo Thyatireno.

Autonomi:

ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. *Caput Dianae, prominente in aliquibus retro pharetra.* Ꝛ ΘΤΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. vel: ΘΤΑΤ. Κ. CΜΤΡ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Typis variis.* AE. III. (Pellerin, Haym, Hunter, Mus. Caes.)

Hoc nomine Dianam a Thyatirenis cultam fuisse non hi modo numi testantur, sed et marmor vulgatum a Smithio [a]), in quo legitur: ΑΡΤΕΜΙΔΙ. ΘΡΕΙΤΙΝΗ. Peyssonnelus, qui idem marmor serius inspexit: rectius legit ΟΡΕΙΤΗΝΗ [b]), quam lectionem amplexus est etiam Cl. Durandus, ut confirmaret titulum *Montanae* in marmore suo Dianae datum [c]). Verum haud dubie docentibus numis scriptum erit ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. Perperam etiam Harduinus in numo suo legit ΔΟΡΕΙCΗΝΗ. Non adridet etymologia a Borea sumpta, quam eruditis proponit Haymius, ut jam alias disputavi [d]), quo loco et docui, verisimile videri, vocabulum ΒΟΡΕΙΤΗΝΗ. nequaquam ex lingua Graeca esse petendum, sed ex antiqua ejus tractus, perinde ac alia Dianae cognomina, *Bendyos* apud Thracas, *Britomartis* apud Cretes etc. Dianam ΠΕΡΣΙΚΗΝ, atque adeo hanc quoque ex barbaro petitam habuit Hierocaesarea Thyatirae admodum vicina. Refert Pausanias [e]), in hac Hierocaesarea sacerdotem, cum sacris operaretur, barbara deorum vocabula, Graecis nequaquam intellecta, pronunciasse, cujus generis dubium non est, esse quoque hano eandem Boritenen. Teste Strabone [f]) in una Cibyra Phrygiae quatuor fuere linguae, Lydia, Pisidia, Solymorum, Graeca. De hac linguarum per Asiam minorem varietate vide Harduinum [g]).

ΘΤΑΤΕΙΡΑ. *Caput muliebre velatum turritum.* (Theup. Peyssonnel Voy. p. 256.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ꝛ ΕΠΙ. CΤΡΑ. Μ. ΑΤΡ. ΦΑΕΙΝΟΤ. Β. ΘΤΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Fluvius imberbis decumbens d. arborem tenet, s. urnam, pro pedibus bos.* AE. m. m. (Mus. Albani, Mus. Florent. tab. CX.)

Plures autonomos alios proponunt Pellerinius et Hunterus, sed ex quibus nihil dignum eruas.

AE. RR.

a) Notit. 7. eccles. Asiae p. 20. b) Voyage p. 253. c) Dissert. degli ant. cacciatori. Torino. d) Num. vet. p. 268. e) L. V. c. 27. f) L. XIII. in fine. g) Num. ill. sub. Hierap. Phryg.

Digitized by Google

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Valerianum.

Typi:

Bipennis sola frequenter, *Amazon stans*, in numo Crispinae, (Vaill.) *Eques*, (Pellerin Suppl. II. p. 76.) quin et *Apollo stans ad aram d. tenens ramum lustralem, s. bipennem*, (Pellerin Mel. I. p. 100.) quibus typis docemur, credidisse populares, se ab Amazone Thyatira descendere, etsi ejus nominis etymologias alias proponat Stephanus dignas ejus aetatis grammatico.

Amphion et Zethus novercam Dircen tauro raptantes, in numo max. mod. Caracallae. (Mus. Caes.)

Simile argumentum est etiam in numo Severi Acrasi Lydiae signato, et in contorniato. Priorem olim delineatum edidi [a]), mirumque tum visum, in Lydiae urbis numo proponi factum, quod longe ab Lydia in Boeotiae finibus peragebatur. Rationem, quam ibi proposueram, jam tum levissimae conjecturae instar habui; at cum serius in similem Acrasi numum offenderem, mythologiam adcuratius excussi, ac tum vidi, Lydiam, ac praecipue tractum, in quo sita fuit Thyatira, cum Amphione proxime connecti. Fuit Tantalus hujus viciniae rex, cujus et insigne monumentum se in Sipylo monte vidisse, tradit Pausanias [b]), quin et Sipyli sedem eum fixisse auctor est Apollodorus [c]), quae urbs *Tantalis* ab eodem Tantalo antea vocabatur testibus Plinio, et Soline, sed quam terrae motu eversam iidem et Strabo prodidere. Fuit autem Thyatira nostra Sipylo vicina. Tantali filius fuit Pelops. Ab hoc credam Thyatiram *Pelopiae* nomen abstulisse, quod ei fuisse pervetustum memorant Plinius et Stephanus. Ejusdem Tantali filia fuit Niobe nostro huic Amphioni nupta, qui juvante fratre Zetho Dircen novercam summi criminis adversus matrem suam Antiopen convictam ferocienti tauro alligavit, praesentis numi argumentum. Ipsam Nioben post prolium suarum funera rediisse Sipylum ad patrem Tantalum ibique in saxum commutatam eodem loco tradit Apollodorus, et Pausanias [d]). Celebre istud Amphionis factum cum ad se propter agnationem pertinere crederent Thyatireni, honorificum id sibi duxere, illud in moneta proponere.

Vulcanus sedens galeam super incude fabricat, adstat Pallas s. clypeum tenens, in numo Commodi. (Num. max. mod. reg. Gall.)

Narrat Appollodorus [e]), Palladem ad Vulcanum accessisse armorum causa, quae sibi fabricari petierat. Faber tum oblatam sibi occasionem ratus potiundi ejus deae, quam pridem Iuppiter ejus arbitrio permiserat [f]) cum votis suis reluctari pergeret, fecit ea, quae honestius reticentur. Natus illo casu Erichthonius in serpentem desinens, cum adolevisset, Athenarum rex. Eandem fabulam recitat Hyginus [g]).

* * *

Sol adversus insistens iridi, infra quam tres leones, et caput tauri, in numo Alexandri.

---

a) Num. vet. p. 269. b) L. II. c. 22. c) L. III. §. 6. d) L. I. c. 21. e) L. III. c. 13. §. 6. f) Lucian. dial. deor. 8. g) Fab. 166.

Digitized by Google

His verbis numum descripsit Pellerinius, at secundum iconismum currus est a tribus leonibus tractus, cujus supremae compagi, quam pro iride habuit, insistit sol adversus.

Magistratus praetor, neque alius, inde a Commodo, sic: ЄΠΙ. CTPA. ΚΛ. CTPATΩNЄIKIANOT. NЄΩ. Caracallae. (Mus. Caes.) quo in numo Stratonicianus dicitur neocorus. Sic et in marmore Thyatirae reperto Alphenus dicitur NЄΩΚOPOC. TOT. CЄBACTOT. *Caracallae.* (Peyssonnel Voy. p. 280.)

* * *

Neocoratum urbi concessum dedit Harduinus ex numo Tristani, sed quem nullus praeterea alius in numis reperit.

* * *

Ludi:

ATΓOTCTЄIA. ΠTΘIA. *intra coronam*, Caracallae. (Mus. Caes.)

ATΓOTCTЄIA. APICTA. OΛTMΠ. *Duae urnae*, Valeriani. (Vaill.).

ΠTΘIA, *urna*, Caracallae. (Vaill.)

IЄPЄIA. AΓΩN. OΛTM. *Duae urnae*, Alexandri, (Vaill.) sed videtur lectio suspecta.

* * *

Concordia cum Smyrna: ΘTAT. K. CMTP. OMONOIA, vel etiam scriptum plenius, in numis Gordiani, (Vaill.) et in autonomis supra citatis, in quorum antica est BOPЄITHNH.

AE. R.

THYESSVS.

Vrbes hoc nomine binas unus Stephanus prodidit, quarum unam in Lydia locat, sic dictam a Thyesso caupone, alteram in Pisidia.

Autonomus.

Caput juvenile. Ϫ ΘTЄΣΣЄΩN. *Pilum hastae.* AE. III. (Pellerin.)

Vtrius Thyessi numus hic sit, difficile est decidere. Pellerinius priorem maluit.

AE. RRRR.

TMOLVS.

Vrbs cum monte cognomine, quae quoque inscribitur basi colossi Tiberiani inter urbes, quas terrae motus labefactavit, idem testantibus etiam Tacito, Hieronymo, Nicephoro. *Mesotimolitas* etiam Plinius in Lydia nominat, nempe qui in medio Timolo, nam et hoc monti nomen fuit, habitabant. Cicero [a]): *Timolites ille vicanus.* Vicanum vocat per contemptum, quo hominis elevaret auctoritatem. Etiam Ovidius [b]):

Deseruere sui nymphae vineta Timoli.

Autonomus.

TMΩΛOC. *Caput senile barbatum.* TMΩΛЄITΩN. AE. (Harduin ex Thes. reg.)

Est hic Tmolus Martis filius, a quo monti nomen inditum, ut dixi supra in Sardibus, in quarum quoque moneta eadem est antica.

AE. RRRR.

a) pro Flacco. §. 3. b) Met. VI. 15.

Digitized by Google

Imperatorii.

ΤΜΟΛΕΙΤΩΝ. *Apollo stans*, Sabinae (Vaill.) *Cupido*, ejusdem. (Spon. Voy. T. III. p. 193.) *Diana venatrix*, Faustinae. (Harduin.)

AE. RRR.

TRALLES.

Vrbs ad Cariae fines proxime Nysam, cui etiam a nonnullis inscribitur. Strabo eam ob incolarum opibus commendat in qua degebat opulentus Pythodorus pater Pythodoridis Ponti reginae. Gaspar Odericus binas in hoc tractu Tralles agnoscit, et aliis alios numos, inscriptos ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ tribuendos censet [a]), non tamen satis ad id rationis apparet.

Autonomi:

ΖΕΤC. *Caput Iovis.* Ɪ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Botrus.* AE. III. (Pellerin.)

ΖΕΤC. ΛΑΡΑCΙΟC. *Caput Iovis.* Ɪ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Bacchus nudus stans d. botrum, s. cantharum.* AE. (Haym.)

Iovem Larasium unicus hic numus sistit. Memorat Strabo Trallianum quendam Menodorum, qui Διος του Λαρισσαιου, *Iovis Larissaei* sacerdotio functus erat [b]), et alio loco narrat, prope Tralles fuisse Larissam, a qua, ut ipse conjicit, appellatus est Ζευς ὁ Λαρισσιος, *Iuppiter Larissius* [c]). Cum Strabo Tralles Argivorum coloniam asserat, apud quos Argis in arce templum illustre stetit Iovis cognomine Larissaei, verisimile videri possit, quod jam vidit praeclarus Odericus [d]), metropoleos numina, quod alibi saepe factum novimus, a colonis Tralles traducta fuisse. Verum an hic Iuppiter Strabonis, seu *Larissaeus*, seu *Larissius*, qui apud Tralles colebatur, idem est cum illo, qui in numo vocatur ZΕΤC. ΛΑΡΑCΙΟC., quem integerrimum profitetur Haymius? Invitat certe nominis adfinitas, et poterat aetate magis sera, qua secundum omnia indicia numus signatus est, nomen illud ab oppidanis aliter pronunciari.

* * *

ΑΠΟΛΛΩ. *Caput Apollinis radiatum, pone pharetra.* In alio: ΗΛΙΟC. ΑΠΟ. *Caput Solis radiatum.* Ɪ ΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Diana Ephesia.* AE. (Hunter. Sestini Lett. IV. p. 62.)

Praeter hunc sunt apud Pellerinium tres autonomi alii inscriptii ΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. typis variis. Vide et imperatorios.

* * *

Caput Apollinis laur. Ɪ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΑΛΣ. *Tripus.* AE. III. (Pellerin.)

Numus hic inter autonomos aeneos videtur antiquissimus. An το ΑΛΣ. epochae annum notet, infra inquiremus.

* * *

ΙΕΡΟC. ΔΗΜΟC. Ɪ ΕΠ. ΓΡ. ΑΤΤΑΝ. ΚΟΡΙΝΘΟΥ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Fortuna stans.* AE. m. m. (Pellerin.)

Corrigenda ex hoc lectio, quam ex simillimo promulgavit Panelius [e]) ΕΠΙ. Γ. ΑΤΛ. ΤΑΝΤΙ. ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ., ne inde quis concordiam

a) Dissert. p. 2. b) L. XIV. pag. m. 960. c) L. IX. p. m. 672. d) l. c. p. 20.
e) Num. Cistoph. p. 41.

Digitized by Google

Corinthios inter et Trallianos initam velit conjicere.

* * *

ΙЄΡΑ. CTNKΛΗTOC. *Caput mulie-bre velatum.* Ɪ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΠΡΩ-ΤΩΝ. ЄΛΛΑΔΟC. *typo ludorum.* AE. (Haym.)

Titulus ambitiosus, et, ut ejus aetatis mores suadent, nulla auctoritate, sed sponte arreptus. Vide, quae supra in Sardianorum numis notavi, qui urbem suam *primam metropolin Helladis* professi sunt.

* * *

ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Fulmen.* Ɪ ΤΡΑΛ-ΛΙΑΝΩΝ. *Fulmen.* AE. (Haym.)

Rarissimi sunt numi cum eodem utrinque typo.

* * *

Ludi, et magistratus *Scriba* saepe in inferioris aetatis autonomis comparent, sed de quibus agetur in imperatoriis.

* * *

De Tralliam argenteis *Cistophoris* agemus in tractatu de numis Cistophoris.

AR. Cistophori RRR. AE. R.

Imperatorii.

Augusti unum vulgavit Pellerinius inscriptum ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. (Mel. II.) Nullus deinde cognitus usque ad Domitianum. Ab hoc porriguntur usque ad Valerianum jun. Hunc, quem dixi hiatum Augustum inter et Domitianum, explere tentavit cl. Sestinus, largiendo illi numos solo ΚΑΙΣΑΡЄΩΝ inscriptos, quos hactenus urbibus aliis Caesareae nomine praeditis tribuendos putavimus [a]). Istud adserendi causas adfert sequentes: I. Argumentum ei sufficit autonomus Haymii supra descriptus cum epigraphe: ZЄΤC. ΛΑΡΑCIOC. ΤΡΑΛΛΙΑ-ΝΩΝ, unde tenemus, *Iovis Larasii* cultum apud Trallianos viguisse. Ergo, inquit, Trallianus etiam numus erit is Neronis, quem vulgavit Pellerinius [b]): ΚΑΙΣΑΡЄΩΝ. ΛΑΡΑΣΙΟΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam*, nimirum quia hic quoque Iovem Larasium sistit. Iam vero, ait, constat ex numis, Tralles honorificum *Caesareae* nomen adscivisse, cum tot exstent inscripti ΚΑΙΣΑΡЄΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. Factum igitur, ut Tralliani inde ab Augusto usque ad Domitianum *Caesarenses* se tantum appellarent, inde vero ab hoc, resuscitato vetere suo nomine, *Caesarenses Trallianos*. Atque ut sententiam suam auctoritate firmaret, addit, istud ipsum serius quoque visum Pellerinio, quod patet ex notis margini exemplaris, quo vivus usus est, adscriptis. II. Alterum argumentum capit ex autonomo, quem olim vulgavi [c]): ΚΑΙCΑΡЄΩΝ. *Victoria gradiens.* Ɪ ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Aquila stans*, et alio Lucii Caes. apud Pellerinium [d]): ΛЄΤΚΙΟΤ. ΚΑΙΣΑ-ΡΟΣ. *Victoria gradiens.* Ɪ ΚΑΙΣΑ-ΡЄΩΝ. *Aquila stans.* Hi numi, ait, propter eosdem typos certe sunt ejusdem urbis, ergo Trallium per numum priorem, ergo fuit tempus, quo Tralliani se tantum *Caesarenses* dixere, per numum alterum.

Habet haec viri eruditi sententia multum probabilitatis, etsi nollem, quod ta-

a) Lettere T. IV. p. 59. b) Mell. II. p. 32. c) Num. vet. p. 270. d) Suppl. II. p. 46.

Digitized by Google

men ipse vult, *plus quam certam* dici: at illud potest jure displicere, a cl. viro etiam numos alios solo ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ inscriptos nulla certa causa Trallibus tribui, perinde quasi non licuisset Caesareae Bithyniae officinam apud se monetariam constituere, et quod amplius est, quod in Trallianorum etiam moneta putet numos omnes inscriptos ΟΤΗΙΔΙΟΣ. ΠΟΛΛΙΩΝ, et ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ. ΠΑΡΡΑΣΙΟΤ addito ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ, quos hercle uni deberi Caesareae Bithyniae, in hac adfatim disputavimus, tum et numum Neronis: ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. *Equus gradiens*, in quo tamen legendum ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ. ΚΤΜΑΙΩΝ, olim demonstravi [a]). Hactenus igitur certos Trallianorum numos non puto, nisi qui ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ addunt, suntque sequentes:

ΠΥΘΙΟC. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Apollo stans d. ramum, s. lyram*, Domitiani. (Vaill.)

ΠΥΘΙΟC refertur ad Apollinem, cujus honores apud Trallianos fuisse eximios, praedicant numi frequentes cum mentione ludorum Pythiorum, tum et citati autonomi.

Mulier sedens volitante peplo puellum lactat, circumsistunt eam tres mulieres velut tripudiantes peplis sinuatis, et manu sursum elata bacillum tenentes, Antonini. (Haym.)

Haymius Corybantas putat, qui Iovem educavere, sed habitus feminas sine dubio facit. Verius ergo existimo propositas in hoc numo Nymphas, quibus nutriendi Bacchi cura mandata fuit, quod cum peractum fuerit, ut auctor est Apollodorus [b]), apud Nysam Asiae, quam tum eae Nymphae incoluere, haec autem Nysa admodum fuerit vicina Trallibus, et generatim omnis is tractus propter vini excellentiam Bacchum magnis sit honoribus prosecutus, ut et numi testantur, ipse vero Bacchus in Trallianorum moneta frequenter et vario cultu compareat, haud difficulter Bacchus hunc sibi numum vindicabit. Iovem a Corybantibus educatum vide in numis Laodiceae, et Apameae Phrygiae urbium.

Diana Lucifera vecta citato cursu in bigis boum gibbis protuberantibus, utraque manu facem tenet, L. Veri. (Pellerin Suppl. II. p. 73.)

Pellerinius perperam Cererem putat. In numis Apameae Bithyniae juxta mulierem duas faces tenentem legitur DIANA. LVCIF., et bigae taurorum Dianae, cum lunae munus fungitur, propriae sunt, ut bigae equorum Soli. De bobus gibbosis vide altius numos Magnesiae Lydiae.

* * *

Magistratus Γραμματευς, *scriba*, frequens inde a M. Aurelio.

Praetorem vidit Vaillantius in numo Gordiani musei Carpegna, verum cum hujus non meminerit Buonarrotius, in ejus lectione suspicor Vaillantii lapsum. Tamen praetor legitur in numo L. Veri: ΕΠΙ. CTPA. ΕΤΑΡΕCΤΟΥ. (Sestini Lett. T. IV. p. 122.)

* * *

Nomen ab imperatore: ΚΑΙCΑΡΕΩΝ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. in numo Domitiani, (Pellerin Rec. III. p. 236.) et passim in autonomis.

a) Numi vet. p. 202. b) L. III. c. 4. §. 3.

Digitized by Google

* * *

Neocoratus: NЄΩKOPΩN. in numis Caracallae tantum. (Vaill.)

NЄΩKOPΩN. TΩN. CЄBACTΩN. *Duo templa*, Caracallae. (Vaill.) Alium similiter inscriptum mox dabimus.

* * *

Ludi:

ΠΥΘΙΑ. Caracallae. (Vaill.)

OΛΥΜΠΙΑ. vel ΘΛΥΜΠΙΑ. ΠΥΘΙΑ. in autonomis. (Haym.)

OΛΥΜΠΙΑ. ΑΥΓΟΥCΥЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *inscriptum tribus coronis*, Caracallae. (Mus. Caes.) Similem dedit Pellerinus, sed esse Elagabali dixit; verum cum in his numis addatur NЄΩKOPΩN. TΩN. CЄBACTΩN., neocoratus vero in unius Caracallae numis hactenus observatus sit, conjicio, etiam hunc Pellerinianum Caracallae restituendum.

* * *

Epochae annum in numo unico Gordiani vidit Vaillantius, nempe: ZϘ. Ejus initium figit ad annum V. C. 898., quo, ut ex Capitolino refert, Antoninus urbem terrae motu collapsam restituit. Narrat is quidem, Antoninum plures Rhodi et Asiae urbes eo malo fatiscentes sublevasse, sed Tralles non nominat. Quare non modo praetensum hoc epochae exordium nullo certo fundamento nititur, verum etiam, cum unus Vaillantius, atque ex eo Harduinus hujus numi meminerint, de epigraphes lectione dubitare liceat. Est numus in museo Foucault, nunc regis Neapolitani.

Literae ΑΛΣ. scriptae in aversa autonomi supra citati videri etiam possint notare annum epochae; verum cum in Lydiae et Cariae urbibus certa hactenus epocha observata non sit, ad haec memoratae literae alium sensum facere possint, verisimilius est aliud indicari, quod hactenus ignoramus. Si autem revera epocham notarent, ab alio principio, quam quod ex numo praecedente stabilivit Vaillantius, ejus initium foret ducendum, nam annus 231. additus ad 898. caderet in aevum Constantini, sub quo numus hic certo signari non potuit cum propter alias causas obvias, tum quod ex fabrica aevum satis remotum sapit, ut jam observavit Pellerinius.

* * *

Concordia cum Pergamo, Epheso, Laodicea. Creditam cum Corinthiis concordiam in autonomis refutavi.

AE. R.

PHRYGIA.

Phrygiae, et absque urbis nomine, meminit numus Neronis, in cujus aversa: KOINON. ΦPYΓΙAC. *Aquila expansis* alis. (Morelli Impp.) At non dubito, eum signatum Apameae, in cujus numis eadem reperitur epigraphe et typus.

Digitized by Google

ABBASSVS.

Oppidum obscurum, cui Vaillantius Severi numum largitur, in quo legit: ABACCHNΩN, quae lectio suspecta videtur Pellerinio [a]). Eandem aversam sed scripto ABAϹHNΩN, video inter ectypa nobilis cujusdam musei, sed mihi ignoti.

Huc etiam Haymius debili conjectura vocavit numos inscriptos MTΣΩN. ABBAITΩN.

AϹMONIA.

In Phrygia magna sita.

Autonomi:

Caput Iovis. Ϫ. AKMONE. ΘEOΔOT. ΔEIOTAΣ. *Aesculapius stans.* AE. III. (Pellerin, Theupoli, Arigoni.)

Caput Iovis. Ϫ AKMONΩN. *Fulmen.* AE. II. (Pellerin.)

IϹPA. BOTΛH. — IϹPOϹ. ΔHMOϹ. AKMONϹΩN. typis *Iovis sedentis*, vel: *Herculis cum leone luctantis* vide apud Harduinum et Arigonium.

AE. RR.

Imperatorii

A Nerone usque ad Trebonianum. Memoratu digni sunt sequentes:

NϹPΩN. CϹBACTOϹ. AKMONϹIϹ. *Caput laur.* Ϫ CϹPOTHNIOT. KAΠITΩNOϹ. KAI. IOTΛIAϹ. CϹTHPAϹ. in area numi: ϹIVPTT. *Iuppiter sedens.* (Haym T. II. p. m. 240.) Alium fere similem proponunt Arigonius, Morellius, Neumannus.

Caput Agrippinae jun. Ϫ ϹΠI. CϹPOTINIOT. (lege CϹPOTHNIOT.) KAΠITΩNOϹ. KAI. IOTΛIAϹ. CϹOTHPAϹ. AKMONϹΩN. *Diana venatrix, pro pedibus cervus, et Nympha caput cervi gerens.* (Vaill. Patin Impp. p. 85.)

Observandus in hoc magistratus utriusque sexus, ut in numis Byzantiis, sed quis hic fuerit, decidere difficile. Multo vero difficilius adsequi, quid additum ϹIXAP TO Γ numi primi notet. Neumanno explendum videtur: ϹΠI. APX. TO. Γ. CϹPOTHNIOT. etc.

Magistratus in autonomis sine mentione dignitatis: ut et in laudatis imperante Nerone cusis.

Archon inde a Severo comparet.

Neocoratus in numo Octaciliae. (Vaill.)

AE. R.

AEZANIS.

In Phrygia Epicteto. Strabo aliique scripsere Aζανοι, Ptolemaeus Aιζανις, cui praeter scriptores alios favent numi omnes. Catalogum numorum hujus urbis locupletem dedit cl. Sestinus [b]).

Autonomi:

AIZANH. *Caput muliebre turritum.* Ϫ - - ϹTANΔPOT. AIZANϹITΩN. *Prora navis.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΘϹA. PΩMH. — ΘϹOϹ. CTNKΛHTOϹ. — IϹPA. CTNKΛHTOϹ. — IϹPOϹ. ΔHMOϹ. — IϹPA. BOTΛH. Typi: *variorum deorum effigies.* In Pelleriniano

a) Mel. II. p. 126. b) Lettere T. III. p. 45.

Digitized by Google

est *mulier tergemina capite serpentibus horrente protensis sex manibus faces, et serpentes tenens*, quam auctor Furiam putat [a]), at certius est Hecate, ut ad Apameam Phrygiae dicetur.

ΔΗΜΟϹ. ΑΙΖΑΝΕΙΤΩΝ. *Caput Genii.* Ɪ ЄΠΙ. ΙΟΤ. ϹЄΤΗΡЄΙΝΟΤ. ΑΡΧ. Γ. ΝЄΩΚΟΡ. *Sol in quadrigis.* AE. I. (Wiese Mus. Bodl. p. 7.)

Eruditus hujus numi index in adjectis notis [b]) aversae epigraphen sic explet: ЄΠΙ. ΙΟΤλιᾳ ϹЄΤΗΡЄΙΝΟΤ. ΑΡΧιερεως τρις ΝЄΩΚΟΡων., in quo bina habeo, quae solicitem, primum quod Aezanitas statuat neocoros, et quidem ornatos neocoratu III., qui nonnisi primi ordinis urbibus obtigit. Quod si neocori fuissent Aezanitae, mirum sane foret, hunc honorem in tot aliis eorum numis omissum. Ad haec si το ΝЄΩΚΟΡ. ad Aezanitas pertineret, continuo legeretur cum ΑΙΖΑΝЄΙΤΩΝ conjunctum, et non inde avulsum, et in alteram numi faciem trajectum nullo facile alio exemplo. Ergo το ΝЄΩΚΟΡ. ad Iulium Severinum pertinet, qui praeterea neocorus fuit exemplo tot aliorum magistratuum, qui se etiam neocoros in numis sunt professi, quos dabimus in tractatu de populis et urbibus neocoris. Alterum quod solicitem, est, cur continuo ex ΑΡΧ. faciat ΑΡΧιερεα, cum potius legendum videatur ΑΡΧοντος Γ. Archontes frequentes habemus in numis urbium Phrygiae, qui plerumque tribus his literis indicantur, at Αρχιερεις plerumque literis ΑΡΧΙ. ad evitandum scilicet ambiguum. Ad haec archontes adjectas saepe habent literas Β. Γ. etc. quibus notatur, eos *iterum* vel *tertium* hunc magistratum occupasse, at *Ιερεις* vel *ἀρχιερεις* sacerdotium suum raro numerare sunt soliti.

Reliquos autonomos habes apud Pellerinium, Hunterum, in museo Caesareo,

AE. RR.

Imperatorii.

Augusti duos dedit Pellerinius, quorum unus mendose inscribitur ЄΖЄΑΝΙΤΩΝ. Vxor Liviae (ΛΙΒΙΑ) Arigonius, plurimi signati sunt sub Caligula et Claudio, et in Caligulae gratiam etiam parentum Germanici, et Agrippinae sen. capita numis inserta. (Mus. Caes. Theupoli.) Postremum Gallieni vulgavit Arigonius.

Typi obvii, plerumque Iuppiter.

Magistratus saepe indicantur, sed sine dignitatis mentione, ut: ЄΠΙ. ΠΡΑϹΙΜΟΤ. Magistratus ЄΤΑΝΔΡΟΤ. in autonomo laudatus Arcadiam sapit. At constat etiam ex Pausania [c]), fuisse Aezanitas colonas ex Azania Arcadiae profectos. Est tamen *archon* et *neocorus* in citato autonomo.

AE. C.

ALIA.

Phrygiae magnae, memorata in Notitiis.

Autonomi:

ΑΝΤΗϹΑΜЄΝΟΤ. ΦΡΟΤΓΙ. *Ca-*

a) Suppl. II. p. 92. b) pag. 133. c) L. VIII. c. 4.

Digitized by Google

put Mensis. Ϫ ΔΗΜΟC. ΑΛΙΗΝΩΝ. *Vir stans d. spicas, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

Epigraphen anticae revocabo infra in numis Ancyrae Phrygiae.

ΙЄΡΑ. CΤΝΚΛΗΤΟC. Ϫ--- ΑΛΙΗ-ΝΩΝ. *Vir paludatus stans d. globum, s. hastam.* (Arigoni.)

* * *

Khellius huc vocavit autonomum a), sed quem esse Salae Phrygiae, in hac probabitur.

AE. RRRR.

Imperatorii.

Gordiani tantum exstant, inscripti ΑΛΙΗΝΩΝ, quorum tres variis typis offert Vaillantius. Ejusdem unum addidit Pellerinius.

In simili Harduinus legit ΑΛΗΙ-ΝΩΝ, et perperam *Alis* Ciliciae tribuit.

Magistratus tantum in autonomo.

AE. RRR.

AMORIVM.

Phrygiae magnae.

Autonomi:

ΘЄΑ. ΡΩΜΗ., vel ΙЄΡΑ. CΤΝ-ΚΛΗΤΟC. Gentis nomen ΑΜΟΡΙΑ-ΝΩΝ. typis obviis. Numi sunt in museo Caes, Pellerin, Pembrock.

AE. RRR.

Imperatorii

A Vespasiano ad Getam usque, nulla re memorabiles. (Vaill. Haym, Pellerin.)

AE. RRR.

ANCYRA.

In septentrionem posita. Facile distinguuntur hujus urbis numi ab alteris homonymae et nobilioris Galaticae, quae metropoleos honores nunquam omittit. Galatica etiam autonomis caret.

Autonomi:

ΘЄΑ. ΡΩΜΗ. — ΙЄΡΑ. CΤΝΚΛΗ-ΤΟC. — ΘЄΟΝ. CΤΝΚΛΗΤΟΝ. Epigraphe: ΑΝΚΤΡΑΝΩΝ. *Diana Ephesia*, vel *Bacchus.* (Pellerin.) ЄΠΙ. ΜΗ-ΤЄΟΤ. *Iuppiter stans.* Mira epigraphe aversae in numo Hunteriano: ΒΑΣΣΕΜ. ΑΡΤΗΓΛΑC. ΑΝΚΤΡΑΝΩΝ., si modo ea rite lecta.

AE. RRR.

Imperatorii.

A Poppaea usque ad Otaciliam.

Typi: *Vir nudus d. ancoram, s. hastam*, in numo Poppaeae. (Vaill.) Antonini, L. Veri. (Pellerin.)

Adludit typus ad historiam aliquam domesticam de ancora, a qua urbi nomen inditum, ut dicetur ad Ancyram Galatiae, quae similem typum habet. In

a) Adpendic. II. p. 32.

Digitized by Google

numo Antinoi dicitur *Lunus stans d. ancoram, s. hastam.* (Vaill.)

Reliqui typi: *Diana Ephesia* frequenter, *duo hirci coniscantes media urna*, in numo Maximi. (Vaill.)

Magistratus sine mentione dignitatis:

ΙΟΥΛ. CATOPNINOC. ΑΝΚΤΡΑΝΟΙC. Antinoi. (Vaill.)

ΕΠΙ. ΜΗΝΟΔΩΡΟΥ. ΝΕ*ωκορε*, Veri. (Pellerin.)

Archon in numis Antonini, Aurelii, Otaciliae. (Vaill. Pellerin.)

Αιτησαμενος. Mirum hunc magistratum, aut quiscunque est, sic describit Vaillantius in numis Poppaeae:

ΤΙ. ΒΑΣΣΙΛΑΟΥ. ΕΦ. ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΥ. ΟΥΟΛΑΣΕΝΝΑ. ΑΝΘΥΠΑΤΩ. ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΑΝΚΤΡΑΝΩΝ., quod reddit: *Tito Bassilao Ephoro postulante, Volosennae proconsuli Iuliensium Ancyranorum concordiae.* Cum Vaillantio sentit et Harduinus [a]). Mirum, utrumque virum eruditum nihil notare ad insolitum in numis vocabulum ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΥ. Nolo ipse his explicandis inhaerere, cum forte alia sit lectio epigraphes, quam quae praetenditur, Vaillantio non raro iniquae lectionis comperto. Mirum etiam, numum hunc praeteriri a Morellio, qui tamen ex museo regio citatur. Istud solum observo, adfine vocabulum reperiri in autonomo Aliae Phrygiae ΑΝΤΗCΑΜΕΝΟΥ. ΦΡΟΥΓΙ., literis ΑΝΤ. colligatis, quo se valentiora ingenia exerceant. Marmor Sponii memorat M. Vlpianum ΠΡΕΣΒΕΥΣΑΝΤΑ. ΚΑΙ. ΑΙΤΗΣΑΜΕΝΟΝ. ΤΟ. ΤΕΜΕΝΟΣ. etc. [b]) secundum quod utrum possit explicari praesentis numi epigraphe, ignoro.

Proconsul Volasenna, ut is in hoc numo scribitur, forte est aliquis ex Volusenis hac aetate Romae illustribus, sed in quod taedet longius inquirere, quia adhuc incerta videtur hujus numi lectio.

Concordia.

Cum *Iulia* Phrygiae, secundum aliquos ex numo mox descripto: ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΑΝΚΤΡΑΝΩΝ. *Vir nudus tenens ancoram.* Verum cum typus sit simplex, atque uni Ancyrae proprius, verisimilius videtur, eam honoris causa Iuliae praenomen adfectasse, praecipue cum videamus, aliam Phrygiae urbem vetere suo abjecto adoptasse nomen Iuliae. Similiter et legimus in Gordo Lydiae ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΓΟΡΔΗΝΩΝ.

Cum *Nysa* Cariae.

ΑΝΚΤΡΑΝΩΝ. ΝΤCΑΕΩΝ. *Mensis stans*, Hadriani. (Vaill.)

ΚΑΜ. ΑΝΚΤΡΑΝΩΝ. ΝΤCΑΕΩΝ. *Mensis stans*, Antonini. Numum vidi ipse in museo Christinae.

Typus tantum est simplex, sed et constat ex numis, Mensis cultum in utraque urbe fuisse praecipuum, tum vero etiam in universa Phrygia et Galatia, quae Phrygiae pars fuit, quae exempla adfatim videbimus; unde et Damis apud Lucianum ait, Phrygas sacrificare lunae [c]). De Mense ΚΑΜ*αζιτε* vide numos Nysae.

AE. RR.

---

a) In Iulia Phryg. urbe. b) Miscell. p. 360. c) Iupp. trag.

Digitized by Google

APAMEA.

Vrbs nobilis, secundum Plinium dicta primum *Celaenae*, dein *Cibotos*, postremo *Apamea* ab Apame Antiochi Soteris matre, ut refert Strabo. Sita fuit ad Maeandrum et Marsyam fluvios, quae omnia aut confirmata, aut disputata vide apud Cellarium.

Autonomi:

Caput muliebre turritum. ℞ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΑΤΤΑΛΟΣ. ΒΙΑΝΟΡΟΤ. *aut variante magistratu. Marsyas caudatus volitante retro palliolo, cetera nudus, et insistens flexibus Maeandri binas tibias inflat.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

De Marsya vide propiora in imperatoriis. Eundem typum habemus etiam in numo Asiae Lydiae.

Caput Palladis. ℞ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΚΩΚΟΤ. *vel nominibus aliis. Flexus Maeandri, supra quos volitans aquila, hinc et inde pilei Dioscurorum.* AE. III.

Numi hi sunt obvii.

ΑΠΑΜΕΩΝ. *Caput nudum, fors Lucii Caesaris.* ℞ ΑΤΤΑΛΟΣ. ΔΙΟΤΡΕΦΟΤ. *Flexus Maeandri, super quibus duae spicae.* AE. fere II. (Pellerin.)

Caput Iovis. ℞ ΑΠΑΜΕ. *Iuno Pronuba addito magistratu.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Similem edidit Tristanus [a]; quem Hardouinus Apameae et Heracleae Seleucidis urbibus tribuit, quia inscribitur: ΑΠΑΜΕ. ΗΡΑΚΛΕ. Sed posterius vocabulum magistratum notat, et numus est hujus urbis.

ΑΠΑΜΕΙΑ. *Caput muliebre turritum.* ℞ ϹΩΤΕΙΡΑ. *Hecate tergemina expansis quinque manibus attributa varia tenens.* AE. III. (Mus. M. Ducis, Arigoni.)

Similis typus est apud Seguinum in numo Antiochiae Cariae [b], et apud Pellerinium in autonomo Aezanis [c], qui eo indicari Furiam credidit, at verius esse Hecaten spectatis omnibus causis, docui in meis Numis veteribus, quo loco praesentem numum edidi [d].

ΙΕΡΑ. ΒΟΤΛΗ. *Caput muliebre velatum.* (Pellerin.)

Exstant praeterea hujus urbis praestantes Cistophori, quos dabimus in tractatu de numis Cistophoris.

AR. Cistophori RR. AE. C.

Imperatorii.

Procedunt ab Augusto, qui sunt apud Pellerinium, usque ad Decium.

Epigraphe: ΑΠΑ. in numo Claudii. (Pellerin.) ΑΠΑΜΕΙΑΣ. ΑΠΑΜΕΙΣ. (Vaill.) sed priorem lectionem impugnat Pellerinius [e]. In reliquis ΑΠΑΜΕΩΝ.

Spectatis *typis* maxime memorabiles sunt sequentes, de quibus omnino seorsim agendum.

De numis Apamenis diluvii testibus.

Trium habemus imperatorum numos Apameae cusos, et eodem omnes argumento, illustri eo certe, sed quod antiquariorum judicia mirum exercuit, quae antequam expendimus, necesse cumprimis, numos ipsos adcurate describere.

SEVERI.

ΕΠΙ. ΑΓΩΝΟΘΕΤΟΤ. ΑΡΤΕΜΑ. Γ. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Arca undis innatans,*

a) Tom. II. p. 337. b) Sel. num. p. 179. c) Suppl. II. p. 92. d) pag. 243. e) Mel. II. p. 36.

Digitized by Google

in qua vir et mulier medio corpore exstantes. Extra eam vultu averso procedunt mulier stolata, et vir quasi sago indutus, dexteram ambo attollentes. Arcae operculo superne insistit avicula, inde altera in aere librata oleae ramum unguibus stringit, arcae fronti inscriptum N -- *in alio magis integro* NΩ— AE. m. m.

Numus hic exstat in museo regio Galliarum, unde captum ectypon Seguinus Gottifredo Romam misit, subinde a Falconerio suae de numo Apamensi dissertationi insertum. Verum non satis illud fuisse fidele, ex eo patet, quod arcae inscriptum praetenditur NHTΩN, quo factum, ut Falconerius, jungendo dictum NHTΩN cum praecedente ΑΡΤΕΜΑΓ conficeret epigraphen: ΕΠΙ. ΑΓΩ-ΝΟΘΕΤΟΥ. ΑΡΤΕ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Sub agonotheta. Magnetum Apamensium.* Numus idem ex eodem museo bis fuit restitutus, primum in numis max. mod. regis Galliarum, iterum a Vaillantio in numis Graecis imperatorum, utrobique pro NHTΩN arcae inscriptum praetenditur NΕΟΚ. Hujus causa consultus Barthelemyus respondit in epistola, quam infra citabo, in eo numo neque NHTΩN, neque NΕΟΚ. legi, sed apparere solum N exesis sequentibus. Denique similem alium vulgavit Ridolphinus Venuti ex museo Cardinalis Albani, atque is in suo inscriptum vidit ΝΩ — exesa litera tertia.

MACRINI.

ΑΠΑΜΕΩΝ. *Typus idem, arcae inscriptum:* NΩ— AE m. m.

Fuit insignis hic numus olim Vindobonae in museo collegii academici Soc. Iesu, unde translatus est in museum Caesareum. Eum in lucem dedit Frölichius in opusculo, cui titulus: *Appendiculae II. novae*, cujus in praeconio nihil habeo, quod reprehendam, nisi quod leviter suspicabatur, inscriptum forte circa numi oram alterius populi nomen, v. g. ΠΕΡΓΑΜΗ., et si statuatur, arcae inscriptum fuisse NΩN, legendo junctim ΠΕΡΓΑΜΗ—NΩN, numus daret concordiam Apamenses inter, et Pergamenos. At enim inanis est haec suspicio: manifestum est enim ex numo ipso, quem ob oculos habeo, nihil unquam circa numi marginem fuisse scriptum.

PHILIPPI SENIORIS.

ΕΠ. Μ. ΑΤΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Β. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Typus idem, arcae inscriptum:* NΩ— AE. m. m.

Servatur illustre hoc cimelium in museo Magni ducis, fuitque Falconerio causa edendae insignis dissertationis, de qua agam infra. Is arcae inscriptum NΩΕ non obscure apparere profitetur, numumque esse fidei integerrimae. At Gorius, qui eundem in museo Florentino restituit, suspectum censet, et inique intrusum pro genuino illo, quem Falconerius olim in Mediceo vidit. Non idem mihi judicium est, qui numum ipse adcurate inspexi, nullamque in eo pravitatis notam reperi, quanquam ex praetensis literis NΩΕ tertia item fugiat perinde, atque in numis Severi et Macrini mox descriptis. Mediceo huic numo binos similes alios sociat Falconerius, quorum unum citat ex museo Cardinalis Ottoboni, sed in cujus arca sola prior litera N apparet, alterum ex museo Car-

Digitized by Google

dinalis Chisii, sed in quo literae arcae omnes erosae sunt. Solum etiam N labem evasit in numo simili, qui fuit olim in museo d'Ennery Galli [a]).

Praeter hos probae fidei numos video memorari alios ejusdem utrinque argumenti; sed quos eruditi aut spurios, aut certe suspectos adserunt. Horum unus est in museo regis Galliarum, quem Barthelemyus in epistola, quam infra laudabo, ait Mediceo simillimum, nisi quod in eo literae arcae omnes evanuerunt. Addit praeterea, quo adcuratius numum hunc contemplatur, tanto certius sibi videri spurium. Similis exstat depictus in museo Pembrock [b]) expresso super arca diserte NΩϵ, sed quem eruditus Milles infra laudandus cum tribus fratribus, qui sunt in variis museis Britannicis, Crottiano, Duaniano, Hunteriano, ex eadem matrice fusum suspicatur.

EIVSDEM.

ϵΠ. M. ATP. ΑΛϵΞΑΝΔΡΟΥ. ΒϵΛ. ΑΠΑΜϵΩΝ. *Idem typus, in arca:* NϵΩΚ. AE. m. m.

Hunc numum Vaillantius in numis Graecis ex museo Alexandri VIII. citat. Differt a priore, quod in hoc legatur B., at in praesente BϵΛ., de quo agam infra. Vocabulum NϵΩΚ. in numo vitiato Vaillantius haud dubie suppleverit, ut in alio Severi factum diximus.

* * *

Proposito horum numorum catalogo jam etiam de vero eorum statu confidentius possumus arbitrari. Iam enim primum intelligimus, inscitum illud NHTΩN, et quod sequitur, MAΓNHTΩN, perperam intrusum. Idem deinde sentiendum de vocabulo NϵΩΚοϱων. Etenim in numis binis, quos vidi ipse et exploravi sedulo, Caesareo, et Mediceo, priores duae literae certum NΩ faciunt, quibus adde numum musei Albani, unde adeo praetensum NϵΩκοϱων confici nequit. Quapropter et aspernandum Spanhemii judicium, qui in numo Mediceo lapsum monetarii, et metathesin NΩϵ pro NϵΩ agnovit [c]). Neque enim verisimile, diversos diversae aetatis monetarios in iniqua ejusdem vocabuli scalptura fuisse concordes. Ad haec in nullo alio hujus Apameae numo notatum hactenus neocoratum reperimus. Mirum adeo, si hoc illa honore decorata fuit, eum jactatum in hujus tantum argumenti numis, dissimulatum in omnibus aliis. Tenendum ergo, hanc, de qua agitur, arcae epigraphen a NΩ incipere, quaecunque deinde litera tertia duas illas consequatur, quam aliquando revelabit tempus. Fuere, quibus mirum visum, quo fato evenerit, ut eadem ejusdem literae jactura mulcaret id genus numos omnes, qui ad nos pervenere. At nequaquam istud mirum iis, quibus videre similes contigit. Etenim cum arcae latus eo loco maxime emineat, cui litera tertia insedit, et quod sequitur, frictui omnium maxime fuerit obnoxia, necesse est, si quod vitium numo per aevum accessit, primam fuisse hanc literam ejus injuriis objectam.

Ad singularem hujus typi explicationem quod attinet, tres reperio eruditos

a) Catal. p. 429. b) Part III. tab. 78. c) Epist. V. ad Morell.

Digitized by Google

antiquarios eo enucleando impensius occupatos. Eorum primus Octavius Falconerius de eo libellum eruditum sane et copiosum conscripsit, cui titulus: *Dissertatio de numo Apamensi Deucalionei diluvii typum exhibente*, quam subinde alteris curis restituit Petrus Seguinus, et suis *Selectis numismatibus antiquis* addidit, tum et Gronovius inseruit Tomo X. Antiq. Graec. Ejus operis summa capita haec sunt: ex omnibus causis patere, expressam in his numis memoriam Deucalionei cataclysmi; videre enim est Deucalionem et Pyrrham intra arcam conclusos, tum ex ea egressos elata dextera lapides retrorsum jacere; quin et aves in hoc actu suas habuisse partes, et a Deucalione ad explorandum diluvii statum ex arca emissas teste Plutarcho [a]), aliisque. Adscriptum ΝΩΕ ut explicet, advocatis copiosis exemplis comprobat, Graecos multa ex Iudaicis antiquitatibus ad sua sacra transtulisse, ac propterea nequaquam mirum, omnes causas diluvii Noemitici in Deucalioneo quoque reperiri. Quapropter arguit, ad Deucalionis et Pyrrhae cataclysmum in his numis adlusum, aut certe, confusa inanibus figmentis antiqua veritatis narratione, Noemi diluvium ad Deucalioneae fabulae speciem ab Apamensibus expressum. Sub operis finem inquirit, ad quam Apameam hi numi pertineant, et ad eam quae in Syria sita est, magis inclinat. At nobis jam certum, eos omnes Apameae Phrygiae tribuendos.

Alter Harduinus in numis urbium illustratis arcam adserit esse Apameae Phrygiae symbolum, quae Κιβωτος, *Arca*, veteribus dicta est, eamque innatare aquis, quod urbem cingerent Maeander et Marsyas fluvii; virum et mulierem arcae inclusos esse cives Apamenses, qui extra procederent, Augustum et Augustam; advolantem columbam cum oleae ramo indicare pacem victis a Severo Parthis restitutam; corvum arcae insidentem per nigredinem nativam adludere ad alterum Apameae cognomen Κελαιναι, quod *nigredinem* denotat. Ex quo apparet, Harduinum nullam in his agnoscere qualiscunque diluvii imaginem.

Tertius Frölichius non magnopere a Falconerio dissentit. Ait, typo hoc adumbrari diluvium Noe Deucalionis fabula involutum, arca arcam Noe, avibus corvum et columbam cum oleae ramo designari; intra arcam exhiberi Noemum cum uxore, qui Graecis Deucalion et Pyrrha sunt dicti; extra arcam eosdem repraesentari saxa post tergum jactantes, et ideo Augustorum habitu effictos, ut adluderent ingeniose ad generis humani per eos reparationem. Non abnuit tamen, forte idcirco etiam hunc arcae typum delegisse Apamenses, ut illustri hoc eventu simul ad alterum urbis suae nomen Κιβωτος, *Arca*, et urbis situm inter aquas adluderent [b]).

Hactenus eruditi ex variis his sententiis elegisse sibi visi sunt, quae cuivis maxime adrideret, donec ante annos non multos eruditus Bryantius opus suum vulgaret, quod *Analysis of ancient Mythologie* inscripsit, in quo is veterem Falconerii sententiam de adumbrato in

a) De solert. anim. b) Appendic. II. novac.

Digitized by Google

his numis Noemi diluvio resuscitavit a). Ergo acrioribus iterum studiis in praesentium naturam numorum ab eruditis Anglis inquiri coeptum, et vulgatae hac in causa dissertationes tres, quae collectae exstant in opere: *Archaeologia published by the Society of Antiquaries of London*, et se volumine IV. inde a pagina 315. consequuntur. Primus in aciem progressus Barringtonus totum horum numorum argumentum secundum Deucalionis et Pyrrhae fabulam conatus est explicare; at cum obstare sibi videretur vocabulum NΩϹ, quod non dubitabat sic exstare in his numis, adfirmare non est veritus, positum NΩϵ pro NΩΙ, qui est notus dualis ductus ab ἐγω, huncque explicare secundum versum Ovidii: *Nos duo* (Deucalion et Pyrrha) *turba sumus*. Reliquam disputationem, qua is comprobare intendit, Noemi diluvium non fuisse universale, cum aliena sit a meo instituto, intactam relinquo. Proxima dissertatio Reverendi Milles numos ipsos persequitur. Existimat enim, numos tantum eos genuinos putandos, qui inscriptum arcae NϵΩΚ. offerunt, quod deinde a falsariis in NΩϵ fuit immutatum. At hoc perperam a viro erudito statui, patet ex iis, quae supra disputavimus. Vt Noemum ab his numis arcet, sic neque Deucalionis diluvium hoc typo indicari putat, sed eum rectius ad privatum aliquem Apamensium cultum referendum, sed quem ignoramus. Tertio loco succedit responsum Abbatis Barthelemyi ab eruditis Anglis consulti, quid ipse de hac arcae epigraphe constituendum putaret. Ex his literis varia huc pertinentia jam supra suis locis indicavi, ceterum verisimile videtur viro erudito, literas priores esse NΩ, quiscunque deinde earum sit explicatus, a quo is tutius sibi abstinendum putat.

His, ut oportuerat, indicatis restat, ut meam, qualiscunque ea eruditis videbitur, sententiam aperiam. Verisimile mihi plane videtur, unum Noemi diluvium hoc typo adumbratum. Iam primum arca aquae innatans, conclusi hac vir mulierque, columba oleae ramum adportans, et altera adsidens avis sic conveniunt Deucalioni, ut secundum causas omnino omnes conveniant aeque narrationi, qua Noe diluvium in sacris literis describitur. Deinde quod gravissimum aliis pro Deucalione et Pyrrha argumentum est, nimirum uterque hic arca egressus, et saxa post tergum jaciens, tanti sane non mihi videatur. Neque enim plane certum indicium, istud illos revera agere, possunt adferre, non compressam manus volam, quo indicaretur arreptus ad jactum lapis, quo modo Cadmus cum conspicuo intra manum lapide fingitur in numis Tyriorum b), non lapides alios aerem secantes, alios jacentes humi. At, ajunt, manum utriusque videmus arrectam; an vero etiam eo gestu nisuque, qui aliquid post tergum jactantibus prorsus convenit? Innumera habemus in veterum monumentis exempla figurarum similem gestum praeferentium, quem artifices tribuerunt aut confabulantibus, aut admirantibus, aut pacificatoribus, aut aliud quidvis agentibus, quam jactantibus lapidem consuevere. Quod vero tandem fasti-

a) Vol. II. p. 229. b) Vaill. in Colon. sub Gordiano et Gallieno.

Digitized by Google

dium, nolle in utraque figura agnoscere Noe et uxorem recens arca egressos, et elata dextera praeferre admirationem, et sese miraculo conservatos cum grati animi testimonio agnoscere? Eodem modo Athenienses diis vota nuncupantes jussi sunt ex lege dexteras et sinistras ad coelum tollere a). Sic etiam, ut est apud Orpheum b):

Ηρωες Μινυαι μεγ' ἐγηθεον, ἀν δ' ἀρα χειρας
Αθανατους ἠειραν, ὁι ἀφενον ἑυρυν ἐχυσιν,
Heroes Minyae valde gavisi sunt, manusque ad superos
Sustulerunt, qui latum coelum tenent,

posteaquam insperato aureo vellere potiti sunt. Verum quod me maxime ad agnoscendam Noemi diluvium impulit, est inscriptum arcae NΩ— Nemo erit vel peritissimus artis nostrae, qui non mecum sentiet, ex cognitis hactenus exemplis literas has ἀρχαικας illustrari nullo modo posse. Audacem sane Barringtoni conjecturam, ΝΩϵ pro ΝΩΙ, *nos*, scriptum arbitrantis, ut demus, posse aliquo linguae Graecae exemplo confirmari, aut nemo, aut nonnisi aliquis Harduini filius approbaverit. Quocirca, cum causae omnes, ut probavimus, Noe diluvium plane exprimant, quid oberat, inscribere etiam nomen ejus, qui mirabilem hanc arcam fabricaverat, praecipue cum istud evitandi ambigui causa factum videri possit? Enimvero quemadmodum in numis Magnesiae Joniae typo navis adscriptum legimus ΑΡΓΩ, ut quae sit haec navis, citra dubium intelligeretur, praecipue cum Argo non ab his Joniae Magnetibus, sed Thessaliae fabricatam constaret, sic et studiose apparet ab Apamensibus arcae suae inscriptum ΝΩϵ, ne quod pronum fuerat, pro Deucalionea haberetur, cum Noemitigam ex quacunque causa intelligi plane vellent.

At quae causa, cur Apamenses Phrygiae neque recutiti, neque tum adhuc Christiani peregrinum, et a sacris suis alienum typum arcesserent? Ajo, neminem fore tantum sibi tribuentem, ut quae privatim civitatibus fuere placita creditaque, speret se causas et originem posse quocunque studio reperire, aut tam morosum, ut factum quodpiam certum, et monumentorum auctoritate confirmatum credere nolit propterea, quia causas ignorat. Credamus, Noemi diluvium Apamensibus dignum fuisse visum numorum argumentum, quia istud numi ipsi palam profitentur, et patienter, ut saepe alias, feramus, ejus nobis facti veram causam ignotam. Est tamen aliquid, quod spissam possit caliginem depellere, testimonium intelligo ex libris Sibyllinis petitum, jam quidem advocatum a Falconerio, sed quo ille non, ut potuit, usus est, quia Deucalioni quoque suas in hoc actu partes dedit. En tibi illud: (L. I.)

Εςι δε τις Φρυγιης ἐπι ἠπειροιο Κελαινης *)
Ηλιβατον ναυμηκες ὀρος, Αραρατ δε καλειται, - -
Μαρσυη ἐνθα φλεβες μεγαλαι ποταμοιο πεφυκαν.

a) Demosth. adv. Macartatum p. m. 1038. et adv. Midiam p. 611. b) Argon. V. 1018.

*) Malumus legere Κελαινης cum Bocharto, (Geogr. sacr. L. I. c. 3.) pro μελαινης, quod legitur in his MSS. Sibyllinis.

Digitized by Google

Τυ δε κιβωτος ἐμεινεν ἐν ὑψηλοιο κορυφῃ
Ληξαντων ὑδατων.

Est vero in Phrygiae Celaenes continente
Inaccessus longe porrectus mons, Ararat vero vocatur, - -
Inde nascuntur fontes magni fluvii Marsyae.
In hujus sublimi vertice arca quievit
Recedentibus aquis.

Ex hoc testimonio, quae ad rem meam faciunt, capienda sequentia: I. Attingitur his versibus diluvium, ut suapte patet, II. non vero illud Deucalionis, nam in hoc arca quievisse ferebatur super monte Parnasso, sed Noemi; hujus enim decrescentibus aquis ex veterum scriptorum mente requievit arca in monte Ararat. III. Locus, ubi istud contigisse dicitur, evidentibus characteribus designatur, nempe haec nostra Apamea, primum mentione Phrygiae Κελαινης, nam huic Apameae olim fuisse nomen *Celaenae*, supra diximus, deinde mentione Marsyae fluminis, cui Apamea adsita, denique et advocato opportune vocabulo κιβωτος, quod item vetus fuisse urbi nomen monuimus. Cum ergo vetus fama obtinuerit, arcam diluvio elapsam apud hanc Apameam substitisse, atque hoc diluvium sit Noemi, sequitur etiam, Apamensis hujus numi typo intelligendum cataclysmum Noemiticum, qui privatim ad se pertinuit, non Deucalioneum, cujus in moneta memorandi causam propinquam non habuere. Nolo, mihi quis infirmam Sibyllinorum fidem objiciat, quam scio, quam sit exigua, neque enim certiorem causa praesens postulat. Satis constat, horum auctores quamcunque famam fuisse secutos, parum solicitos, quantam haec fidem promereatur. Ergo et auctor, qui fabulam, in qua sumus, prodidit, non eam ipse finxit, sed ab aliis traditam in carmen suum recepit. Creditum igitur fuit nonnullis, montem, qui Apameae imminebat, fuisse ipsum illum Ararat, in quo sedit arca, atque istud tanto pronius creditum, quia revera vetustum urbi nomen fuit Κιβωτος, *Arca*, ab eventu, ut rumor tulerit, inditum. Iam vero res in vulgus nota, Graeculis quamlibet auram, quoslibet susurros, quibus accedere sibi nomen speraverant, gravissimi testimonii instar fuisse, de quo eorum ingenio graphice Plinius [a]): *mirum est, quo procedat Graeca credulitas; nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat.* Vnde tot eorum lites de Iove aut Baccho apud se natis educatisve, de loco, in quem Palladium capta Troja migravit, de Homeri natalibus, et sexcentae aliae, singulis urbibus privatam suam famam jactantibus, vere, an falso, nostra parum intersit. In re enim antiquaria, explicandisque monumentis non magis quaeritur, quid verum, aut communiter receptum, quam quid privatim qualicunque auctoritate creditum. Quapropter si Apamenses fidem habuere rumori de arca apud se adpulsa, ejusque argumentum intulere numis, easdem egere nugas, quas tot alii, claritatem sibi ab insigni aliquo veteris aevi eventu quaerentes, atque ut litem cum Graeciae propriae incolis amolirentur, qui Deucalio-

a) L. VIII. c. 88.

Digitized by Google

nem apud se evasisse dejerabant, placuit sibi applicare historiam Noemi, etsi peregrina auctoritate nixam.

Sed enim incredibile visum nonnullis, atque hos inter erudito Milles, a Graecis Noemi casum in numorum argumentum lectum, tanquam sic religionis Iudaicae dictata adprobarent, et amplecterentur, multo vero minus ausuros istud fuisse imperante Severo, quem Christianis impense fuisse inimicum constat. Quasi vero, lubet his respondere, religionis causa agatur, si fidem impertiar facto cuidam historico, quod alienae sectae scriptor prodidit. Non poterant Apamenses convinci impietatis, si credidere Mosi adserenti, fuisse in eo tractu ingentem aquarum eluviem, atque ex communi clade servatum Noe cum uxore et liberis, praecipue cum nemo sanus, et quantumcunque Iudaeis inimicus inficiari posset antiquitatem testimoniorum Mosaicorum. Sed cum factis habuere fidem, non propterea consensere cum eorum causis, quae cum religione propius connectuntur. Sic credimus Christiani Zosimo adserenti, Romanum imperium semper in pejus ruisse, at negamus homini fidem, ejus mali causam ab iratis propter neglectos ludos saeculares diis repetenti. Quod si propterea adversus religionem peccasse videbuntur Apamenses, multo magis suspecti Spartani, qui sese ex Abrami domo oriundos publicis literis sunt professi [a]), aut in patria sacra impius Alexander M., qui Danielis vaticiniis fidem habuit [b]). Denique et huc praeclare potest applicari, quod jam multo ante conquestus est auctor libri I. Macchab. [c]). *Expanderunt libros legis, de quibus scrutarentur gentes similitudinem simulacrorum suorum.* Alioqui ex libris Mosaicis multa cepisse non modo Platonem, qui propterea Μωσης ἀττικιζων dictus est, sed et ipsum Pythagoram, graves habemus ex veteribus testes, ut videre apud Meursium [d]).

Haec liberalius disputasse nequaquam indignum visum, quod horum argumentum numorum ex praecipuis unum est, cui explicando crisis numismatica utiliter immoretur.

* * *

ΜΑΡCΤΑC. ΑΠΑΜΕΩΝ. *Marsyas nudus stans fluitante a tergo palliolo duas tibias animat*, in numo Hadriani.

Ita hunc typum, cujus similem jam supra in autonomis dedimus, ex integro suo proponit Pellerinius [e]). Vaillantius in simili Marsyam pro Apolline, tibias pro baculo, amiculum pro pelle Marsyae, quae ex dicto baculo penderet, habuit. Idem Marsyas etiam fingitur in numo Getae, quem ex museo Mediceo edidi [f]), *nudus insidens scopulo, d. tenens cornucopiae, s. binas tibias.* Perstringendus hic iterum Vaillantius, qui ejus numi typum sic proponit: *Figura virilis nuda scopulis insidens d. cornucopiae, s. rostrum.* Satyri Marsyae memoria, a quo amnis praeterfluens nomen traxit, multum apud Apamenses valuit, de quo ad citatum Getae numum pluribus egi. Etiam Marsyae fluvii icon

a) Ios. Ant. Iud. L. XII. c. 4. §. 10. b) Ibid. L. XI. c. 8. §. 5. c) Cap. 3. v. 48. d) ad Hesych. de viris claris sub Νουμηνιος. e) Suppl. II. p. 44. f) Num. vet. p. 245.

Digitized by Google

fingitur in numis, de quibus agetur infra in mentione situs.

* * *

Mulier dextera alte sublata, s. infantem gestans inter tres Corybantes gladiis et scutis armatos, in numo Decii. (Seguin p. 188.)

Vide, quae ad typum similem infantis seu Iovis, seu Bacchi infra in numis Laodiceae Phrygiae notabo.

* * *

Leo gradiens, ante quem thyrsus, superne cista, Philippi sen. (Vaill.)

Delineatus exstat hic numus in laudata Falconerii dissertatione de numo Apamensi. Totum typum Baccho adplico. De thyrso, et cista mystica nullum dubium. Leo inter alia animalia Bacchi comes secundum Albricum a), tum ipse in Gigantum tumultu *Rhoetum retorsit leonis unguibus, horribilique mala.* (Horat.)

Mentio situs:

A *Maeandro:* ΑΠΑΜΕΙΑΣ. ΠΡΟΣ. ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ. *Diana Ephesia*, Tiberii. (Vaill.) ΑΠΑΜΕΙΑΣ. ΜΑΙΑΝΔ. *Diana Ephesia*, Claudii. (Vaill.)

A *Marsya:* ΚΙΒΩΤΟC. ΑΠΑΜΕΩΝ. ΜΑΡCΤΑC. *Fluvius decumbens in antro*, Hadriani. (Vaill. Morelli Spec. tab. XVI.)

ΚΙΒΩΤΟC. vetus fuit urbi nomen, ut aliquoties diximus supra. Adhuc in Notitiis scribitur: Απαμεια ἡ Κιβωτος.

A Maeandro et Marsya. ΑΠΑΜΕΩΝ. ΜΑΙΑΝΔ. ΜΑΡ. *addito nomine panegyriarchae. Diana Ephesia, supra quam duae Nymphae, sedens una, altera ingeniculata, infra duo fluvii decumbentes*, Gordiani. (Vaill., et exstat depictus in numis max. mod. reg. Gall. tab. 26.)

ΜΑΡCΤΑC. ΜΑΙΑΝΔΡΟC. *addito summo sacerdote. Duo fluvii decumbentes*, Philippi sen. (Vaill.)

Vtrumque fluvium sacrum fuisse Apamenis, docet Maximus Tyrius b). Φρυγες οἱ περι Κελαινας νεμομενοι τιμωσι ποταμους δυο, Μαρσυαν και Μαιανδρον. *Phryges, qui propter Celaenas habitant, colunt fluvios duos, Marsyan, et Maeandrum.*

Magistratus in autonomis, numisque priorum imperatorum sine mentione dignitatis.

Proconsules haud dubie videntur sequentes:

ΕΠΙ. Μ. ΟΤΕΤΤΙΟΥ. ΝΙΓΡΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑΣ. *Marsyas stans binas tibias inflat*, Neronis. (Pellerin. Mel. II. p. 30.)

Abest quidem inscriptio urbis, sed cum numi sequentes, tum typus Marsyae numum hunc sine dubio Apameae vindicant. Ceterum de M. Nigro cognitae gentis Vettiae nihil habeo, quod ex veteribus memorem.

ΕΠΙ. ΜΑΡΙΟΥ. ΚΟΡΔΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑΣ. ΑΠΑΜΕΙΣ. *Aquila serpentem unguibus stringens*, Neronis et Agrippinae. (Vaill.)

Etiam hujus Marii Cordi memoriam puto interisse.

ΕΠΙ. ΠΛΑΝΚΙΟΥ. ΟΥΑΡΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑΣ. ΑΠΑΜΕΙΣ. *Manipulus spicarum*, Vespasiani. (Vaill.)

Idem Plancius Varus, sed addito ΑΝΘΥΠΑΤΟΥ, et cum simili manipulo spicarum exstat etiam in numis Ves-

a) Imag. deor. cap. 19. b) Dissert. VIII. c. 8.

Digitized by Google

pasiani Nicaeae flatis. Ex quo apparet, eum per vices Bithyniam et Asiam rexisse.

Prytanes inscripti sunt Cistophoris, quos vide.

Agonotheta. ЄΠΙ. ΑΓΩΝΟΘЄΤΟΥ. ΑΡΤЄΜΑ. Γ. in numo Severi quem supra inter numos diluvii testes dedimus. — ЄΠΙ. ΑΡΤЄΜΑ. Γ. in numo Caracallae. (Vaill.)

Panegyriarcha. ΠΑΥ. ΒΑΚΧΙΟΥ. ΠΑΝΗ. ΑΠΑΜЄΩΝ. ΜΑΙΑΝΔ. ΜΑΡ. Gordiani. (Vaill.) Harduinus legendum docet: ЄΠ. ΑΥ. pro ΠΑΥ. Forte melius in hoc et sequente. Π. ΑΥ. id est: *Publio Aurelio.* — ΠΑΥ. CΥΡΑΤΟΝΙΚΙΑΝΟΥ. ΠΑΝΗΓΥΡ. Decii. (Banduri.) — ΠΑΡΑ. ΑΥΡ. ЄΡΜΟΥ. ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΡΧΟΥ. Valeriani. (Bandur.)

De Panegyriarchis agemus alibi capite singulari.

Summus sacerdos: ЄΠ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. ΒЄΛ. ΑΡΧΙ. ΑΠΑΜЄΩΝ. in numo Philippi supra in diluvii numis adducto. Similis epigraphe occurrit in binis aliis ejusdem Philippi variantibus solum typis. (Vaill.)

ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. Β. ΑΡΧΙ. Otaciliae. (Vaill. Pellerin.)

ЄΠΙ. Μ. ΑΥΡ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. ΒЄΛ. Philippi jun. (Vaill.)

Additum in his numis ΒЄΛ. magnum Apollinem flagitat. Vaillantius et Falconerius Βελτιςω ΑΡΧΙερεως legunt. Si numus Philippi jun. est integer, Βελτιςω legi nequit, cum desit Αρχιερεως, cum quo epitheton esset connectendum. Harduinus suspicatur legendum Βελλιω.

Scriba: ЄΠΙ. Λ. ΜΑ. CЄΥ. ΓΡΑΜ. ΤΟ. Β. Elagabali. (Mus. Caes. Theup.)

* * *

Commune: ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑΣ in binis numis supra citatis cum mentione proconsulis. Item: ЄΠΙ. ΑΡΥЄΜΑ. Γ. ΑΠΑΜЄΙC. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΡΥΓΙΑC. Caracallae. (Vaill.)

* * *

Neocoratus falso adsertus a Vaillantio ex numis cum diluvii typo, ut supra dictum.

AE. R.

ATTAEA.

Hoc nomine Phrygiae urbs non proditur; at cum Stephanus in Phrygia memoret paludem Αττειαν, (in Βοττιειον.) verisimile censet Harduinus, adsitam huic urbem idem nomen tulisse. Nam quo minus numi inscripti ΑΤΤΑΙΤΩΝ cum Vaillantio et Begero tribui possint urbi Laconicae, aut cum Spanhemio Arabiae, vetant, ut videbimus, inscriptiones, et magistratus, quae utraque in his regionibus non comparent.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. — ΔΗΜΟC. — ΙЄΡΟC. ΔΗΜΟC. variis aversis, iisque obviis. (Beger, Patin, Arigoni.).

ΤΥΧΗ. ΠΟΛЄΩC. *Caput multebre imposito tutulo, aut turricula.* Ϫ ΑΡΧ. ΔΟΥΗ. ΑΤΤΑΙΤΩΝ. *Pallas stans.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RR.

Imperatorii:

Trajani, Commodi, Severi, Getae. (Vaill. Pellerin.)

Digitized by Google

Epigraphe, ut in autonomis. *Typi* obvii.

Magistratus:

Proconsul: ЄΠΙ. ΑΝΘ. CЄΚΟΤΝ. Trajani. (Pellerin Rec. III. p. 211.)

Praetor. CΤΡΑ. ΜΑΡΩΝΟC. Severi. (Pellerin.)

Archon, in citato autonomo.

AE. RRR.

ATTVDA.

Ex Notitiis cognita, et incerti situs.

Autonomi:

Complures exstant in museo Caesareo, apud Haymium, et Pellerinium.

Epigraphe: ΑΤΤΟΤΔЄΩΝ. *Typi: Latona cum gemellis, Amazon eques, basis venusta, super qua bina vasa floribus referta, et tres nuces pini.*

ΔΗΜΟC. ΒΟΤΛΗ. in plerisque.

Magistratus in nonnullis sine mentione dignitatis, at in uno est

Sacerdos femina: ΔΙΑ. ΦΛΑΒΙΑC. ΙЄΡЄΙΑC. *Diana Ephesia.* (Haym.) Notandus peculiaris hujus urbis mos, quae pro praefixo aliarum urbium ЄΠΙ. vel ΤΠΟ. usa est particula ΔΙΑ. Sic in aliis: ΔΙΑ. ΜЄΝΙΠΟΤ. (Mus. Caes.) ΔΙΑ. ΚΛΑΤΔΙΑΝΟΤ. (Haym.) ΔΙΑ. ΚΛΑΤΔΙΑΝΟΤ. ΤΙΟΤ. ΠΟΛЄΩC. (Mus. Cousinery.) Vide similia exempla in numis Laodiceae et Cidrae ejusdem Phrygiae. In marmore Stratoniceae Cariae: ΔΙΑ. ΦΙΛΟΚΑΛΟΤ. Β. (Chandler Inscr. ant. p. 28.) ΔΙΑ. ΠΡΩΤΟΚΟCΜΟΤ. Μ. ΠΟΜΠΗΙΟΤ. ΚΛЄΙΜЄΝΙΔΑ. (Gruter p. 1084. 11.)

AE. RR.

Imperatorii:

Domnae, Caracallae, Gallieni, Salonînae, (Vaill. Haym. Pellerin,) ad quos nihil plane observandum.

AE. RRR.

BRVZVS.

Solis Notitiis memoriam debet.

Imperatorii:

Ab Aurelio usque ad Gordianum.

Epigraphe ΒΡΟΤΖΗΝΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus: tantum in numis Severi et filii sine mentione dignitatis: ΡΟΤΦΙΝΟC. ΑΝΤΩΝΙ. ΒΡΟΤΖΗΝΩΝ. (Pellerin Mel. II. p. 127.) ΜΑΡΚ. ΡΟΤΦΙΝΟC. ΒΡΟΤΖΗΝΩΝ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. in numo Severi, (ibid.) sed Haymius in simillimo pro ΜΑΡΚ. legit ΛΙΚ.

AE. RR.

CADI.

Phrygiae Epicteti. Numos hujus urbis cognitos collegit, et vulgavit abbas Sestinus [a]).

Autonomi:

ΙЄΡΑ. ΒΟΤΛΗ. Ϫ ΚΑΔΟΗΝΩΝ. *Cybele sedens.* (Arigoni.)

ΙЄΡΑ. CΤΝΚΛΗΤΟC. *Typo Cybeles.* (Mus. Caes.)

a) Lettere T. III. p. 55.

Digitized by Google

ΔHMOC. — IЄPOC. ΔHMOC. — ΔHMOC. KAΔOHNΩN. in variis.

BACIΛЄTC. MIΔAC. *Caput Midae barbatum pileo Phrygio tectum.* Ɪ KAΔOHNΩN. *Figura dubia stans.* (Gronov. Thes. Ant. Graec. T. I. lit. T.)

Hujus Phrygiae regis caput est etiam in numis vicini Midaei et Prymnessi.

* * *

Huic etiam urbi Pellerinius tribuit aeneum: KAΔΩ. *Fortuna stans.* Sed turbat nonnihil positum Ω pro O.

AE. RR.

Imperatorii.

A Claudio usque ad Gallienum nulla re memorabiles.

Magistratus archon legitur inde a Gordiano, tum etiam in pluribus autonomis. Male Vaillantius in numis Gordiani et Tranquillinae legit ΓACOΠATOPOC. quod nomen Graecum non est. In numo musei Caesarei est: KΛЄOΠATOPOC.

Ludi ATΓOTCTЄIA. *Duae dexterae junctae intra coronam*, Gallieni. (Pellerin Suppl. I. 39.)

Concordia cum Gordo Lydiae: *Ceres in draconum curru*, vel: *Bacchus stans.* (Vaill.)

Mentio situs, ab Hermo fl. ЄPMOC. *Fluvius decumbens*, in numo Gordiani. (Theupoli.)

AE. R.

CERETAPE.

Ex Hierocle tantum, et Notitiis cognita.

Autonomi:

ΔHMOC. Ɪ KЄPЄTAΠ - - - *Iuppiter stans.* AE. II. (in meis Num. vet.)

Caput Serapidis. Ɪ KЄPЄTAΠЄΩN. *Pallas stans.* AE. II. (Hunter.)

AE. RRR.

Imperatorii:

Ab Antonino usque ad Severum. (Vaill.)

Epigraphe: KЄPЄTAΠЄΩN. Typi: *Pallas*, vel *Hercules.*

Magistratus praetor, in numis Severi. (Vaill. Pisani.)

Honoris titulus: Diocaesarea. Vide quae infra ad Diocaesaream Phrygiae notabimus.

Concordia cum Hierapoli Phrygiae, quam vide.

AE. RRR.

CIBYRA.

Dicta *magna* Straboni, nam minorem in Pamphylia constituit. Sita fuit versus Cariam, et aliquando potens, quae proprios tyrannos habuit, quorum unus Moagetes in numis quoque vivit, quos infra dabimus. Cibyrae historiam et numos descripsit, et liberaliter illustravit Belleyus [a]).

a) B. L. T. XXIV. p. 121.

Digitized by Google

Autonomi:

Caput galeatum. ☧ KIBTPATΩN. *Eques galeatus citato cursu d. hastam.* AR. III. AE. III.

Est apud Pellerinium, et similis ex museo regio citatur a Belleyo, qui et addit, tres similes exstitisse in museo Wildiano addito in uno magistratu MH., in altero MENE. IEPΩN. [a]). Aeneus est apud Theupoli.

Capita Dioscurorum. ☧ KIBTPATΩN. *Victoria statuens tropaeum.* AE. (Pembrock.)

Caput galeatum. ☧ KIBTPATΩN. *Bos dimidius prostratus turgente gibbo.* AE.

Numum hunc olim edidi ex museo Savorgnan [b]), ubi monui, eundem jam propositum fuisse ab Arigonio, sed perperam lectum KIΛTPATΩN, atque sic Cilyrae nescio cui tributum.

KIBTPA. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ KIBTPATΩN. *Leo gradiens.* AE. II. (Pellerin.)

BOTΛH. ☧ KIBTPATΩN. *intra coronam.* AE. (Belley l. c. p. 137.)

IЄPA. CTNKΛHTOC. ☧ KIBTPATΩN. *Mensis stans.* AE. (Hunter.)

AR. RRR. AE. RR.

Imperatorii

Exstant ab Aelio Caesare usque ad Decium.

Epigraphe ut in autonomis. *Typi* obvii.

Nomen ab imperatore: KAICAPЄΩN. KIBTPATΩN. in compluribus numis inde a Caracalla. Vaillantius et Haymius hac epigraphe notari concordiam inter hanc Cibyram, et Caesaream Bithyniae credidere, verum eos falli jam viderunt Belleyus [c]), et Pellerinius [d]). KAICAPЄΩN igitur aliud non est, quam honoris vocabulum, ut in KAICAPЄΩN. TPAΛΛIANΩN., vel KAICAPЄΩN. KTMAIΩN., aliisque. Cibyram hanc appellationem sibi efflagitasse in honorem Tiberii, a quo adfecta fuit beneficiis, censet Belleyus, ut mox sub epocha videbimus.

Neocoratus. Hunc illi honorem tributum putat Belleyus [e]) ex numo Maximini et Maximi, in quo sic scriptum legitur: KIBTPATΩHH [f]), ex quo arguit, adfixum in fine N aliud quam neocoratum notare non posse. Res nonnihil videtur intuta, praecipue cum in nullo alio Cibyrae numo notetur neocoratus.

Epochae annus notatur in numis binis, quos Belleyus ex museo Pellerinii citat, et pictos sistit [g]).

ЄTOTC. BIC. Maximini.

IΘC. Tranquillinae.

Inito calculo certum est, principium epochae cadere in annos tres V. C. 776. 777. 778. Erudite Belleyus adoptat annum 776., nam hoc anno factum, quod refert Tacitus [h]): *Factaque auctore Tiberio senatus consulta, ut civitati Cibyratieae apud Asiam, Aegiensi apud Achaiam motu terrae labefactis sub-*

---

a) l. c. p. 136. b) Num. vet. p. 246. c) l. c. p. 145. d) Rec. II pag. ult. in Addendis. e) l. c. p. 146. f) Vide iconismum ibid. p. 121. g) l. c. p. 121. 122. h) Annal. IV. c. 13.

Digitized by Google

veniretur remissione tributi in triennium. Cibyrae nomen legitur etiam in basi Puteolana inter eas Asiae urbes quae terrae tremore concussae Tiberii liberalitate surrexere, etsi terrae motus, qui alias urbes concussit, sexennio ante contigerit, nempe secundum Tacitum V. C. 770 [a]). Quare cum Cybyra in earum etiam urbium catalogo legatur, existimat Belleyus, colossum illum Puteolanum non citius anno V. C. 776. erectum fuisse, atque audito Cibyrae fato, et Tiberii adversus eam liberalitate etiam eam demum relatam in earum seriem, quae medicam Augusti opem sensere. Sed potest Belleyo ipsa basis epigraphe curam eximere, quae mentione trib. potestatis XXXII. Tiberii docet, monumentum illud anno demum V. C. 783. vel 784. positum fuisse. Vide dissertationem Laur. Gronovii [b]).

AE. RR.

MOAGETES *Cibyrae rex.*

Cibyrae hoc nomine regis numos tres vulgavit Pellerinius: (Rois p. 192.)

Caput barbatum nudum prominente retro clava, juxta Γ. H. Σ B. MOAΓ. *Leo gradiens.* AE. II.

Caput simile, juxta Δ. H. Σ B. MOA. *in monogrammate. Leo gradiens.* AE. II.

Caput Dianae, juxta E. Γ. Σ B. MOA. *in monogrammate. Cervus gradiens.* AE. II.

Moageten, Graecis Μοαγετην, Cibyrae et adjacentis tractus tyrannum memorant Livius [c]), et Polybius [d]), quem Cn. Manlius cos. V. C. 565. Gallograecis bellum facturus centum talenta pendere coegit. Moageten alium uno circiter saeculo serius prodit Strabo [e]), cum refert, Cibyram sempet tyrannis, sed moderato imperio, paruisse, porro tyrannidem in Moagete desivisse, quem dejecit Muraena. Ad horum ergo tyrannorum aliquem numos hos pertinere dubium non est, ac praeterea literam Β positam pro Βασιλεως. Eodem modo, ut jam advertit Pellerinius, in postremorum Macedoniae regum numis videmus praefixum B. sequente monogrammate, quo regis nomen continetur. Literae anticae L. H. et E. Γ. Pellerinio videntur indicare annos regni. Priores duo spectatis typis simillimi sunt numis regum Galatiae.

Numus postremus eosdem utrinque habet typos, quos habet numus inscriptus ΒΑΣΙΛΕΩΣ. AMTNTOT., quem in regum Galatiae moneta recensebimus. Quare suspicatur Pellerinius, huic Amyntae, quem constat ab Antonio IIIviro praeter Galatiam alias adhuc provincias dono accepisse, datam etiam Cibyram, eumque numum in hac urbe signatum.

AE. RRR.

CIDRA.

M. Aurelii numum Blondius ex museo Pellerinii protulit: (Observat. p. 32.)

---

a) Ann. L. II. c. 47. b) Thes. Gronov. T. VII. c) L. XXXVIII. c. 14. d) Exc. leg. c. 30. e) L. XIII. sub fin.

Digitized by Google

ΑΤΡΗΛΙΟC. ΟΤΗΡΟC. ΚΑΙ. *Caput Aurelii nudum.* Ϟ ΔΙCΕΛΕΤΚΟ. ΠΟΛΕΜΩ. ΚΙΔΡΑΗΝΝΩΝ. *Diana Ephesia.*

Vir eruditus numum tribuit urbi Phrygiae, quam Herodotus Κυδρα vocat, et ad Lydiae fines constituit [a]), quamque Stephanus, qui eam ex eodem Herodoti loco citat, perperam vocat Κυδραρα. Quo minus continuo adsentiar, facit elementum secundum, quod in citatis auctoribus est T, in numo I., deinde qua ratione a Κιδρα formari possit ΚΙΔΡΑΗΝΝΩΝ, non satis video, qua inscriptione indicatur potius urbs quaepiam dicta *Cidraenna.* Aut ergo probandum, Herodoti *Cidram* dictam quoque *Cidraennam*, aut differendum judicium, quorsum numus revera pertineat. In parergo Notitiarum eccl., quod subjicitur Geographiae sacrae Caroli a S. Paulo, binis locis memoratur episcopus ὁ Κινδράμων, qui tribuitur provinciae Cariae [b]), quod nomen urbi in numo notatae plus forte adfine est.

Magistratus inscriptus sic videtur legendus: ΔΙα CΕΛΕΤΚΟυ ΠΟΛΕΜΩνος. Etiam in numis Attudae et Laodiceae ejusdem Phrygiae magistratui praeponitur ΔΙΑ.

Nuper ad eandem hanc urbem vocavit numum Sestinus: (Lett. T. IV. p. 125.)

ΚΤΔΡΑΝΗΝΩΝ. *Bacchus stans.* Est Maesae.

CIDYESSVS.

Versus Bithynium secundum Ptolemaeum, qui unus veterum hujus urbis meminit, sed nomine corrupto, cujus orthographiam restituunt numi. Serius frequenter memoratur in Notitiis, sed depravatis appellationibus. Ejus numos ac historiam eruditam dedit Belleyus [c]).

Imperatorii

Domitiani, Caracallae, Philipporum.

Epigraphe ΚΙΔΙΗCCΕΩΝ. sed in numis Domitiani: ΑΤΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟΝ. ΚΙΔΤΕΣΣΕΙΣ.

Typi: *Cybele*, aliique obvii.

Vaillantius in binis, quos sub Philippo sen. recenset [d]), huic urbi videtur injurius, quorum unum sic describit:

ЄΠ. ΑΡ. ΟΤΑΡΟΤ. CΟΦΙCΤΟΤ. ΚΗΒΗCCЄΩΝ. *Iuppiter sedens.* Alium:

ЄΠΙ. ΑΤΡ. ΜΑΡΚΟΤ. ΑΡΧ. ΠΡΩ. ΤΟ. Β. ΚΗΒΗCCЄΩΝ. *Hygia, Telesphorus, Aesculapius.*

Hos numos Cebesso Lyciae largiuntur Vaillantius, et Harduinus, quam hausere ex Stephano. At obstat I. quod hic eam non *Cebessum*, sed *Cabessum* vocat, II. quod Lyciae numi sub imperatoribus cusi magistratum non inscribunt, III. ac praecipue, quod judicium hoc haud dubie in sinistra lectione nitatur, nam similem priori sic Belleyus ex museo Gravier describit:

ЄΠΙ. ΑΤΡ. ΟΤΑΡΟΤ. ΛΟΓΙCΤΟΤ. ΚΙΔΤЄCCЄΩΝ. *Iuppiter sedens.*

Alter quem Vaillantius ex Mediceo citat, a me inspectus offert ΚΙ - - ΗCCЄ-- nimirum numus post priores duas

a) L. VII. c. 30. b) pag. 15. 41. c) B. L. T. XXXV. p. 652. d) pag 162.

Digitized by Google

literas foramine pertusus est, ut alias docui [a]). Est ergo uterque Cidyessi, ut jam ante suspicatus est sagacissimus Belleyus [b]).

Magistratus

Summus sacerdos: ΕΠΙ. ΦΛΑ-ΟΥΙΟΥ. ΠΙΝΑΡΙΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ, in numis Domitiani. (Belley l. c.)

Archon: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΠΡΩ. ΠΕΙ-CΩΝΟC. Caracallae (Ibid.) το ΑΡΧ. legendum esse ΑΡΧοντος, non ΑΡΧιερεως, arguit Belleyus ex addito ΠΡΩτα, quod passim additur archonti, nunquam ἀρχιερεῖ. Enimvero ΑΡΧ. ΠΡΩ. idem est, quod ΑΡΧΩΝ. Α. frequenter in numis obvium.

Logista, an *Sophista?* in numo Philippi mox citato additur Varo nomen CΟΦΙCΤΟΥ, ut Vaillantius legit, at in simili alio, quem ex museo Gravier citat Belleyus, eidem Varo, ut vidimus, est nomen ΛΟΓΙCΤΟΥ. Cui potius habenda fides? Belleyus non testatur, se vidisse numum, sed tantum, sic esse descriptum. Sophistae nomen in pluribus numis legitur, Logistae in nullo alio. Belleyus censet [c]), Logistam esse aut cognomen Vari, aut potius aerario publico praefectum. Enim vero apud Gruterum habetur marmor dedicatum *T. Cl. Candido logistae civitatis splendidissimae Nicomedensium item Ephesiorum* [d]). Plurium urbium logistam dabit marmor Muratorii [e]). In constitutione Gordiani Graecum Logista Latine redditur *Curator reipublicae* [f]). Desideratur ergo major lectionis fides. Ceterum binos Varos sophistas laudat Philostratus, unum Pergensem Pamphyliae, alterum Laodicensem.

AE. RRR.

COLOSSAE.

Ad Lycum fl. prope Laodiceam.

Autonomi:

ΔΗΜΟC. ΚΟΛΟCΗΝΩΝ. *Caput juvenile laur.* Ϟ Μ. ΙΕΡ. ΕΝ - - ΛΟΥ. ΔΙΟΚΛΕΟC. *Sol adversus quadrigis vectus.* AE. I. (Pellerin.)

Fuisse Solem tutelarem Colossensium deum, comprobat sarda, in cujus una facie insculpta protome Solis capite radiato, et adfixis humero alis inter decem zodiaci signa, in altera facie: ΤΥ-ΧΗ. ΠΡΩΤΟΥ. ΚΟΛΟΣΣΑΙ. Nootua lyrae insistens, quam gemmam explicatam reperies in *Mémoires des B. L.* T. XXXVI. p. 11.

ΔΗΜΟC. ΚΟΛΟCCΗΝΩΝ. *Caput idem.* Ϟ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟC. ΟΤΛ. ΑΝΕ-ΘΗΚΕΝ. *Mulier stans d. globum, s. hastam.* AE. II. (Pellerin.)

ΚΩΛΟCCΗΝΩΝ. *Caput Serapidis.* Ϟ ΤΙ. ΑΙΙΕΙΡΕΙΔΟC. ΑΡΧΩΝ. *Iuppiter Laodicensis stans.* AE. II. (Pellerin.)

Adverte ad nomen urbis in singulis varie scriptum. Holstenius in Geogr. sac. Caroli a S. Paulo ex vetustis codicibus arguit, *Colassa* scribi oportere, quod serius in *Colossa* detortum fuit [g]).

---

a) Num. vet. p. 247. b) l. c. p. 656. c) l. c. p. 653. d) pag. 339. 2. e) pag 674. f) Cod. L. I tit. 55. §. 3. g) pag. m. 232.

Digitized by Google

Numi hi Holstenio ignoti contrarium docent.

Magistratus Archon, ut vidimus.

AE. RRR.

Imperatorii.

Horum unicum exstare adfirmat Pellerinius [a]), sed museum non citat. Est in museo Caesareo numus Commodi, in cujus aversa: - - - ΩΝΠΕΡΙΖ - - ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΑ - - ΚΟΛΟCCΗΝΩΝ. *Diana Cervi retro stantis cornu prehendens.* AE. m. m. Nomen urbis satis nitide legitur. At Frölichius [b]), eumque ego olim inconsultius secutus [c]) Cadis Phrygiae tribuimus.

AE. RRRR.

CONIVM.

Huic Pellerinius olim autonomum tribuit, quem tamen esse Iconii Lycaoniae ipse agnovit serius, ut diximus in nummis hujus urbis.

COTIAEVM.

In Phrygia Epicteto, scribiturque veteribus Κοτυαειον, sed in numis constanter est I pro T. Hujus quoque urbis numos omnes descripsit cl. Sestinus [d]).

Autonomi

Sunt in Museo Caesareo, et apud Pellerinium:

ΔΗΜΟC. ΚΟΤΙΑЄΩΝ. *Caput juvenile, in aliis barbatum.*

ΒΟΤΛΗ. *Caput muliebre velatum.*

In aversa: *Iuppiter* vel *Cybele sedentes — Sol adversus in quadrigis — Hercules stans.*

Archontum nomina constanter reperiuntur inscripta, quae pleraque reperiuntur in imperatoriis, quos vide.

Neocorus: ЄΠΙ. ΙΟΤ. ΚΟΔΡΑΤΟΤ. ΝЄΩ. ΑΡΧ. (Masson Vita Aristid. §. V. num. 8.)

AE. RR.

Imperatorii:

A Claudio usque ad Gallienum.

Epigraphe aut in recto, ut: ΚΛΑΤ-ΔΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΚΟΤΙΑΕΙΣ. aut ΚΟΤΙΑΕΩΝ.

Typi fere iidem, qui in autonomis. In numo Caracallae apud Pellerinium: *Hercules et Amazon stantes*, typo ad tractam ab Amazonibus originem adludente.

Filius urbis:

ЕΠΙ. ΟΤΑΡΟΤ. ΤΙΟΤ. in numis Claudii et Agrippinae. (Pellerin Mel. II. p. 28.) Vaillantius in eorundem numis perperam legit ΙΟΤΛΙΟΤ pro ΟΤΑΡΟΤ. *Vrbis filius* expressius in aliis eorundem, et Neronis notatur: ЕΠΙ. ΟΤΑΡΟΤ. ΤΙΟΤ. ΠΟΛΕΩΣ. (Pellerin l. c. Haym. T. II. p. m. 238.) ЄΠΙ. ΙΘΤ. ΚΟ-ΔΡΑΤΟΤ. ΤΙΟΤ. ΙΠΠ. ΑΡΧ. in numo Otaciliae. (Mus. Caes.) Apparet ex his numis, Varum et Codratum dato civitatis jure velut adoptatos fuisse a Cotiaensibus, et ab his eos dici filios urbis.

---

a) Rec. II. p. 40. b) IV. Tent. p. 446. c) Catal. Mus. Caes. P. I. p. 197. d) Lettere T. I. p. 60.

Digitized by Google

ut in numis Laodiceae Phrygiae Attalus, ut videbimus, Smyrnam vocat patriam, a qua fuit adoptatus. Eodem modo vidimus in numo Aphrodisiensium Cariae Apollonium dici ΤΙΟΝ. ΑΦΡΟΔΙCΙΕΩΝ. Secundum hanc legem saepius explicandum vocabulum ΤΙΟC, cum in numis occurrit, cujus exempla alia ex marmoribus collecta vide in dissertatione de Boze [a]), et apud Cuperum [b]).

Magistratus

Archon: ΑΡΧΟΝΤ. ΔΙΟΓΕΝΟΤΣ. in numo Claudii, quem citat unus Vaillantius, si modo epigraphe rite lecta. Claudii aetate vix magistratus dignitas numis Cotiaensium inscribi consuevit. Inde ab Severo saepius legitur ΑΡΧ. Cum in aliquot numis notentur ἀρχιερεις, suspicatur Frölichius, etiam vocabulo curtato ΑΡΧ. indicari ΑΡΧιερεα. In autonomis quoque archontes constanter notantur, quorum aetas ex imperatoriis definitur, sic: Π. ΑΙΛ. ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟC. legitur etiam in numis Valeriani, ΙΟΛ. ΚΟΔΡΑΤΟC. etiam in numis Severi, et Otaciliae. Idem dicitur Neocorus in autonomo apud Pellerinium, et Panelium, (Cistoph. p. 40.) ЄΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΝЄΩ. ΑΡ. Denique ΔΙΟΓЄΝΗC. ΔΙΟΝΤCΙΟC, sub Gallieno.

Summus sacerdos in binis numis observatur: ЄΠΙ. Γ. ΙΟΥ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕ. Macrini. (Pellerin.) ЄΠΙ. Γ. ΙΟΥ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΑΡΧΙЄΡЄΩC. Philippi sen. (Mus. Caes.) Videtur C. Iulius Ponticus ἀρχιερευς δια βιυ fuisse.

Hippicus.

ЄΠΙ. ΙΟΥ. ΚΟΔΡΑΤΟΥ. ΤΙΟΥ. ΙΠΠ. ΑΡΧ. Otaciliae. (Mus. Caes.)

ЄΠΙ. Π. ΑΙΛ. ΔΗΜΗΤΡΙΑΝΟΥ. ΙΠΠΙΚ. ΑΡΧ. Valeriani, (Vaill. Mus. Caes.) et in autonomo. (Pellerin.)

Vaillantius, ejusque asseclae vocabula ΙΠΠ. vel ΙΠΠΙΚ., quae in numis Iuliae Gordi Lydiae, et Smyrnae Ioniae plenius leguntur ΙΠΠΙΚΟΥ, explicat *Hippici filius;* verum iis indicari equites Romanos, explicabimus alibi.

AE. C.

DIOCAESAREA.

Tres numi ab antiquariis huc referri solent, *imperatorii* omnes:

ΔΙΟΚΑΙCΑΡЄΙΑC. *Templum 4. col., in quo Pallas stans*, Commodi. (Vaill.)

ΔΙΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. ΚЄΡЄΤΑΠЄΩΝ. *Cybele sedens*, Commodi. (Vaill.)

ΑΔΡΙΑΝΩΝ. ΔΙΟΚΑΙCΑΡЄΩΝ. *Fortuna stans*, Severi. (Pellerin. Mel. II.)

Vereor, ut vel unus horum huic Phrygiae urbi competat, ac

Primus quidem ex typo templi 4. columnarum, qui numis urbium Syriae, Phoenices, Galilaeae familiaris est, videtur potius Diocaesareae Galilaeae tribuendus. Saltem certa ratio nulla prorsus est, cur hic numus hujus sit potius Diocaesareae, quam alterius seu Galilaeae, seu Ciliciae.

Secundus a Vaillantio huc vocatur, quod, ut opinatur, concordiam inter hanc Diocaesaream, et Ceretapen Phry-

a) B. L. T. XV. p. 474. b) Lettres p. 59.

Digitized by Google

giae item urbem prodit. At quodnam numus praetensae concordiae indicium facit? Abest vocabulum OMONOIA, typus est unius tantum numinis, cum plerumque in concordiae numis utriusque urbis fingantur numina, praecipue cum vocabulum OMONOIA supprimitur. Quare verisimilius videtur, Ceretapen honorifico Diocaesareae nomine usam, illudque numis inscripsisse, ut Castabala Cappadociae nomen Hieropoleos, Comana Ponti Hierocaesareae etc. Iovis apud Ceretapenses cultum arguit Iupiter stans in numo autonomo, ex quo Diocaesareae nomen abstulerit, ut Laodicea Diospoleos. Video, in eadem meum sententia pridem fuisse Holstenium [a]), qui item conjecit, Diocaesaream et Ceretapen fuisse unam eandemque urbem.

Tertius, quem Pellerinius huic Phrygiae urbi largitur, verisimilius est Diocaesareae Ciliciae, quam certo constat *Hadrianae* titulo usam, ut aliae passim Ciliciae urbes, at paucae Phrygiae ex numis hactenus notis.

Cum ergo expensis his numis non modo nulla sit ratio horum unum huic Diocaesareae adjudicandi, sed etiam in singulis aliqua ratio appareat eos inde avocandi, tutius est opinari, eam hactenus opibus numismaticis destitutam. Huc accedit, quod revera Salmasius, Holstenius, Cellarius dubitent, an unquam Diocaesareae nomine urbs in Phrygia exstiterit. Ejus unicus praeco est Ptolemaeus, cujus tamen sententia explicanda potius videtur. Nam idem is, qui Diocaesaream nobis memorat, Ceretapen reticet, non alia, ut pronum est conjicere, de causa, quam quod reipsa una eademque urbs fuit binis variis appellationibus, ex quibus ipse eam, quae tum magis popularis exstiterit, nempe Diocaesareae, selegerit. Secundum eandem hanc legem Belleyus Ptolemaeum explicat, qui Adanam Ciliciae commemorat, sed Antiochiam ad Sarum, urbem non parum illustrem, omittit, nimirum quia, ut ipse censet, quae Adana fuit, eadem et alio nomine Antiochia dicta fuerit [b]). Quare ut non erravit Ptolemaeus, ita distinctam fuisse aliquam Phrygiae urbem Diocaesareae nomine, verisimile non est. Sic et Sepphoris et Diocaesarea una eademque fuit Galilaeae urbs.

DIONYSOPOLIS.

Eam Plinius conventui Apamensi subjicit, memoratur etiam Ciceroni, Stephanoque. Vide Cellarium.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. ΒΟΤΑΗ. *Caput mulicbre.* Ꝛ ΔΙΟΝΤϹΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Diana Ephesia.* AE. (Goltz. in Graecia tab. 28.)

Numum hunc Nonnus Dionysopoli Thraciae tribuit, sed si unquam exstitit, certe est hujus Phrygiae Dionysopolis cum causa epigraphes ΙЄΡΑ. ΒΟΤΑΗ., tum typo aversae.

* * *

ZЄΤϹ. ΠΟΤΗΟϹ. ΔΙΟΝΤϹΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Caput Iovis diadematum.*

a) In Ortel. p. 69. b) B. L. T. XXXV. p. 610. seq.

Digitized by Google

Ꝟ CTPATHΓOTNTOC--- TPATOT. B. MЄANΔPOC. *Maeander humi jacens d. arundinem.* AE. (Catal. d'Ennery p. 98.)

Eximius hic raritate numus plura offert notatu digna. Iuppiter *Poteus* nondum credo alibi hoc cognomine repertus, si modo epigraphe recte ex hoc numo capta fuit. Interim cujus sit naturae additum istud Iovi elogium, prorsus ignoro. Deinde docet, magistratum *praetorem* urbi praefuisse, ac denique etiam ejus situm hactenus incertum illustrat facta Maeandri mentione, cui adeo aut adsita fuit, aut saltem vicina.

* * *

Caput Bacchi. Ꝟ ΔIONTΣ -- MENEK -- *Bacchus stans.* AE. II. (Neumann.)

Vir eruditus huic Dionysopoli numum hunc tribuit, quia idem magistratus MENEKPATHΣ est in numo vicinae Eumeniae.

* * *

Supra in Dionysopoli Thraciae autonomos plures hoc nomine inscriptos proposui, qui aeque ad hanc Phrygiae urbem possent pertinere.

AE. RRRR.

Imperatorii:

Hujus generis numum Domnae huc vocat unus Harduinus, qui eum sic describit: ΔIONTCO. K. MHTPOΠ. ЄΠI. APX. ATPH. KIΛBIANΩN. TΩN. ANΩ., secundum quam lectionem triplicem concordiam inter hos Dionysopolitas, Metropolitas, et Cilbianos extorquet. Nemo erit paullo cordatior, cui luxata haec epigraphe de lectionis veritate non continuo faciat oboriri dubium. At nemo erit etiam, qui ambigat, esse hunc eundem numum, quem Vaillantius in moneta Domnae sic describit: ЄΠI. APX. ATPH. ΔIONTCIOT. KIΛBIANΩN. TΩN. ANΩ., quae lectio multo simplicior haud dubie est praeferenda. Nullum ergo hactenus certum habemus hujus urbis imperatorium.

DOCIMEVM.

Phrygiae magnae.

Autonomi:

Caput juvenile nudum, prae quo caduceus. Ꝟ ΔOKIMЄΩN. *Monticulus.* AE. III. (Pellerin.)

Capite anticae aut Caesar quispiam, aut Antinous Mercurii specie propositus videtur. Aversae typo indicantur celebres hujus loci latomiae, de quibus Strabo: *ἐπέκεινα δ' ἐϛι Δοκιμια κωμη, και το λατομιον τυ Συνναδικυ λιθυ, ὑτω μεν Ρωμαιοι καλυσι, οἱ δ' ἐπιχωριοι Δοκιμιτην και Δοκιμαιαν. Illinc est Docimia pagus, et lapicidinae Synnadici lapidis, ut quidem Romani vocant, at indigenae Docimiten et Docimaeam.* De hoc lapide vide infra plura in Synnade.

* * *

ΔOKIMOC. *Caput barbatum laureatum.* Ꝟ ΔOKIMЄΩN. *Aesculapius stans.* AE. II. (Pellerin, Arigoni, Harduin.)

Docimum Macedonem nominat Pausanias unum ex Antigoni ducibus, sed qui postea ad Lysimachum defecit [a]).

a) Attic. cap. 8.

Digitized by Google

Verisimile sane, ab hoc Docimo urbem hanc aut aedificatam, aut in ejus honorem ab oppidanis abolito qualicunque vetere novum istud nomen adscitum, quos alioqui constat ex parte fuisse Macedonas, ut mox patebit.

* * *

ΒΟΤΛΗ. — ΙЄΡΑ. CTNΚΛΗΤΟЄ. Vide Pellerinium, et Arigonium.

AE. RR.

Imperatorii:

A Nerone usque ad Domnam typis obviis.

Epigraphe: ΔΟΚΙΜЄΩΝ. — ΔΟΚΙΜЄΩΝ. ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ. in nume Aurelii. (Vaill.) L. Veri. (Haym.)

AE. RRR.

DORYLAEVM.

Phrygiae Epicteti. Varie a veteribus scribitur, sed Stephani Δορύλαειον cum numis optime convenit. Catalogum numorum hujus urbis vide apud cl. Sestinum [a]).

Imperatorii:

Sunt a Domitiano usque ad Philippum jun., et sunt apud Sestinum, Pellerinium, Haymium, in Mus. Caes. et Theupoli.

Epigraphe: ΔΟΡΤΛΑЄΩΝ. *Typi* obvii.

Magistratus archon, nam hunc reor notari inscriptione ЄΠΙ. ΗΑΤΛΟΤ. A., quae est in numo Maximini apud Haymium, etsi hic suspicetur, elemento A notari annum imperii.

AE. RR.

EPICTETVS.

Exstant *autonomi* apud Pellerinium, et in museo Caesareo: *Caput Palladis.* Σ ЄΠΙΚΤΗ. — ЄΠΙΚΤΗΤΗЄ — ЄΠΙΚΤΗΤΕ.—ЄΠΙΚΤΗΤΕΑ. *adduntur decurtata magistratuum vocabula. Equus gradiens, pone pileus Dioscurorum.* AE. III. Censet Pellerinius, hos numos fuisse monetam communem populi, qui Phrygiam Epictetum incoluit. Res dubio non vacat, nec tamen hactenus alius opportunius quid attulit. En indicia alia: in simili Hunteriano circum equum observantur ΑΣ. ΒΑ. Ε. et pileus Castorum, in alio Neumanni pone caput Palladis est Θ. Nuper cl. Sestinus ex museo Ainsliano numum simile protulit cum largiore epigraphe ЄΠΙΚΤΗΤΕΩΝ [b]), quae Pellerinii sententiam multum juvat.

EVCARPIA.

Phrygiae magnae.

Autonomi:

ЄΥΚΑΡΠЄΩΝ. *Caput perjuvenile nudum, pone caducens.* Σ ЄΠΙ. Γ. ΚΛ. ΦΛΑΚΚΟΥ. *Luna cum duobus astris, inferne caput bovis.* AE. III. (Haym. Pellerin.) In alio simillimo *magistratus mulier*, de qua mox [c]).

a) Lettere T. III. p. 71. b) Lettere T. III. p. 45. c) B. L. Hist. T. XVIII. p. 223.

Digitized by Google

ЄΥΚΑΡΠЄΙΑ. *Caput muliebre turritum.* Ɪ ЄΠΙ. ΠЄΔΙΑC. CЄΚΟΥΝΔΗC. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.) In alio simili: ЄΠΙ. NЄ. ΠЄΔΙΑC. CЄΚΟΥΝΔΗC. (in meis Num. vet. p. 248.)

In antica numi prioris videtur effictus Antinous sub Mercurii specie eodem modo, ut dictum in numis vicini Docimei. Numi alii magistratum mulierem sistunt. Additum NЄ. fuisse eam Νεωκορον eloquitur.

AE. RRR.

Imperatorii.

Ab Antonino usque ad Trebonianum, suntque apud Vaillantium, et Arigonium.

Typus *mulieris stantis*, ex numis tribus varie describitur a Vaillantio. In numo M. Aurelii apud Arigonium est *Mulier stolata stans, quae dexteram attollit, s. parvam figuram manu ducit, adstat ad dexteram quadrupes, forte dama.*

Magistratus in numo Antonini, sed sine dignitate memoratur: ЄΠΙ. Γ. ΚΛ. ΦΛΑΚΚΟΥ. (Arigoni.) qui etiam legitur in autonomis citatis.

AE. RRR.

EVMENIA.

Phrygiae magnae, teste Eutropio condita ab Eumene Attali Pergameni fratre,

Autonomi:

ЄΥΜЄΝЄΩΝ. *Caput Serapidis.* Ɪ ΓΛΑΥΚΟC. *Fluvius decumbens.* AE. (Harduin, Panel Cistoph. p. 40.)

De hoc flumine Plinius: *Est Eumenia Cludro flumini adposita, Glaucus amnis.*

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ɪ ЄΥΜЄΝЄΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. *Diana Ephesia.* AE. I. (Pellerin.)

De nomine ΑΧΑΙΩΝ. vide infra.

Iuppiter stans d. bipennem, s. hastam, pone cervus. Ɪ ЄΥΜЄΝЄΩΝ. *Aquila stans.* AE. III. (Sestini. T. IV. p. 125.)

Numos reliquos vide apud Pellerinium, in museo Caes., Pembrock.

Magistratus sine mentione dignitatis: ΚΛЄΩΝ. ΑΓΑΠΗΤΟC. — ΜЄΝЄΚΡΑ. ΑΣΚΑ. etc.

AE. RR.

Imperatorii

A Nerone usque ad Gallienum typis obviis. Sunt apud Vaill. Pellerin, Haym, Arigoni.

ЄΥΜЄΝЄΩΝ. ΑΧΑΙΩΝ. inde ab Hadriano (Pellerin) usque ad Gallienum. (Arigoni.) Harduinus censet, Eumenenses se dixisse Achaeos ab agro *Achaidos*, qui teste Stephano est apud Maeoniam Lydiae. Sed Eumenia haec a memorato agro nimium videtur distare. Dicuntur vero potius Achaei, quod ab his oriundi fuerint, ut Perinthii se dixerunt Iones, aut quod veteres Eumenenses cum adventitiis Achaeis fuere permixti, qua ratione in ejus tractus urbibus oppidanorum nomini saepe additur ΜΑΚЄΔΟΝΩΝ.

Magistratus

Summus sacerdos: ΙΟΥΛΙΟΣ. ΚΛЄΩΝ. ΑΡΧΙЄΡЄΥΣ. ΑΣΙΑΣ. Neronis. (Haym.) Res insolentior *summus sacer-*

Digitized by Google

dos Asiae. Vide, quae de hoc notabimus in tractatu de Asiarchis. Asiae vocabulum in numis Philippi sen. et Otaciliae omittitur: ЄΠΙ. ΦΛ. ΦΙCIKOT. APXIЄ. (Vaill.) at Pellerinius in suo Philippi rectius legit: ЄΠΙ. ΦΛΑ. ΦΙΛΙ-ΚΟΤ. ΑΡΧΙЄ. (Suppl. II. p. 85.)

AE. RR.

HIERAPOLIS.

Ad Maeandrum, Cibyratico conventui a Plinio adscribitur. Nomen abstulisse ait Stephanus *ἀπο τυ ἱερα πολλα ἐχειν.*

Autonomi:

ΑΛΙΡΒΗΝΟC. *Caput Solis radiatum.* ℣ ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Lupa cum gemellis lactentibus.* AE. II. (Pellerin.)

ΑΔΙΡΒΗΝΟC. *Caput idem.* ℣ *Hygia, Telesphorus.* (Harduin.)

ΛΑΙΡΒΗΝΟC. *reliqua ut in praecedente.* (Haym.)

ΛΑΙΡΒΗΝΟC. *Caput idem.* ℣ ΙЄΡΑ-ΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Apollo stolatus stans d. plectrum, s. lyram.* AE. (Pembrock, Panel num. Cist. p. 40.)

ΛΑΙΡΒΗΝΟC. *Caput idem.* ℣ *Eadem epigraphe.* ΑΚΤΙΑ. *intra lauream.* AE. II. (Sestini. Lett. T. IV. p. 126.)

En ejusdem epigraphes lectiones varias tres ortas ex adfinitate literarum Α., Λ., Δ. Legendum videtur ΛΑΙΡ-ΒΗΝΟC, quod plures in hac lectione video conspirantes, tum quod Haymius suum profitetur integerrimum, et epigraphen certissimam. Vocabulum istud referendum ad Solis caput, et esse captum ex indigenarum lingua, dubium non videtur, cui applicari omnino possunt, quae in Thyatira Lydiae de BO-ΡЄΙΤΗΝΗ disserui.

* * *

ΑΡΧΗΓЄΤΗC. *Caput Solis radiatum.* ℣ ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Amazon stans.* AE. (Haym.)

Sponius in ruinis Hierapolis supra porta theatri scriptum vidit: ΑΠΟΛ-ΛΩΝΙ. ΑΡΧΗΓЄΤЄΙ. [a]), sed postremas duas literas non bene videtur excepisse. De Apolline Archageta jam egi ad Naxum Siciliae, et Tauromenium, cujus quoque numis idem vocabulum inscriptum. Ex typo potest colligi, vocabulum ΛΑΙΡΒΗΝΟC. eandem habere, significationem cum ΑΡΧΗΓЄΤΗC.

* * *

ΚΩΣΙΟΣ. *Caput barbatum.* Epigraphes hujus explicationem non tento, cum de ejus sinceritate dubitem. (Arigoni.)

* * *

ΒЄΛ. *Pegasus volans.* ℣ ΙЄΡΑ-ΤΩΝ - - *Ara luculenta inter ardentes taedas.* AE. (Haym.)

Similis typus est in numi Stratonicensis utraque facie a Cem. Christiani editi [b]), nisi quod in hoc praeterea adstans Bellerophon Pegasum retinet, cujus absentiam in Haymiano truncatum ΒЄΛ. supplet. Iure igitur suspicatur Khellius in subjecta nota, male ab Haymio lectam numi epigraphen pro CTPA-ΤΟΝΙΚЄΩΝ, quod praeterea literarum se consequentium ordo, ut ectypon numi docet, plane persuadet.

a) Voyage T. I. p. 358. b) Adpendic. I.

Digitized by Google

* * *

ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Caput muliebre.* ℞ ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Pluto Proserpinam rapiens.* AE. II. (Pellerin. Beger.)

Fuit teste Strabone, aliorumque, quorum testimonia vide apud Cellarium, juxta Hierapolin Plutonium, seu Charoneum, nimirum hiatus, unde se vapor pestifer extulit, ac propterea Ditis spiraculum creditum fuit.

* * *

ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Caput laur.* ℞ ΧΡΥϹΟΡΟΑϹ. *Fluvius decumbens.* AE. (Haym, Harduin.)

Plinius loquens de Tmolo monte, addit: *et ex eo profluente Pactolo, eodemque Chrysorhoa.* At hic Pactolus Chrysorhoas longiore intervallo ab Hierapoli nostra distabat, et ex testimonio Sponii, qui ea loca adivit, perquam vicina fuit Lyco [a]), quin neque multum remota a Maeandro, sic ut etiam nonnunquam per hunc ipsum Maeandrum ab aliis ejusdem nominis urbibus distingueretur, ut in epigrammate, quod citat Holstenius: (Notae ad Steph.) ΜЄΝΑΝΔΡΟϹ. ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΗϹ. ΠΡΟϹ. ΜΑΙΑΝΔΡΟΝ. ΠΟΤΑΜΟΝ. Quod si Chrysorhoas numis inscriptus revera est Pactolus, id factum, ut censet Harduinus, non ad indicandum urbis situm, sed alia quacunque de causa, nimirum ut Amastriani Meletem, Germanicopolitae Xanthum, alii, alios fluvios longe dissitos monetae suae inscripsere. Quid si Chrysorhoas fuisset fons hujus nominis Hierapolitis sacer, at nobis ignotus, quales plures habemus numis illatos? de quo vide, quae notavimus ad numos Phocaeae Ioniae.

* * *

ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Caput muliebre turritum.* ℞ ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Mensis stans d. quid conoidicum tenet, s. hastam, dextro pede bovis caput calcat.* AE. III. (Mus. Caes.)

De aversae typo egi in meis Numis veteribus [b]). Conus is, quem Mensis d. tenet, Belleyo videtur pomum pini [c]). Neocoratus in variis adhuc autonomis apud Pembrock, Begerum, Arigonium indicatur, atque adeo frequentius, quam in imperatoriis, ut videbimus.

ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Victoria gradiens.* ℞ Κ. ЄΦЄϹΙΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Caput muliebre laur.* AE. (Beger. T. I. p. 505.)

* * *

ΓЄΡΟΥϹΙΑ. — ΙЄΡΑ. ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ. — ΒΟΥΛΗ. (Haym, Arigoni.)

* * *

Notandum, urbis hujus nomen semper scribi ΙЄΡΑΠΟΛΙΤΩΝ, nunquam ΙЄΡΟΠΟΛΙΤΩΝ, saltem in adcuratis catalogis. Sed vide etiam, quae mox dicentur.

AE. R.

Imperatorii:

Sunt ab Augusto usque ad Valerianum.

Epigraphe constans: ΙЄΡΑΠΟΛЄΙΤΩΝ. Tamen in uno Pellerinii est ΙЄΡΟΠΟΛΙΤΩΝ [d]), quo quidem modo inscribi solent numi Hieropolis Cyrrhesticae.

---

a) Voyage T. I. p. 357. b) pag. 249. c) B. L. T. XVIII. Mem. p. 135. d) Suppl. II. tab. IV. n. 19.

Digitized by Google

Typi illustriores:

Apollo stolatus stans d. plectrum, s. lyram.

Typus hic est frequens, et videtur hoc numen apud Hierapolitas fuisse praecipuum, nam in numo concordiae cum Aphrodisiade Cariae, et Epheso hic Apollo pro Hierapoli proponitur.

Templum elegans, in cujus aditu Hercules d. clavam, s. hastam, Caracallae. (Pellerin Suppl. I. p. 37.)

Amazon eques, M. Aurelii. (Vaill.)

* * *

Magistratus sine mentione dignitatis frequenter in numis primorum Caesarum. In numo Augusti: ΜΕΝΙΣΚΟΣ. ΔΙΦΙΛΙ. Τ. ΤΟ. Γ. Pellerinius το Τ. explet Τιος. Singularis numulus apud Seguinum [a]): ΦΑΒΙΟΣ. Ο. ΜΑΞΙΜΟΣ. *Caput Augusti nudum.* Ɪ ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΤΡΤΦΩΝ. *sine typo.* Lectio anticae mihi oppido suspecta, idque eo magis, quod aliud non habemus in moneta Hierapolitarum exemplum inscripti in utraque superficie magistratus.

M. Suillii frequens mentio fit in hujus urbis numis, quos juvat, ut descriptos reperi, proponere:

Μ. ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. *Apollo stolatus stans*, Tiberii. (Vaill.)

Μ. ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟ-ΙΕΡΑΠΟ-- *Typus idem*, Claudii. (Seguin p. 101. Morellius in Suilla.) Vaillantius in Fam. Suillia in eodem numo legit integrum ΑΝΤΙΟΧΟΣ.

Μ. ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Caput Agrippinae jun. sub specie Bacchae.* Ɪ ΑΓΡΙΠΠΙΝΗ. ΣΕΒ. *Templum 6 columnarum.* Sic Vaillantius in Suillia numum hunc velut integerrimum proponit, at Seguinus et Morellius tanquam multum mancum spectata epigraphe. (ll. cc.)

ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. *Bipennis serpente circumdata*, in numo Neronis adhuc Caesaris. (Pellerin.)

Observo ante omnia ad numum I., deceptum videri Vaillantium, cum Tiberium nobis pro Claudio daret, nam spectatis reliquis omnibus simillimus est sequenti, quem ipse Vaillantius subinde, agnito haud dubie errore, cum capite Claudii stitit [b]). Omnes ergo hi numi flati sunt imperante Claudio, ipse etiam postremus, quia Neronem nondum Augustum offert. Antiquarii omnes hunc M. Suillium genti Suilliae, de qua Tacitus circa hoc aevum meminit, inserunt, variant tamen in definiendo, quem ex pluribus Suillis numi hi nobis indicent. Havercampus putat esse M. Suillium Nervilianum, qui consul fuit V. C. 803., qui adeo postea in Asiam proconsule missus videtur, ut numi eo judice docent. Recte haec quidem, verum cum ex fastis constet, ei M. Suillio fuisse cognomen Nerviliani, (melius Nerulini, ut docui in numis Smyrnae) cur in numo dicitur ΑΝΤΙΟΧΟΣ? An non satis constat, jam hac aetate Graecos passim Romana sibi nomina indidisse? quod ipsum Smyrnaeis exprobrasse Apollonium Tyanensem testatur Philostratus [c]). Quod si dicatur, το Μ. ΣΤΙΛΛΙΟΣ indicare proconsulem, et ΑΝΤΙΟΧΟΣ magistratum Hierapolita-

a) Pag 99. b) in Fam. Suill. c) in ejus Vita L. IV. c. 5.

Digitized by Google

rum, (nam habemus exempla, in numis v. g. Smyrnae, conjuncti utriusque magistratus) cur in numo IV. dicitur ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΤ.? quae utique formula indicat, Suillium fuisse Antiochi filium, ut in numis Augusti ejusdem Hierapolis apud Pellerinium: ΑΚΡΙΤΑΣ. ΔΙΟΤΡΕΦΟΤ., et apertius in altero: ΜΕΝΙΣΚΟΣ. ΔΙΦΙΛΙ. Τ. nempe Τιος. Quod si vera est inscriptio ΣΤΙΛΛΙΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΤ. a Pellerinio ex numo Neronis promulgata, ea inscriptionem ΑΝΤΙΟΧΟΣ, quam priores antiquarii ex aliis numis afferunt, suspectam omnino facit, atque dubium, an hic Suillius ad gentem R. pertineat, multum promovet, quod curatius expendant ii, qui ad dictos numos Lutetiae adsident. Certe numos II. et III. admodum esse vitiatos, satis ostendunt iconismi apud Seguinum et Morellium propositi.

Praetorem evincit Vaillantius ex numo Plautillae inscripto: ΕΠ. ΣΤΡ. ΑΤΡ. ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΤ. Eum citat ex Patino, sed in cujus opere is non exstat. Est tamen apud Tristanum [a]). Erudite hic conjecit quidem, laudatum in numo Antipatrum esse eundem, qui patria Hierapolitanus Caracallae et Getae pueritiam prudenter rexit, et consularibus honoribus ornatus in patria tandem consenuit, ut refert Philostratus [b]), verum cum hic numus a nemine alio citetur, et in tot hujus urbis numis nunquam praetor prodatur, suspicari licet, epigraphen a Tristano male exceptam.

* * *

Neocoratus in binis tantum Caracallae numis notatur apud Pellerinium [c]). In autonomis frequentius ejus fit mentio.

* * *

Concordia frequenter occurrit, quo uno confirmatur, quod testatur Philostratus, fuisse Hierapolin unam ex iis urbibus, quae in Asia maxime floruere.

Cum *Ceretape* Phrygiae: ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ. ΚΕΡΕΤΑΠΕΩΝ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Hercules d. clavae innixus, s. leonis spolia*, Commodi. (Vaill.) Vaicum numen proponitur, credo, quia idem Hercules in utraque urbe insigniter fuit cultus, ut docent numi.

Cum *Synnadis* Phrygiae. Vide horum numos.

Cum *Aphrodisiade* Cariae, quam vide.

Cum *Smyrna*, *Epheso*, *Sardibus*.

* * *

Ludi ΠΤΘΙΑ *intra coronam*. Elagabali. (Vaill.) ΑΚΤΙΑ. in autonomo. *AE. R.*

HYRGALEA.

Hujus urbis in nullius aevi monumentis, praeterquam numis, fit mentio. Numi duo hactenus proditi, quorum fabrica, inscriptio, et typi conjicere jure faciunt, eos ad Phrygiae aliquam urbem pertinere. Belleyus, qui de iis singularem dissertationem contexuit [d]), suspicatur, esse eam urbem, quae Hierocli corrupte, ut censet, Αυραχλεια dicitur.

Autonomus:

ΙΕΡΑ. ΒΟΤΛΗ. *Caput mulebre ve-*

a) T. II. p. 255. b) de vit. Soph. c) Supp. I. p. 37. le Blond p. 44. d) B. L. T. XXXV. p. 640.

Digitized by Google

latum. ☧ ΤΡΓΑΛΕΩΝ. *Fluvius decumbens, infra* ΤΡΕ. AE. II. (Pembrock.)

AE. RRRR.

Imperatorius:

ЄΠΙ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΑΔΡΑCΤΟΥ. ΑΡΧΟ. ΤΡΓΑΛΛΑΙΩΝ. *Cybele sedens*, Domnae. (Haym.)

Epochae annus 365 in uno tantum numo, eoque autonomo reperitur, quare fieri non potest, ut ejus principium tuto possit stabiliri. Belleyus censet fuisse idem Hyrgaleae epochae principium, quod Laodiceae Phrygiae, quam adi.

AE. RRRR.

IVLIA.

Iulienses nominat Plinius in conventu Cibyratico. (L. V. §. 29.)

Imperatorii

Ab Agrippina jun. usque ad Corn. Superam, cujus numum vide mox in *Magistratu.*

Epigraphe: ΙΟΥΛΙЄΩΝ.

Typi: *Mensis, Cybele, tres Gratiae etc.*

Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem, M. Aurelii. (Mus. Caes.)

Pellerinius hunc numum, quoniam typum urbis maritimae offert, Iulin insulae Ceae vocandum censet [a]), verum, ut iam alias ex Strabone docui, Neptunus a Phrygibus, etsi mediterraneis, magnis fuit mactatus honoribus, nimirum ad avertendos terrae motus.

ΔΙΑ. ΙΔΑΙΟΝ. ΙΟΥΛΙЄΩΝ. *Iuppiter sedens d. hastam, s. Victoriolam*, Faustinae jun. (Pellerin.)

ΑΤΤΑΛΟC. ΙΟΥΛΙЄΥCΙΝ. ΑΝЄΘΗΚЄ. *Aurelius et Verus stantes iungunt dexteras*, M. Aurelii max. mod. (Theupoli.)

Videtur hic Attalus esse idem cum illo, qui item inscribitur numis Laodiceae.

Magistratus: ΣЄΡΓΙΟΣ. ΗΦΑΙΣΤΙΩΝ. sine mentione dignitatis, in numo Neronis. (Arigoni.)

Archon: ΑΡΧ. ΤΟ. Β. ΦΙΛΟΤЄΙΜΟ. ΙΟΥΛΙЄΩΝ. *Cybele sedens*, in cujus antica est caput rarissimae *Corn. Superae* cum epigraphe: ΓΑΙ. ΚΟΡ. СΟΥΠЄΡΗΝ. СЄ. Ita Pellerinius ex numo suo integerrimo [b]), qui et Vaillantium corrigit in eo describendo aberrantem.

Concordia cum Ancyra Phrygiae ex numo ΙΟΥΛΙЄΩΝ. ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ. a nonnullis, sed minus tuto, stabilita. Vide, quae monuimus in Ancyra Phrygiae.

AE. RR.

LAODICEA.

Ad Lycum fl. variis temporibus jam Phrygiae, jam Cariae accensebatur. De hujus urbis numis ac fortuna aliquando prolixe disserui in meis Numis vet. [c]), quorsum lectorem saepe remittam.

Autonomi:

ΔΗΜΟC. *Caput iuvenile laur.* ☧

a) Rec. III. p. 49. b) Mel. II. p. 231. c) pag. 250.

Digitized by Google

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Iuppiter togatus stans s. infantem tenet, dexteram ad capram adstantem extendit.* AE. III.

Numum hunc edidi ex museo M. Ducis, dixique, infantem esse Bacchum, quem Iuppiter et genuit, et quin conciperet, peperit quoque, per capram autem περολητικως notari metamorphosin, qua in istud animal infantem prae Iunonis metu mutavit. Vide hae uberius explicata [a])

* * *

ΔΗΜΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Caput virile imberbe laur.* ✠ ΙΟΥΛΙΟΣ. ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΣ. *Iuppiter togatus stans d. aquilam.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΒΟΥΛΗ. ΔΗΜ. *Capita Senatus et Populi.* ✠ *Eadem aversa.* AE. (Haym. T. II. tab. 26.)

Numum priorem olim vulgavi [b]). Quis fuerit hic *Iulius Andronicus*, et cur dictus Ευεργετης, *beneficus*, non reperi. Nonnullos Syriae et Aegypti reges dictos Evergetas, novimus. Sed et privatis, et quidem antiquitus etiam, idem a civitatibus delatum elogium, ex Lysia discimus [c]). Vide, quae de hoc titulo plura eodem loco observavi. Haymius in numo suo perperam capita Liviae et Augusti vidit. De Iove cum hoc cultu vere Laodicensi agam in imperatoriis.

* * *

ΕΠΙ. ΑΠΟΚΡΑ. *Caput Iovis.* ✠ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΦΟΡ. *Bacchus stans.* AE. III. (Pellerin.)

Additum ΦΟΡ. molestum est. Tenuiter suspicatur Pellerinius, explendum legendo ΦΟΡος, quia ex Cicerone constat, saepe *forum*, vel conventum Laodiceae actum. Istud an verisimile?

* * *

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Caput Mensis.* ✠ ΚΡΟΛΙΝΗ. (K et P colligatis) ΑΣ. *Aquila stans.* AE. III. (Pellerin.)

Mira aversae epigraphe, si modo rite proposita. De literis ΑΣ. vide infra in *Epocha*.

* * *

De *Cistophoris* hujus urbis agetur in tractatu de his.

* * *

Magistratus describentur in imperatoriis.

AR. Cistophori RRR. AE. RR.

Imperatorii:

Cogniti sunt ab Augusto usque ad Philippum jun.

Typi illustriores:

Iuppiter togatus stans d. aquilam, s. hastam.

Vaillantius cum juxta hunc Iovem in numo Augusti scriptum legeret ΖΕΤΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ., inde nobis novum, et hactenus inauditum *Iovem veritatis amicum* promulgavit, fluxitque eo praecone error per omnes deinceps antiquarios. Ejus lectionis primus, quod sciam, dubium movit egregius Wisius Anglus, qui in suo numo legit ΖΕΤΞΙΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ., non tamen ausus est Vaillantianum hunc Iovem penitus longaeva sua statione deturbare [d]). Audacior Pellerinius ipsam Vaillantii in numo Augusteo lectionem adortus eam erroris arguit, docuitque legendum: ΞΕΤΞΙΣ

a) Num. vet. p. 249. b) Sylloge I. p. 52. c) ὑπερ Πολυζενου. d) Mus. Bodl. p. 150.

Digitized by Google

(lege ΠΕΤΞΙΣ.) ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. [a]) quod subinde eruditus ejus assecla Blondius invictis argumentis confirmavit [b]). Epigraphen ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ nullo pacto ad Iovem pertinere arguit ejusdem Augusti numus a Wisio citatus, in quo pro Iove proponitur baculus Aesculapii [c]). Qui fuerint *Zeuxis* et *Philalethes*, infra in Magistratibus docebitur. Ceterum Iuppiter hoc habitu haud dubie princeps fuit Laodicenorum numen, nam non solum in Laodiceae numis obvius est, sed etiam in numis concordiae Laodiceam constanter sic indicat, ut Diana Ephesia Ephesum, sic ut Iuppiter hac forma tuto Laodicenus pro Philaletha dici possit. Fuere Laodicenses in Iovem suum grati, cujus monitu Antiochus II. Syriae rex eorum urbem aedificavit, eamque a sororis et conjugis nomine Laodiceam appellavit, ut refert Stephanus. Ejus religio Cariam, Lydiam, Phrygiam late pervasit, nam in harum regionum moneta frequens typus est Laodicensis hic Iuppiter.

* * *

Mulier s. infantem tenens, d. elata, sinuato circum peplo; armati tres Corybantes in orbem saltant, in arca aquila, humi duo fluvii jacentes, pone Fortuna stans, Caracallae. (Patin Thes. Mauroceni.)

Iovem a matre Rhea Saturni furori subtractum, et inter Corybantum armatorum tripudia educatum praeter alios copiose perhibet Callimachus in hymno in Iovem, et Spanhemius in hunc commentatus. Sed et Bacchum recens natum a Iove traditum Rheae, et ab hac inter Corybantum choreas gladiis scutisque perstrepentium fuisse enutritum, late describunt Nonnus [d]), et Clemens Alexandrinus [e]). Difficile ergo erit inter utrumque deum criterium, nisi adjunctum aliquid causam juvet; nam simile argumentum offerunt etiam numi Apameae Phrygiae, et Seleuciae Syriae. In praesente dubitari nequit proponi Iovem infantem propter adstitutam ejus aquilam, quae avis jam tum apud Iovem suas partes egit; nam ab ea deum infantem raptum, et ad latebras Cretenses perlatum, cum a Saturno ubique quaereretur, refert Servius [f]). Aliam famam videtur secutus auctor librorum Sibyllinorum, secundum quem Iuppiter natus commissus est tribus Cretensibus in Phrygia educandus [g]). Vnde Phrygiae urbi jus in hunc typum.

* * *

ΦΡΥΓΙΑ. *Mulier tutulata stans s. duo sigilla tenet, ei adversa stat* ΚΑΡΙΑ *specie mulieris tutulatae d. demissa spicas, s. cornucopiae tenentis, in utriusque medio sedet mulier capite turrito d. tenens Victoriolam, ut videtur, s. cornucopiae, infra eam scriptum* ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *supra* †ΠΗ. in numo Caracallae max. mod. (Mus. Caes. Pembrock P. III. tab. 101.)

Eundem hunc numum sic ex museo Christinae describit Vaillantius [h]): ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΠΡ. CΥΡΙΑC. ΟΜΟΝΟΙΑ. eumque adeo Laodiceae Syriae tribuit. Pro-

a) Mel. II. p. 13. b) pag. 56. c) l. c. d) Dionys. L. IX. v. 160. seq. e) Protrept. p. 15. ed. Oxon. f) ad Aen. I. 394. g) L. III. h) Num. Graec. p. 103.

Digitized by Google

lixe egi in meis Numis vet. [a]) in numo hoc cetera antiquo a recentiore manu depravatam epigraphen, ut ipse Romae vidi. Quod genius Laodiceae medius sedet inter genios Phrygiae, et Cariae, in causa esse dixi eodem opere [b]), quod in utriusque regionis finibus posita esset, sic ut saepe dubitaretur, ad utram pertineret. De literis ΤΠΗ. agetur infra in *Epocha*.

* * *

Magistratus: in numis autonomis, deinde primorum imperatorum notantur nulla dignitatis mentione, serius occurrunt scribae, praetores, Asiarchae, sophistae, et secundum aliquos etiam summus sacerdos, et poliarchus, ut dicetur. Numos his insignes describam secundum temporis progressum adjectis, ubi res postulabit, animadversionibus.

ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ. cum nomine Lentuli procos. in Cistoph. (Pellerin.) ΨΕΤΞΙΣ. ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ. ΤΟΥ. ΑΜΥΝΤΟΥ. in Cistoph. (Pellerin.) ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ. ΔΑΜΟΚΡΑΤΟΥ. ΨΩΣΙΜΟΣ. cum nomine Ap. Pulchri procos. in Cistoph. [c]) ΛΑΒΑΣ. ΠΥΡΡΟΥ. cum nomine M. Tullii procos. in Cistoph. [d]).

* * *

ΖΕΤΞΙΣ. *Iuppiter Laodicenus*, Augusti. (Wise p. 150.)

ΖΕΤΞΙΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. *Baculus Aesculapii*, Augusti. (Ibid.)

ΖΕΤΞΙΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. *Iuppiter Laodicenus*, Augusti. (Mus. Caes.)

Perperam Pellerinius in simili legit ΖΕΤΞΙΣ pro ΨΕΤΞΙΣ. [e]) nam hac aetate scribebatur Ψ pro Ζ, et in Cistophoro mox citato Pellerinius ipse legit ΨΕΤΞΙΣ. Hic Zeuxis, sociusque Philalethes a Strabone illustratur. Narrat hic: prope hanc Laodiceam medicorum ludum magnum Herophileum praeside Zeuxide, et postea Alexandro Philalethe imperante Augusto exstitisse ad exemplum ludi Erasistratei, qui fuit Smyrnae. Ambos his numis inscriptos esse eosdem, quos nominat Strabo, dubitari vix potest, non modo quia nomina, sed quia et tempora conspirant, nam horum plerique caput Augusti offerunt. Confirmat etiam istud numus alter, in quo praeter utriusque nomen baculus Aesculapii proponitur. Non tamen medici in moneta signati sunt, quia medici fuere, sed quia una cum artis suae exercitio etiam magistratu in urbe functi sunt. Hoc argumentum uberius olim tractavi in meis Numis vet. [f]) et supra in numis Smyrnae, ac praeterea Blondius [g]), et Wisius [h]).

* * *

ΠΥΘΗΣ. ΠΥΘΟΥ. ΤΟ. ΔΕΥΤΕΡΟΝ. in numo Augusti. (Haym. T. II. tab. 25.) ΠΥΘΗΣ. ΠΥΘΟΥ. est etiam in autonomo apud Hunterum.

* * *

ΠΟΛΕΜΩΝ. ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΣ. in numis Augusti. Sic legendum docet Pellerinius [i]) pro ΦΙΛΟΠΑΤΗΡ., ut est apud Vaillantium et Morellium, et pro ΦΙΛΟΚΡΑΤΩΡ., ut legit Harduinus.

---

a) p. 285. b) p. 252. c) Seguin p. 80. d) Seguin p. 82. e) Mel. II. p. 13. f) p. 253. g) Observat. p. 56. h) Mus. Bodl. p. 145. i) Mel. II. p. 13.

Digitized by Google

ΠΟΛΕΜΩΝΟC. ΤΟΥ. ΖΗΝΩΝΟC. Claudii. (Pellerin.)

ΕΤ. Γ. ΖΗΝΩΝΟΣ. ΠΟΔΙ. ΤΟ. Δ. Neronis. (Vaillant.)

Epigraphen hanc suspectam jure vocat Pellerinius. Censet legendum, ut in praecedente: ΠΟΛΕΜΩΝΟC. ΤΟΥ. ΖΗΝΩΝΟC [a]). Esse suspectam facile consentio, verum an continuo altera lectio valere debeat, dubito, nam neque epigraphes vocabula satis commode possunt componi, et uterque numus est diversi imperatoris, insuper in Vaillantiano το ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ est in antica, in Pelleriniano in aversa. Literas ΠΟΛΙ Vaillantius legit πολιαρχος, *praefectus urbis*. Si Poliarchorum saepius, et in aliis quoque numis mentio fieret, posset haec Vaillantii conjectura videri probabilis. Verum frustra in istud inquirimus, cum, ut dixi, tota lectio sit suspecta.

ΖΗΝΩΝΟΣ. ΖΗΝΩΝ. ΤΙΟΣ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Duae mulieres stantes cum hastis et dexteram jungentes, inter quas a summo deorsum scriptum:* ΟΜΗΡΟΣ. in numo Neronis. (Haym. T. II. p. m. 237.)

Numum hunc integerrimum vocat Haymius, at si typum faciunt duae mulieres, quid ad has facit Homerus? Credo saltem ab hac parte numum Haymianum aliquid passum, nam similis alter apud Morellium, etsi multum attrita inscriptione, figuram a dexteris stantem offert virilem, ac liberaliter barbatam [b]). Quis sit sensus trium praecedentium vocabulorum, quem insolita haec et adversa Graecae linguae metathesis turbat, decidere non ausim. Si statuamus, intercedere lapsum monetarii, et το ΖΗΝΩΝ praeponendum, sensus est facilis, ac tum forte το ΤΙΟΣ refertur ad sequentes binas urbes, sic ut hic Zeno dicatur filius Laodicensium et Smyrnaeorum, illorum natura (nam Zenones complures apud Laodicenos cum in numis, tum scriptoribus memorantur) horum adoptione. Hac ratione jactasse duas patrias etiam Attalum, nimirum has ipsas quoque, Laodiceam et Smyrnam, infra videbimus, et vidimus supra in numis Cotiaei, Varum dici υἱον πολεως.

Memorantur in his numis Zenones et Polemones. Horum nomina apud Laodiceam inclyta. Zeno rhetor insignis IIIvirorum aetate; ejus filius Polemo M. Antonii beneficio Ponti rex, ac forte ex eadem stirpe fuit Polemo sophista apud Trajanum, Hadrianum, Antoninum gratiosus, cujus filius Attalus, ut videbimus, frequens est in Laodiceae numis. Eam Zenonum et Polemonum stirpem prolixius per tenuem conjecturam deduxi in meis Numis. vet. p. 256. Zeno medicus Herophileus laudatur etiam a Diogene Laertio [c]).

* * *

ΙΟΥΛΙΟΥ. ΠΟΣΤΑΜΟΥ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Β. in numo Neronis.

Sic legendam epigraphen docet Pellerinius [d]) contra Vaillantium, qui in simili legit ΓΑΙΟΣ. ΠΟΣΤΤΜΙΟΣ. ΛΑΟΛΙΚΕΙΑΣ. Β. Tamen in simili Morellius legit: ΓΑΙΟΣ. ΠΟΣΤΟΤΜ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Β. [e]).

---

a) Mel. II. p. 35. b) in Nerone tab. XIII. n. 19. c) L. VII. §. 35. d) Mel. II. p. 35. e) Num. Neron. tab. 13. n. 4.

Digitized by Google

ΔΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΔΙΑ. Κ. ΔΙΟCΚΟΤΡΙΔΟΤ. *Iuppiter Laodicenus stans*, Domitiae, (Haym.) at in simillimo alio: ΔΙΑ. ΚΟ. (utraque hac litera colligata) ΔΙΟCΚΟΤΡΙΔΟΤ. (Mus. Caes.)

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΔΙΑ. ΚΟ. ΔΙΟCΚΟΤΡΙΔΟ. *Templum* 6. *columnarum*, Domitiae. (Haym.)

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΔΙΑ. R. ΔΙΟCΚΟΤΡΙΔΟΤ. *Templum* 4. *columnarum*, Domitiae. (Mus. Caes.)

Haymius το ΔΙΑ. in his numis esse praepositionem recte judicavit, nam sic etiam Attudenses et Cidraenni Phrygiae magistratus suos inscripsere; etsi is ee peccet, quod literas K. vel KO. legat KOσμυ, qui fuit Cretensium magistratus [a]). Rhellius in subjecta nota verius censet, το KO. esse pro KOιντος, sed το ΔΙΑ. putat indicare *Iovem* Laodicensium, quod post citata mox Phrygiae urbium exempla nemo jam credit. Spanhemius in numo simili legit ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΔΙΟCΚΟΤΡΙΑ pro solito ΔΙΟCΚΟΤΡΙΔΟΤ, qua is lectione deceptus celebrata Laodicenis Dioscuria perperam adseruit [b]). Est ergo Dioscurides magistratus Laodiceae, et monogramma R, vel melius KOP. literis nexis, ut est in integerrimo musei Caesarei, resolvendum perinde in literas KOP, atque illud sic resolvi debet in obviis numis Corcyrae, et, quod sequitur, habemus ex his numis *Cornelium Dioscuridem*.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC. ΓΡΑΜ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *variis typis*, in numis compluribus Hadriani et Sabinae. (Vaill.)

ΑΓΡΙΠΠΙΝΟC, CΤΡΑΤΗΓΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. Hadriani, (Mus. Caes.) Sabinae. (Pellerin, Pisani.)

In unis his numis Agrippinus dicitur praetor, cum in aliis dicatur scriba. Quae fuerit hujus variationis causa, difficile est conjicere. Vide de hoc argumento tractatum de Praeterib. et Scribis Vol. IV. Praetorem mox infra habebimus M. Aurelium Garum, sed cum is numus indicet concordiam cum Epheso, definiri tute nequit, utrius urbis praetor is fuerit. Alii numi praetorem non memorant. Habemus apud Gruterum marmor positum L. Antonio ΛΑΟΔΙΚΕΙ. ΤΗC. ΑCΙΑC. CΤΡΑΤΗΓΩ. etc.

Π. ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟC. ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Iuppiter Laodicenus*, Aurelii. (Vaill.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput nudum Senatus.* Ϟ ΑΤΤΑΛΟC. ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ. ΑΝΕΘΗΚΕ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Nemesis alata cubitum ostentat.* ΑΕ. m. m. (Mus. Pisani tab. III.)

ΑΤΤΑΛΟC. CΟΦΙCΤΗC. ΤΑΙC. ΠΑΤΡΙCΙ. CΜΥΡ. ΛΑΟ. *Typi varii, semper utriusque urbis, Smyrnae et Laodiceae, numina sistentes*, Aurelii. (Vaill. in num. Aurelii sub *Smyrna.*)

Fuit hic. P. Claudius Attalus famigerati Polemonis, atque item sophistae filius [d]). Cum Polemoni patria fuerit Laodicea, fuit illa et filio Attalo, at cum constet, Polemoni non modo ma-

a) Tom II. p. m. 259. b) ad Callim. in Pallad. v. 24. c) p. 522. f. d) Philostr. in vita Hermocratis.

Digitized by Google

gnam fuisse cum Smyrnaeis amicitiam, sed etiam multis hos beneficiis ab eo auctos, de quo multa olim scripseram [a]), factum, ut pater filiusque a gratis Smyrnaeis adoptarentur, duasque adeo Attalus in numis suis jactaret patrias, Smyrnam et Laodiceam. Duplicem patriae rationem jam tradidit Cicero [b]): *Omnibus municipibus duas censeo esse patrias, unam naturae, alteram civitatis, ut ille Cato, cum esset Tusculi natus, in populi R. civitatem susceptus est. Itaque cum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris.* Ergo et Phormis Maenali Arcadiae natus, sed in Siciliam transgressus, auctusque ibi opibus, Olympicis suis donis inscripsit: Φορμις ἀνεθηκεν Αρκας Μαιναλιος, νυν δε Συρακουσιος. *Phormis dedicavit Arcas Maenalius, nunc vero Syracusanus* [c]). In marmore Graeco dicitur ΕΠΑΦΡΑC. ΚΡΗC. ΠΟΛΥΡΗΝΙΟC. Ο ΚΑΙ. ΚΙCΑΜΙΟC [d]). Fuere autem Polyrhenium et Cisamus Cretae urbes. At enim adoptiones hae, et delata civitatis jura honoraria plerumque fuerunt. In numis Maeoniae Lydiae vidimus nomen archontis: ΑΠΦΙΑΝΟΥ. ΤΟΥ. ΚΑΙ. ΑΘΗΝΑΙΟΥ. Alii in multas numero patrias se divisere, ut Septimius quidam fuit Περγαμηνος, και Σμυρναιος, και Αθηναιος, και Εφεσιος. [e]) quin et M. Aur. Asclepiades dicitur Αλεξανδρευς, Ερμοπολειτης, Ποτιολανος, Νεαπολειτης, και Ηλειος, και Αθηναιος βουλευτης, και ἀλλων πολεων πολλων πολιτης και βουλευτης [f]). Fuit igitur varia naturae et juris patria, ut et parentes. In inscriptione Ancyrana, quam vulgavit Montfauconius [g]), dicitur Μητροδωρος Μενεμαχυ φυσει Δειρυλαυ, quod non recte intellectum is sic vertit: *Metrodorus Menemachi natione Dorylai*, cum sit: *Metrodorus Menemachi* adoptione *filius*, *natura Dirylai*. Graeci utramque modum vocabulis γενει et θεσει seu ποιησει distinxerunt. Sic in decreto Halicarnassensium apud Iosephum [h]): Επι ἱερεως Μεμνονος του Ορεστειδου, κατα δε ποιησιν Ευωνυμου. *Sacerdote Memnone Orestidis Filio, adoptione Evonymi.*

Accedimus ad ΕΠΙΝΙΚΙΟΝ numorum II. et III. Totam eorum epigraphen sic explicat Vaillantius: *P. Claudius Attalus pro victoria epulum posuit.* At Harduinus: *statuam pro Victoria posuit.* Prior sententia nulla certa ratione nititur, et forte suam quoque inhibuisset Harduinus, si vidisset laudatum autonomum typo Nemesis, aut coactus fuisset, duplicem pro una statuam ab Attalo positam adserere. Quale fuerit istud ἐπινικιον, quod causa victoriae dedicavit Attalus, ignoramus sane, etsi certum sit, illud constitutum propter victorias a L. Vero in oriente relatas; nam harum causa malta in Graeciae urbibus celebrata festa comprobant copiosi numi tum signati cum epigraphe ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ., de quibus agam latius in numis M. Aurelii. Diversis vero typis, uno Iovis Laodiceni, altero Nemesis, certo Smyrnaeorum numine, credo indicari, ab Attalo in utramque urbem ἐπινικια hujus beneficium profectum, quem nimirum constat, ut pro-

a) Num. vet. p. 256 seq. b) de Legib. L. II. c. 2. c) Pausanias L. V. c. 27. d) Dorville Sicula p. 595. e) Marm. Oxon. VII. f) Gruter. p. 314. 1. g) Palaeogr. Graec. p. 154. h) Ant. L. XIV. c. X. §. 23.

Digitized by Google

xime diximus, tam Smyrnam, quam Laodiceam patriae instar habuisse. Verisimile videtur, vocabulo ЄΠΙΝΙΚΙΟΝ. notari ipsum istud νομισμα occasione victoriae a liberali Attalo erogatum. Nam si festum, aut ludi aut epulae notarentur, more recepto scriptum foret ЄΠΙΝΙΚΙΑ, ut istud revera scriptum habemus in numis Tarsi, aut, ut dixit Lucianus [a]), ἐυωχεισθαι τα επινικια, *victoriae convivium celebrare*. Sed vide etiam, quae de hoc in diatriba de numis cum formula ΑΝЄΘΗΚЄΝ, et in ludis *Epinicia* amplius dicemus.

* * *

Λ. ΑΙΛ. ΠΙΓΡΗС. ΑСΙΑΡΧΗС. Γ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. in numo Caracallae.

Pellerinius numum hunc a cl. Boze editum, similesque alios admodum suspectos vocat [b]). Sed et alius ejusdem Caracallae est in museo Albani: ЄΠΙ. Λ. ΑΙΛ. ΠΙΓΡΗΤΟС. ΑСΙΑΡ. *Processus Bacchi*, qui numus sane suspectus non videtur.

* * *

Λ. ΑΙΑΝ. ΓΩΤΑΜ. ΑΡΧ. ΜЄΓ. ΑΝЄΘΗΚЄΝ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ, in numo Caracallae.

Suspectus item visus Pellerinio, qui et iconismum proposuit, quod exhibet aedificium apertum, multisque figuris ornatum [c]). Idem numus exhibetur etiam in Maffei Verona illustrata [d]).

* * *

ЄΠΙ. СΤΡ. Μ. ΑΤΡ. ΓΑΡΟΤ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. Κ. ЄΦЄСΙΩΝ. Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. in numo Elagabali. (Vaill.)

Vide, quae de hoc numo supra in magistratu Agrippino diximus.

* * *

Neocoratus.

Ejus primum mentio in numis Caracallae et Domnae, et continuatur in pluribus sequentibus. In variis numis Caracallae et Maesae additur: ΔΟΓΜΑΤΙ. СΤΝΚΛΗΤΟΤ. (Vaillant, Pellerin, in meis Num. vet. p. 250.) quo indicatur, Laodicenos ex S. C. neocoratum adeptos. Vide, quae de hac formula ad neocoratum Smyrnae in hujus moneta notavimus. Singularis est numus Caracallae, quem laudat Vaillantius, et qui pictus exstat in numis max. mod. reg. Gall. tab. XIX., in cujus aversa: ΚΟΜΟΔΟΤ. ΚЄ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΤ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΔΟΓΜΑΤΙ. СΤΝΚΛΗΤΟΤ. Vaillantius vertit: *Commodo Caesare Antonino*, id est: *imperante*. Harduinus: *Commodi et Antonini*. Neuter, quis sit hic Commodus, edisserit. Abstineo in re incerta.

ЄΤΤΤΧЄΙС. ΚΑΙΡΟΙ. ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Quatuor pueri tempestates anni significantes*, Caracallae. (Vaill.)

Videtur typus adludere ad neocoratum a Caracalla concessum, alieque beneficia ab eo impetrata. Sane complures numi maximae formae sub hoc imperatore signati sunt.

ΛΑΟΔ. ΠΡΩΤΩΝ. Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. in numo Caracallae, quem recitat Harduinus, sed et solus, in quo singularia sunt et ΠΡΩΤΩΝ. et Γ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ., unde suspectum Harduini testimonium.

---

a) In Πλοιῳ. b) Mel. I. p. 67. c) Mel. I. p. 69. d) pag. 235.

Digitized by Google

* * *

Ludi: ΠΥΘΙΑ. *Duae urnae.* Caracallae. (Mus. Flor. Vol. III. p. 50.)

* * *

Concordia cum variis provinciae Asiae urbibus, extra hanc cum Nicomedia, sed qui numi nihil observatu dignum suppeditant.

* * *

Mentio situs:

A fluviis *Lyco* et *Capro.* ΛΥΚΟC. ΚΑΠΡΟC. *Genius urbis sedet inter duos fluvios humi decumbentes,* Commodi. (Vaill.)

Plinius: *imposita est Lyco flumini, latera alluentibus Asopo et Capro.* In marmore bilingui apud Sponium [a]: O. ΔΗΜΟΣ. O. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΛΥΚΩ. POPVLVS. LAODICENSIS. A. F. LYCO.

A fluvio *Maeandro*, ut censet Cl. Blondius, de quo continuo judicabimus.

* * *

Epocha:

In compluribus numis Caracallae (unum Domnae addidit Sestinius) [b] exstant literae ΤΠΗ cum variis typis apud Vaillantium, Pellerin, Theupoli, Wise, Patin Thes. Mauroc., Pembrock P. III. tab. 101., in museo Caesareo. Hactenus ab omnibus creditum, his literis notari epocham. Primus, qui dubium moveret, fuit Wisius, negans tuto posse adfirmari, iis designari epocham, nihil tamen decidit [c]. Hunc secutus eruditus Abbas Blondius epocham omnibus machinis impugnare coepit eo praecipue ex capite, quod in numo Pelleriniano, qui examinis sui causa fuit, scriptum reperit, non, ut in aliis ΤΠΗ., sed ΤΠΜ. Verius ergo dictae literae, ut ipse censet, hunc sensum faciunt: Των Προς Μαιανδρον [d]. Pellerinius, qui antea binis locis tuebatur, has literas aliud quam epocham notare non posse [e], serius in Blondii sententiam ivit, aut potius novae hujus sententiae ipse auctor exstitit, ut colligitur ex ejus Additions pag. 77.

Has tamen literas significare non posse Των Προς Μαιανδρον, satis mihi videor probasse in meis numis vet. [f]. Nolo recoquere argumenta, quibus ibi usus fueram, et quibus in praesens nihil habeo, quod addam vel detraham. Verisimile etiam tum visum, iis revera notari epochae annum, in qua sententia nunc quoque sum, sic tamen, ut nolim pertinaciter ei inhaerere, aut arbitrari, eas literas alium sensum admittere non posse. Si igitur revera epocham notant, investigandum ejus principium. Eam Vaillantius fixit ad annum V. C. 565., cum quo sentit etiam Belleyus [g]. Sed variis ex causis ejus principium fluctuat inter 577. et 582., ac verisimilius est ipse annus 577. pro ejus exordio statuendus. Vide rationes a me alibi copiosius expositas [h]. Si literae ΛΣ, quae sunt in autonomo Pelleriniano, epochae quoque annum indicant, et ab eodem hic principio deducatur, aetas numi incidit in imperium Claudii.

Anni imperii: Hos puto notari in

---

a) Voyage T. III. p. 145. b) Lett. T. IV. p. 126. c) Mus. Bodl. p. 205. d) Observat. p. 45. e) Mel. II. p. 149. et 323. f) pag. 260. g) Mem. B. L. T. XXXV. p. 646. h) Num. vet. p. 261. seq.

Digitized by Google

binis Morellianis cum capite Neronis. In utriusque area est cerona columellae imposita, intra unam scriptum B., intra alteram Z [a]).

AE. C.

LYSIAS.

Versus Cariam.

Autonomi:

BOTΛH. Ϫ ΛTCIAΔЄΩ. *Hecate triformis.* (Maffei Veron. ill. p. 235.) Vide et Harduinum et Musellium.

AE. RRR.

Imperatorii.

Gordiani tantum. ΛTCIAΔЄΩN. *Mulier tutulata sedens d. pateram.* (Pellerin Rec. III. p. 251.) Alius citatus a Panelio ex Musco le Bret. (Mem. Trev.)

* * *

Alexander M. in numo concordiae cum Apollonia Cariae, quam vide.

AE. RRRR.

MANTALVS.

A Stephano prodita, cui numum *Hadriani* tribuit Frölichius [b]), inscriptum, ut rebatur, MANTAΛHNΩN. Verum hunc numum esse Salae Phrygiae, in hujus urbis moneta docebimus. Alium *M. Aurelii* cum epigraphe MANTAΛHNΩN. NЄΩKORΩN. et typo Atyos edidit Vaillantius, sed auctor ipse de fide hujus numi dubitat [c]).

METROPOLIS.

Phrygiae magnae.

Autonomi:

Sunt hi incerti, quia plures fuere hoc nomine urbes. Quem Pellerinius dedit cum capite Palladis et fulmine, vel eo ipso judice dubium est, an huc pertineat.

Imperatorii:

Plurimi citantur in catalogis a Nerone usque ad Saloninum, quorum alii nude inscribuntur MHTPOΠOΛЄITΩN, alii addunt: ЄN. IΩNIA. Vaillantius prioris generis omnes Metropoli Phrygiae tribuit, posterioris Metropoli Ioniae. Eandem sententiam videtur adoptasse Harduinus, atque alii antiquarii non repugnant. Numi, qui Ioniae mentionem faciunt, dubitare non sinunt, quorsum pertineant, at qui hanc omittunt, dubitandi jure locum praebent, an non eorum saltem complures Ionicae sint vindicandi, propterea quod eosdem omnino typos exhibent, qui sunt in certis Metropolis Ioniae, quod ipsum etiam Pellerinium ambiguum reddidit [d]). Vide, quae supra ad hanc Ioniae urbem observavi. Notandum, quod forte juvare poterit hos numos magis expendentem, in numis simplici MHTPOΠOΛЄITΩN. inscriptis frequenter legi magistratum, in alteris cum Ioniae mentione nunquam, quamvis etiam in illis typi sint in Ionica passim obvii.

---

a) In Neron. tab. XIII. n. 4. et Tab. XVII. n. 17. b) IV. p. 183. c) Num. Graec. p. 219. d) Mel. II. p. 55.

Digitized by Google

Exstat tamen unicus certus hujus Phrygiae Metropolis:

ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΦΡΥΓ. *Manipulus 5 spicarum*, in numo Hostiliani. (Pellerin Rec. III. p. 23o.)

Magistratus praetor, in numis inscriptis ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΙΤΩΝ tantum, inde ab Alexandro usque ad Gallienum.

Ludi: ΚΑΙCΑΡΕΑ. CΕΒΑCΤΑ. *Vrna*, rursum in his tantum, cum capite Otaciliae, Valeriani, ejusque familiae. (Vaill.)

AE. RRRR, qui certo sint hujus Metropolis.

MIDAEVM.

In Phrygia Epicteto, quo loco Sex. Pompejus ab Octaviano victus jussu M. Antonii caesus est [a]). Ejus numorum pleniorem catalogum vide apud Sestinum [b]).

Imperatorii.

A Trajano usque ad Philippum jun., suntque apud Vaillantium, Pellerinium, in Mus. Caes.

Epigraphe: ΜΙΔΑΕΩΝ., sed in numo Trajani ΜΙΔΑΩΝ, (Pellerin Mel. I. p. 342.)

ΤΟΝ. ΚΤΙCΤΗΝ. ΜΙΔΑΕΩΝ. *Caput Midae barbatum pileo Phrygio tectum*, in numo Gordiani. (Pellerin Rois pag. III.)

Hujus Phrygiae regis caput est etiam in numis vicinorum Cadorum, et Prymnessi adscripto ΒΑCΙΛΕΤC. ΜΙΔΑC. Credidere ergo Midaenses, urbem suam a vetusto hoc rege et aedificatam, et denominatam. Connexum argumentum habent numi alii:

Midas stans cum pileo Phrygio: Caracallae. (Mus. Caes.) In alio, quem vidi: *Satyrus stans d. fistulam pastoritiam, s. pedum*, Caracallae. In alio: *Bacchus stans*, Philippi jun. (Mus. Caes.) Nimirum Midas Satyrum vel Silenum vino inebriatum cepit, eumque Baccho restituit, de quo vide numos Ancyrae Galatiae.

* * *

Hercules Telephum in ulnis gestans, pro pedibus cerva, Alexandri. (Pellerin.)

Similem typum profert Vaillantius in numo Domnae, sed pro Telepho Hylan, pro cerva canem putat. (de Camps.)

* * *

ΕΛΑΤΗΣ. ΜΙΔΑΩΝ. *Fluvius decumbens*, Trajani. (Pellerin Mel. I. p. 342.)

Elatis fluvii nullus veterum meminit. Quare conjicio, fuisse fontem solis Midaensibus honoratum, cetera ignobilem. Vide numos Phocaeae Ioniae. Notandum in hoc numo, in antica scribi Ε et C, at in aversa E et Σ.

* * *

Magistratus archon: ΕΠΙ. ΑΤΡ. ΔΙΟΝΤCΙΟΤ. ΠΡ. ΑΡΧ. ΜΙΔΑΕΩΝ., in area B, in numo Philippi. (Panel de numo Trebon.)

AE. RR.

MOCOCLIA.

Vaillantius et Harduinus Gordiani

a) Dio. b) Lettere T. III. p. 74.

Digitized by Google

numum afferunt: MOKOKAIEΩN. typo *Cybeles*. Eum tribuunt Phrygiae urbi, quam Stephanus vocat Μοκκλη. Suspecta omnia.

NACOLEA.

In Phrygia Epicteto, ad quam urbem Procopius tyrannus a Valente oppressus est. Hujus quoque numorum catalogum habes apud Sestinum [a]).

Autonomi:

Caput Dianae. ☧ NAKOΛEΩN. *Apollo nudus stans cum plectro et lyra.* AE. III. (Pellerin.)

APTEMIΔOΣ. *Diana stans telum e pharetra promit.* ☧ NAKOΛEΩN. *Apollo stans d. pateram, s. lyrae innixus.* AE. III. (Sestini l. c.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

Domitiani et Gordiani apud Pellerinium [b]), Trajani apud Vaillantium, Caracallae in Theupoli, Getae in Museo Caes.

Epigraphe NAKOΛEΩN. *Typi* obvii.

Magistratus archon in numo Caracallae. (Theupoli.)

AE. RRR.

OTRVS.

Varie scripta a veteribus, versus lacum Ascanium, ut dicetur.

Imperatorii.

Horum quatuor editi, Domnae, Caracallae, Plautillae.

AΛEΞANΔPOC. ANEΘH. OTPOHNΩN. *Pallas stans*, Domnae. (Pellerin Rec. III. p. 253.)

AΛEΞANΔPOC. ACIAPXHC. ANEΘHKEN. OTPOHNΩN. *Aeneas parentem humero efferens comite Ascanio*, Caracallae. (Mus. Caes.) *Vir ex terra in navim prosiliens et respiciens d. protenta, s. hastam*, Getae. (Sestini Lettere p. 116.)

Strabo Otrum, vel ut ipse scribit, Otraeam supra Ascaniam lacum in finibus Bithyniae locat. Videtur verisimile, Otroenos typum Ascanii legisse propter lacum cognominem, cui adsiti fuere, et cui forte ibi honores aliqui habiti sunt.

OTPOHNΩN. *Ceres stans*, Plautillae. (Catal. d'Ennery.)

AE. RRR.

PELTAE.

Versus Apameam. Vrbis situm et monetam copiosius alibi descripsi. (Num. vet. p. 263.)

Autonomi:

BOTΛHC. *Caput muliebre velatum.* ☧ ΠEΛTHN--MAKEΔ. *Aquila stans.* AE. (Vidi Bononiae in mus. Rev. Abb. Trombellii.)

BOTΛH. ΠEΛTHNΩN. *Caput ve-*

a) Lettere T. III. p. 77. b) Rec. III. p. 212.

Digitized by Google

latum. Ϫ ΠΕΛΤΗΝΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. *Nemesis stans, pro pedibus rota.* (Pembrock.)

Harduinus in simili ex Nemesi Mercurium, ex rota cadum vini facit [a]).

AE. RRR.

Imperatorii:

ΠΕΛΤΗΝΩΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. --- *Hercules leonem suffocans*, Antonini. AE. m. m.

Hunc numum olim edidi ex Museo M. Ducis. (l. c.)

ΠΕΛΤΗΝΩΝ. ΜΑΚ. ΑΡ -- ΦΑΥΣΤΕΙΝΟΥ. *Imperator eques jaculum vibrat*, Alexandri. (Catal. d'Ennery.)

AE. RRRR.

PHILOMELIVM.

Phrygiae M. prope Pelten.

Autonomus:

Protome Victoriae. Ϫ ΦΙΛΟΜΗΛ. ΣΚΤΘΙ. *Duplex cornucopiae mediis astris solis et lunae.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

Ab Augusto ad Decium. (Vaill. Pellerin, Mus. Caes. Arigoni, Panel de numo Treboniani.) Nonnulli insignes maximae formae sunt in museo Caesareo, quorum binos olim edidi. (Sylloge I. p. 52.)

Epigraphe: ΦΙΛΟΜΗΛΕΩΝ, rarius ΦΙΛΟΜΗΛΙΩΝ.

Typi obvii.

Magistratus inscribuntur plerumque, sed omissa dignitate, ut: ΕΠΙ. ΜΑΡΚΟΥ. ΝΕΚΤΟΡΟϹ. Philippi sen. (Mus. Caes.)

Concordia: ΦΙΛΟΜΗΛΙΩΝ. ΑΔΡΙΑΝΩΝ. *Fortuna stans*, Domnae.

Pellerinius in hoc numo concordiam inter Philomelium, et Hadrianos Bithyniae videt. Verius credo, ΑΔΡΙΑΝΩΝ esse nomen honorificum in Hadriani gratiam adscitum, nam abest το ΟΜΟΝΟΙΑ, et typus est simplex.

Literae solitariae in numis Philippi et Decii. (Mus. Caes. Panel l. c.)

AE. RR.

PRYMNESSVS.

In Phrygia magna exigui nominis.

Autonomi:

ΒΟΥΛΗ. Ϫ ΠΡΥΜΝΗΣΣΕΩΝ. *Mulier stans d. bilancem, s. spicas.* AE. (Mus. Caes. Pembrock.)

ΜΙΔΑϹ. ΒΑϹΙΛΕΥϹ. *Caput Midae pileo Phrygio tectum.* Ϫ --- ΗΣΣΕΩΝ. *Idem typus.* AE.

Sponius, qui alterum hunc numum vulgavit, quo eum referret, anceps haesit [b]). Eundem numum restituens Gronovius in Thyessum Lydiae propendit [c]). Numi praecedentes suae eum patriae invicte vindicant. Crediderint ergo Prymnessenses, urbem suam a Mida conditam. Revera Strabo ad Sangarium fl. domicilia veterum Phrygum, Midae, Gordii, aliorumque constituit, sed quae ejus aetate pagi potius fuere [d]), inter quae haud

a) ad Plinium T. I. p. 276. b) Misc. p. 130. c) Thes. ant. Graec. T. I. lit. T. d) L. XII.

Digitized by Google

dubie memoranda Midaeum, Cadi, Prymnessus, quae, ut vidimus, Midae caput in numis proposuere.

Vide autonomos alios apud Arigonium, et in meis Numis vet [a]).

AE. RR.

Imperatorii:

Ab Augusto ad Gallienum. (Vaill. Haym, Pellerin, Arigoni.)

Epigraphe: ΠΡΤΜΝΗCCЄΩΝ.

Typi fere unici, ut in autonomis: *Mulier tutulata stans vel sedens d. bilancem, s. spicas.*

Magistratus notatur in numis Augusti et Neronis, sed sine mentione dignitatis. Singularis foret is, quem Haymius cum capite, ut censet, Tiberii protulit, in cujus aversa: ΤΠΑΤΟC. ΦΙΛΩΤΗC., verum ipse fatetur, το ΤΠΑΤΟC. dubiae esse lectionis [b]).

Huc etiam pertinet numus, in quo Vaillantius et Morellius perperam legerunt ΠΡΙΗΝΕΩΝ, ut dixi in Prienе Ioniae.

AE. RR.

SALA.

Versus Lyciam, memorata Hierocli.

Autonomi:

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC Χ. ЄΠΙ. ΔΗΜΑ. CΑΛΗΝΩΝ. *Mulier seminuda stans d. coronam, s. galeam, et simul columnae innixa.* AE. II. (Pellerin.)

Huic similem edidit Khellius, sed cum in aversa legeret: ЄΠΙ. ΔΑΜΑ. Γ. ΑΛΗΝΩΝ., eum Aliae Phrygiae tribuere non dubitavit [c]). Etsi Khellius numum suum integerrimum fateatur, tamen praeferenda videtur Pellerinii lectio, nam Alia constanter scripsit ΑΛΙΗΝΩΝ. Videtur ergo deceptus Khellius legendo Γ pro Ε.

Protome Palladis. Χ ΔΗΜΟC. CΑΛΗΝЄΙΤΩΝ. *Telesphorus stans.* AE. III. (Pellerin.)

Vide autonomos alios apud Pellerinium et Hunterum.

* * *

Magistratus omnibus inscribuntur omisso dignitatis titulo. Quare dubitem, an numus Pembrockii CΑΛΗЄΙΝΩΝ typo *bovis currentis*, qui et a solito gentili CΑΛΗΝΩΝ recedit, et magistratu caret, hujus sit urbis.

Sacerdos: ЄΠΙ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟΥ. ΙЄΡЄ. *Mercurius stans.* (Hunter.)

AE. RR.

Imperatorii:

Hadriani, Antonini, Aurelii, Severi. (Pellerin, Mus. Caes., B. L. Hist. T. XVIII. p. 227.) Numum Antinoi in hujus numis dabimus.

Epigraphe CΑΛΗΝΩΝ. *Typus* constans: Juppiter Laodicenus.

Magistratus in omnibus legitur, ut in autonomis, atque item sine dignitatis mentione.

a) P. 265. b) Tom. II. p. m. 227. c) Adpendic. II. p. 32.

Digitized by Google

* * *

Numi CAΛITΩN a Vaillantio vulgati hujus Salae non sunt, sed Elaeae Aeolidis, ut in hac dictum.

In numo Hadriani cum eodem Iove Laodiceno perperam legit Frölichius MANTAΛHNΩN. a) in quo certum est CAΛHNΩN. Is numus nunc est in Caesareo.

AE. RRR.

SEBASTE.

Ab Hierocle et Notitiis in Phrygia Pacatiana constituitur. Sed verisimile est, non esse illam diversam a Sebaste Galatiae, in qua adeo quaere numos, qui praetensae huic Phrygiae Sebaste ab eruditis tribuuntur.

STECTORIVM.

Ejus mentio fit in Notitiis nomine Στεκτοριον, aut simili. Tamen ejus quoque meminere Pausanias et Ptolemaeus, sed nominibus luxatis. Ille b) ἐν ὄρεσι Φρυγῶν ἐς Τεκτοριγνων, pro quo reponendum: Στεκτοριγνων. Ptolemaeus: Στεκτοριον, in aliis editionibus magis prave. Lectionem veram restituunt numi.

Autonomi:

ICPA. BOTAH. Σ CTЄKTOPHNΩN. *Hygia.* AE. II. (Pellerin.)

ΔHMOC. CTЄKTOPHNΩN. *Fortuna stans.* AE. II. (Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorius.

ЄΠI. CTP. ΠATΛOT. CTHKTOPHNΩN. *Cervus,* Faustinae jun. (Vaill.)

AE. RRRR.

SYNAOS.

In Phrygia M. versus Mysiam.

Autonomi:

IЄPA. CTNKΛHTOC. Σ CTNAЄITΩN. *Aesculapius et Hygia stantes.* AE. II. (Pellerin.) In alio: *Duae Nemeses stantes.* AE. III. (Pembrock.)

AE. RRR.

Imperatorius.

Vnicus Neronis et Agrippinae, qui nunc est in Caesareo, editus a Frölichio ex museo Granelliano c): CTNAЄITΩN. *Hercules stans telum ex arcu evibrat.*

AE. RRRR.

SYNNADA.

In Phrygia M. Fuere Synnada, ut et vicinum Docimeum, marmore nobilitata, quod dictum fuit et Synnadicum, et Docimeum, numorum quoque typis confirmatum. Ejus excellentiam et naturam describit Statius d):

Sola cavo Phrygiae quam Synnados antro.
Ipse cruentavit maculis lucentibus Atys.

Adde ibidem L. II. carm. II. v. 87.

a) IV. Tent. p. 183. b) Phoc. p. 864. c) IV. Tent. p. 165. d) Silv. I. carm. V. v. 37.

Digitized by Google

Autonomi:

Caput muliebre turritum. ΣΤΝΝΑΔ. ΜΑΙΑΝΔΡ.

in alio: ΣΤΝΝ. ΑΔΜΗΤ. *Iuppiter stans cum fulmine et hasta.* AE. II. (Pellerin.)

Hos numos data opera sic descripsi, quia Pellerinius το ΜΗΤ. alterius numi explet: ΜΗΤ*ροπολις*, quod viro erudito mirum visum, cum non constet, Synnada fuisse metropolin. At mihi verisimilius videtur, alterum epigraphes versum constituere magistratum *Admetum*, ut eum constituit *Maeander* numi prioris.

* * *

ϹΤΝΝΑΔЄΩΝ *Caput barbatum nudum.* Ϗ ΔΩΡΙЄΩΝ. ΙΩΝΩΝ. *Templum 2 col., intra quod lapis, ut videtur.* AE. (Tristan. T. II. p. 202. Arigoni.)

ϹΤΝΝΑΔЄΩΝ. *Caput simile.* Ϗ ΙΩΝΩΝ. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin.)

Caput Sarapidis. Ϗ ΣΤΝΝΑΔΕΩΝ. ΙΩΝΩΝ. *Mons.* AE. (Theupoli.)

ΒΟΤΛΗ. Ϗ ϹΤΝΝΑΔЄΩΝ. ΔΩΡΙЄΩΝ. *Vir galeatus paludatus stans d. hastam, s. sigillum Palladis.* AE. (Haym.)

De epigraphe ΔΩΡΙЄΩΝ. ΙΩΝΩΝ. agam in imperatoriis. In numo vicini Docimei mons quoque aversae typum facit, quo vicinae lapicidinae indicantur, ut in moneta Docimei notavi.

* * *

ϹΤΝΝΑΔЄΩΝ. *Noctua amphorae insistens.* Ϗ ΟΤΑΛЄΡΙΑΝΟ -- *Aquila.* AE. (Haym.)

Antica tota Attica est, nimirum Attici Ioues, et hos sese professi sunt Synnadenses. Epigraphen aversae corrigendam censet Khellius in nota subjecta ex numo Augusti, in quo ΟΤΑΛЄΡΙΟϹ. ΑΝΘΤΠΑΤΟϹ. Aquila Iovem Pandemum respicit, de quo infra.

* * *

ΙЄΡΑΝ. ϹΤΝΚΛΗΤΟΝ. ϹΤΝΝΑΔΩΝ. *Caput muliebre laur.* Ϗ ΔΗΜΟϹ. ΡΩΜΑΙΩΝ. *Mulier stolata.* (Holsten. ad Steph. p. 307.)

ΘЄΑ. ΡΩΜΗ. *Caput muliebre turritum.* Ϗ ϹΤΝΝΑΔЄΩΝ. *Nemesis.* AE. (Mus. Caes.)

ΒΟΤΛΗ. — ΙЄΡΑ. ΒΟΤΛΗ. apud varios.

AE. RR.

Imperatorii.

Ab Augusto usque ad Gallienum.

Epigraphe: ΣΤΝΝΑΔΕΩΝ, etiam ΣΤΝΝΑΔΕΙΣ. In numo musei Caesarei est luculentum ϹΤΝΝΑΔΙϹ, ex quo apparet, hanc urbem in recto quoque dictam Συνναδις.

* * *

ΖΕΥΣ. ΠΑΝΔΗΜΟΣ. ΣΤΝΝΑΔΕΩΝ, vel: ΔΙΑ. ΠΑΝΔΗΜΟΝ. ΣΤΝΝΑΔΕΙΣ. *Iuppiter sedens, d. Victoriolam, s. hastam,* Domitiani et Nervae. (Vaill.)

Numi hi docent, Iovem a Synnadensibus cultum fuisse nomine ΠΑΝΔΗΜΟΤ. id est: παγκοινος, *omnibus communis.* Eodem nomine Venerem quoque Athenis fuisse ornatam constat. Vide de utroque Pandemo Spanhemium a).

a) Ad Caes. Iul. preuves p. 57.

Digitized by Google

* * *

CTNNAΔEΩN. IΩNΩN. typis variis, in pluribus autonomis, et adhuc in numo Gallieni musei Caesarei.

CTNNAΔEΩN. ΔΩPIEΩN. *Vir galeatus et paludatus stans d. hastam, s. sigillum Palladis*, in autonomo supra descripto.

CTNNAΔEΩN. IΩNΩN. ΔΩPIEΩN. in autonomo citato, et in numo Aurelii. (Vaill.)

CTNNAΔEΩN. *Mulier tutulata stans d. elata, s. sigillum forte Iovis, pro pedibus prora navis, juxta scriptum:* IΩNΩN., *ex adverso vir galeatus et paludatus stans d. hastam, s. sigillum Palladis, juxta:* ΔΩPIEΩN. in numo Macrini. (Mus. Christinae.)

Numi hi docent, quod reticuere scriptores, Synnadenses ex Ionibus et Doribus fuisse conflatos. Alia est sententia Vaillantii, qui, ubi postremum hunc numum describit, addit, hac epigraphe notari Synnadensium cum omnibus Ionum et Dorum urbibus societatem. Non attinet, ad istud refellendum citare tot numero urbes, quae originem suam, aut cohabitantem secum aliam gentem eodem, quo Synnadenses, modo, etiam in Phrygia manifestavere.

* * *

Magistratus, nonnunquam nudo ejus nomine.

Proconsul: OTAΛEPIOΣ. ANΘTΠATOΣ. *Iuppiter Pandemus sedens*, Augusti. (Vaill.)

L. Valerium Messallam Asiae proconsulem sub Augusto memorat Pighius ad annum V. C. 762.

Prytanis: ЄΠI. ΠPT. KΛOΓIЄ. ATTAΛOT. L. Veri. (Pellerin. Suppl. II. p. 73.) ЄΠI. Π. ATTAΛOT. L. Veri, in quo Harduinus το Π legit *Publio*, sed esse legendum *Prytanie*, docet praecedens.

* * *

Concordia: IЄPAΠOΛЄITΩN. CTNNAΔЄΩN. *Mulier turrita stans d. spicas, s. elata*, Elagabali.

Vaillantius in hoc numo concordiam cum Hierapoli Phrygiae, et his Synnadis videt, verum cum absit vox OMONOIA, et unicus tantum proponatur typus, conjicere licet, το Ιερα πολις esse epitheton Synnadorum, fors propter peculiarem cultum Iovis Pandemi. Quod si in hoc numo legitur IЄPOΠOΛITΩN, ut in altero simili musei Christinae ab Havercampo illustrati legitur [a]), dubium intenditur magis, nam ea Phrygiae urbs in numis vix unquam dicitur Hieropolis, sed Hierapolis.

* * *

Pellerinius in numo Neronis legit ΦIΛOK - - - CTNN - - unde conjicit, urbem dictam *Philoclaudiam* [b]), quod tamen ex inscriptione vitiata non tuto colligitur.

AE. RR.

THEMISONIVM.

Phrygiae M. prope Cibyra.

Autonomi:

Caput Sarapidis. Ϗ ΘЄMICΩNIΩN.

a) Tab. XXXI. n. 1. b) Mel. II. p. 371.

Digitized by Google

Mercurius. AE. (Pellerin, Panel.) ΔΗΜΟC. (Harduin.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

A Severo usque ad Philippum jun.

Epigraphe: ΘΕΜΙCΩΝΙΩΝ, vel ΘΕΜΙCΩΝΕΩΝ.

Typus plerumque: *Herculas, Castor cum equo, Mercurius in consortio stantes.* (Mus. Caes. Vaill. Pellerin.) Teste Pausania [a]) perhibuere Themisonenses, Gallis vicina infestantibus monitos sese ab Hercule, Mercurio, et Apolline, ut sese in antro, quod sibi indicaverant, cum uxore, liberisque occultarent, servatos eorum signa pro spelaei faucibus constituisse, ex qua hi causa dicti fuere Σπηλαῖται. Vides, testimonium istud cum horum aversa numorum praeclare convenire, dempto Apolline, pro quo Castorem habent.

AE. RRR.

TIBERIOPOLIS.

Phrygiae M., memorata a Ptolemaeo et Notitiis.

Autonomi:

ΔΗΜΟC. Ϫ ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Apollo nudus stans d. ramum, s. columnae innixus.* AE. II. (Pellerin.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ϫ ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΙ. ΕΠΙ. CΩCΘΕΝΟΥC. *Diana Ephesia.* AE. II. (Pellerin, Arigoni.)

ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. *Caput juvenile nudum.* Ϫ ΓΕΡΟΥ. ΒΟΥΛ. *Figura velata et togata stans s. ramum, ex adverso mulier stans d. caduceum.* AE. II. (Pellerin.)

ΒΟΥΛΗ. Ϫ *Iuppiter Laodicenus.* AE. (Mus. Caes.)

AE. RRR.

Imperatorii:

Trajani, Hadriani, Sabinae, Caracallae.

Typi obvii.

Magistratus: ΕΠΙ. Τ. ΑΙΛ. CΩCΘΕΝΟ - - sine titulo, Hadriani. (Pellerin Rec. III. p. 213.)

AE. RRR.

TRAIANOPOLIS.

Hujus nominis urbem in Asia minore recenset Ptolemaeus, sed in Mysia constituit. Censet Cellarius, eam magis in ortum promovendam, sic ut in Phrygiam M. cadat, et *Tranupolin*, quae in Notitiis saepius legitur, esse contractum ex *Trajanopolis.*

Trajanopolis Thraciae justum habet numorum numerum, quos suo loco dedimus. At sunt numi aliquot, qui urbis hujus Europaeae esse non possunt, et in hunc tractum certe trajiciendi propter causas, quas in singulis dabimus.

Autonomi:

ΔΗΜΟC. *Caput laur.* Ϫ ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Mensis ad aram sacrificans.* AE. III. (Pembrock.)

Alius similis, sed: Cybele sedens.

a) L. X. c. 32.

Digitized by Google

AE. (Motraye Voyage T. II. tab. 7. Sestini Lettere T. IV. p. 96.)

Inscriptum ΔΗΜΟC. et typus dei Mensis numos similes a Trajanopoli Thraciae arcent, et Asiae haud dubie vindicant. Ergo et Sestinianus ex Thracia huc revocandus.

AE. RRRR.

Imperatorii:

ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΑΡΧ. Λ. *Amazon eques, juxta quam scriptum:* ΦΙΛΟ., in numo Gordiani.

Iure Pellerinius hunc numum a Trajanopoli Thraciae avertit, in cujus numis archontes non leguntur, sed hegemones, neque unquam Amazonis effigies comparet, at utrumque in Asiae urbibus obvium. Vocabulum ΦΙΛΟ. esse nomen Amazonis, idem conjicit [a]).

Frölichius numum Caracallae inscriptum ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ propter typum Cybeles huic Phrygiae urbi tribui posse leviter suspicatur, secutus judicium Tristani et Holstenii [b]). At numus hic ejusdem omnino est fabricae, cujus sunt certi Trajanopolis Thraciae numi, atque etsi Cybeles cultus frequentior fuit in Phrygia, et velut domesticus, tamen ea in Thraciae quoque urbium numis non raro conspicitur.

AE. RRRR.

TRIMENOTHYRAE.

Numum huic urbi tributum a Seguino et Vaillantio esse Temenothyrarum Lydiae, in his dictum.

GALATIA.

Communi Galatiae nomine numi exstant complures, *imperatorii* omnes.

ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. *Templum*, Neronis. (Vaill.) ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑC. *Templum*, Poppaeae. (Sestini Lett. T. IV. p. 128.)

ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ, vel ΚΟ. ΓΑ., Titi, Domitiani, Nervae, Trajani, qui a variis sunt editi, sed collecti omnes a Morellio [c]), in quibus omnibus proditur.

Legatus M. Neratius Pansa, et T. Pomponius Bassus, sed numos hos omnes videsis infra in Caesarea Cappadociae cum nonnullis observationibus.

Typi in hujus generis Galatarum numis: *Templum* 6 *columnarum.* — *Mensis stans d. globum, s. hastam*, vel: *Ipse eodem cultu stans in aditu templi.* — *Ceres sedens.*

* * *

Numos Lollii, qui ex aliquorum sen-

a) Rec. III. p. 257. b) IV. Tent. p. 279. c) Fam. Nerat. et Pompon.

Digitized by Google

tentia in Galatia cusi consentur, vide in gente Lollia.

AE. RR.

ANCYRA.

In Tectosagis, totius Galatiae caput, et metropolis. Augustus eam copiose ornavit, sic ut Tzetzes haec de eo scriberet [a]):

Ancyram autem, quam diximus, inveni
Condidisse Octavium Caesarem Romanum.

Sed conditorem ex mythologia petitum memorabimus infra. Ancyranorum in Augustum adfectum testatur templum ejus honori positum inscripta parietibus ejus factorum memoria. Historiam et monumenta hujus urbis late enarravit Belleyus [b]).

* * *

Autonomi comperti non sunt. Vtrum numus CЄBACTHNΩN, aliique imperatorii sic inscripti, huc pertineant, infra in Sebastes Galatiae numis disputabimus.

Imperatorii:

Magno hi numero superant a Nerone usque ad Valerianum jun. In numo Haymiano (T. II. p. m. 282.) Antoninus dicitur ATT. KAI. ΛOTK. ANTΩNЄ - - - Hic in nullo alio numo Lucii praenomen habet. Sed in numo Pellerìniano, qui cetera Haymiano simillimus est, ejusmodi est capitis inscriptio, qualis passim occurrit.

Epigraphe: ANKTPA, ANKTPAC, ANKTPANΩN.

Typi insigniores:

Vir habitu curto gradiens cum modio in capite, d. ancoram, s. proram navis cum velo, ut vidit Pellerinius in numis Antonini et Gallieni, at Haymius in suo Antonini pro prora navis cum velo vidit *bipennem.*

Mulier gradiens d. urnam ludorum, s. ancoram, (Spanheim ep. I. ad Morell. in fine.) *Mulier tutulata sedens d. ancoram, s. cornucopiae*, Caracallae. (Mus. Com. Vitzai.)

Midas secundum Pausaniam urbem condidit, eique a reperta ab se ancora nomen dedit [c]).

Silenus stans d. extenta pedum, s. utri innixus, Caracallae. (Vaill.)

Teste eodem Pausania [d]) monstrabatur Ancyrae fons, quem vino miscuit Midas, ut Silenum adliceret, et caperet.

Deus Mensis liberaliter in Galatia cultus, *Gemelli lactentes*, Valeriani. (Vaill.)

* * *

Magistratus: T. Pomponius Bassus legatus propr., quem numum vide in Caesarea Cappadociae.

Metropolis: Hoc titulo in omnibus suis numis gloriatur: MHTPOΠOΛIC. ANKTPA. — MHTPOΠOΛЄΩC. ANKTPAC., etiam compendio scripturae. — ANKTPA. H. MHTPOΠOΛIC. THC. ΓAΛATIAC. Antonini. (Pellerin, Haym.) Vaillantius factam ab Hadriano metropolin conjicit, qui tamen ipse Neronis numum cum metropolis mentione vulgavit.

a) Chil. I. v. 139. b) B. L. T. XXXVII. p. 391. c) L. I. c. 4. d) l. c.

Digitized by Google

* * *

Nomen ab imperatore.

A Caracalla: ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΗC. ΑΝΚΤΡΑC. ΜΗΤΡΟ. in numo Caracallae, (Vaill.)

Dictam etiam *Sebasten*, testantur marmora. Vide infra in Sebaste Galatiae.

* * *

Neocoratus: B. N. vel B. NE. in numis Valeriani, Gallieni, Saloninae. (Vaill. Mus. Caes. Pellerin.).

* * *

Ludi:

ΠΥΘΙΑ. *Vrna*, Neronis. (Vaill.)

ΑCΚΛΗΠΙΑ. CΩΤΗΡΕΙΑ. ΙCΘ. ΠΥΘΙΑ. *Vrnae cum templo*, Caracallae. (Spanh. ep. I. ad Morell.)

ΑΓΩΝ. ΙCΘ. ΠΥΘΙΑ. Caracallae. (Neumann.)

In marmore, quod edidit Montfauconius [a]), dicitur T. Flavius Gajanus ἀγωνοθησας δις τη τε κοινε των Γαλατων και των ἱερων ἀγωνων τῶν μεγαλων ΑΣΚΛΗΠΙΩΝ τε και ΠΥΘΙΩΝ, ἀρχιερευς τη κοινε των Γαλατων, Γαλαταρχης, σεβαζοφαντης, και κτιζης της μητροπολεως Αγκυρας.

ΑΚΤΙΑ, *Vrna*, Saloninae. (Vaill.)

* * *

Asylum: ΑΝΚΤΡΑC. ΑC. B. N. in numo Valeriani, ut mihi testatus est Cl. Moulius, qui correxit Vaillantium in eodem reginae Christinae numo ΜΗΤ. pro AC. legentem. Verum cum urbes extra Syriam late sumptam sitae vix in numis dici soleant asyla, videtur το AC. hujus numi notare memorata supra ΑCΚΛΗΠΙΕΙΑ, praecipue cum in hoc numo urnae ludorum typum faciant.

AE. C.

GERME.

In Tolistobogis prope Pessinuntem. Ptolemaeus: Γερμα κολωνια, ex quo in Notitiis episcopus Γερμοκολωνειας. Quare numi sequentes ad hanc Germen, quam coloniam fuisse constat, non ad alteram cognominem Hellesponti sunt vocandi.

Putat Vaillantius, Germen deductam coloniam ab Augusto propter additum AVG. At repugnat Cellarius, quoniam Strabo, Plinius, omnesque alii priores eam fuisse coloniam dissimulant, primusque fuit Ptolemaeus, qui eam hoc nomine appellat. Conjicit ergo, eam deductam forte ab ipso Commodo, cum cujus capite tantum numi cogniti, Augustam vero vocari a nomine imperatoribus omnibus communi. Res in incerto.

* * *

COL. GERMEN. *Aquila cippo imposita inter duo signa militaria*, Commodi. (Vaill.)

COL. AVG. F. GERMENO. *Lupa gemellos lactans*, Commodi. (Vaill.)

Soli hactenus hi numi cogniti. Vtriusque typus est etiam in numis vicinae Ancyrae. At mirabilem alium nuper editum reperio:

COL. GERMENORVM. ACTIA. ΔVSARIA. *Mensa tribus gradibus insistens, supra quam globus inter duas urnas, supra globum torcular, omnia in laurea*, in numo Etruscillae. (Tanini

a) Palaeogr. p. 161.

Digitized by Google

p. 441. ex mus. nobil. Iacobi Gradenigo.)

Ludi *Actia Dusaria*, tum et typus torcularis haetenus tantum in numis urbium Arabiae, ac praecipue Bostrae sunt comperti. Quapropter mirum, eadem haec proponi in numo urbis Galatiae tanto intervallo distantis, atque id tanto magis, cum *Dusares* verbum sit Arabicum significans Bacchum, a quo ludi Dusaria. Singularis hujus numi fides penes auctores esto.

AE. RRRR.

PESSINVS.

In Tolistobogis, urbs Matris Idaeae, seu Magnae, seu Bonae hinc Romam advectae religione nobilitata, cujus eo loco imago specie informis lapidis e coelo deciderat, unde urbs appellata Πεσσινς ἀπο τς πεσσις [a]).

Imperatorii:

A Poppaea usque ad Getam.

Epigraphe: ΠЄCCIN. ΠЄCCINOTNTIΩN. An το ΠΕ. in numis Poppaeae apud Vaillantium et Theupoli revera Pessinuntem notet, dubitari possit, nullo certe signo diacritico id suadente, nam typus est lotus inter duas spicas, nisi forte lotus ad Harpocratem referenda, cujus signum est in numo Trajani, et alio Faustinae jun. (Vaill.) aut quoniam lotus, seu quae ex loto conficiebantur, tibiae instrumentum erant musicum, quod in insanis Matris Idaeae festis adhibebatur teste Ovidio [b]).

Typi alii plane sunt obvii, nihilque Pessinuntis historiam illustrant. Prorsus alienus ab hac urbe typus *Daedali volantis, et sinistra Icarum pariter volantem retinentis*, in numo Caracallae, (Theup.) nisi forte lepide ad urbis nomen, et vocem πεσειν adluditur, quod Icarus sic ex alto deciderat, ut mater sua Idaea.

ΒΟΥΛΗ. ΠЄCCINOTNTIΩN, M. Aurelii. (Vaill.)

Magistratus: ЄΠΙ. ΙΟΥЄΝΤΙΟΥ. ΚЄΛ. Aurelii. (Vaill.)

Mentio situs: ΓΑΛ. ΤΟ. ΠЄCCIN. vel: ΓΑΛ. ΤΟΛΙC. ΠЄCCINOTNTIΩN. Antonini Pii, et M. Aurelii. (Haym, Pellerin.) Nimirum urbs haec in Galatia Tolisbogorum sita.

AE. RR.

SEBASTE.

A Plinio constituta in Galatia [c]), quam propius in Tectosagis collocant tam numi inscripti ΣЄΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ., quam marmora apud Gruterum, Muratorium, Montfauconium: Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟC. CЄΒΑCΤΗΝΩΝ. ΤΕΚΤΟCΑΓΩΝ.

At enim Pellerinius numos omnes sic inscriptos, aut etiam tantum CЄΒΑCΤΗΝΩΝ cum addito ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. tribuendos Ancyrae Galatiae confidenter adserit, quam in honorem Augusti ait permutasse vetus suum nomen cum nomine *Sebastes*, serius autem ad primaevum Ancyrae redivisse. Quam ille doctrinam non semel, sed constan-

a) Appian. Hannibal. c. 56. b) Fast. IV. 190. c) L. V. §. 42.

Digitized by Google

ter per opus suum inculcat, ut Rec. II. p. 12. Rec. III. p. 299. Mel. II. p. 308., ut adeo haec toties repetere non sine certa ratione videatur, quam tamen vir eruditus nobis invidit. Nonnulla argumenta adfert Belleyus, qui in eadem fuit sententia [a]). Ego secus censeo, ajoque, Ancyram vetus suum nomen nunquam omisisse, et quod sequitur, numos omnes sic inscriptos esse Sebastes a Plinio memoratae. Ejus causas damus sequentes:

I. Neque ex scriptoribus veteribus, neque marmoribus constat, Ancyram unquam vetus suum nomen deposuisse. In quapiam hujus urbis inscriptione, cujus plures adfert Muratorius, haec urbs dicitur H. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ. ΤΗΣ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΗ. ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ. ΑΝΚΥΡΑ [b]). Nolo hic cum Maffeio propter eandem vocem ΣΕΒΑΣΤΗ exscriptoris adcurationem in suspicionem vocare, cujus ratio omnino nulla subest [c]). Ancyra tot ab Augusto beneficiis adfecta se vocavit Σεβαστην, nimirum honorificum hunc titulum suomet nomini solum addendo, non vero abolendo vetus, quod item fecere, ut alia exempla taceam, Thessali, Amastriani, Heracleenses etc.: in quorum numis ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΘΕΣΣΑΛΩΝ. — CЄBACTH. AMACTPIC. — CЄBACT. HPAKΛЄΩΝ. in numo, quem Heracleae Ponti tribuit Pellerinius, Lamia Thessaliae: ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΛΑΜΙΕΩΝ. in marmore Muratorii [d]). Si ergo Ancyra nomen suum nunquam seposuit, aut cum nomine Sebastes permutavit, sed hac appellatione, quod saltem ex unico marmore constat, honoris tantum causa usa est, tam parum potuere Ancyrani urbem suam indicare scribendo tantum ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, quam parum Tarsenses quam scribendo tantum ΑΔΡΙΑΝΗC, vel ΜΑΚΡΙΝΟΤΠΟΛЄΩC.

II. Si Ancyrani sese in Sebastenos immutassent, istud fecissent jam aetate Augusti recente adhuc beneficiorum memoria, idque nomen retinuissent adhuc sub Tito et Domitiano, in quorum numis scribitur ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, olim, secundum Pellerinium, Ancyranorum. Sin istud, cur in numo Neronis apud Vaillantium legitur Ancyra, non Sebaste? Ergo ea urbs ab Augusto ad Neronem se scripsit Sebasten, sub hoc Ancyram, sub Vespasiani filiis Sebasten, post hos denuo Ancyram? An in tot aliis urbibus simile habemus levitatis exemplum?

III. Si Ancyra eadem fuisset cum Sebaste, titulum metropoleos, quo inde a Nerone in numis usa est, aeque addidisset in numis seu ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, seu ΑΝΚΥΡΑΣ inscriptis. At videmus, in omnibus numis cum epigraphe *Ancyrae* metropolis titulum nunquam abesse, et nunquam addi cum epigraphe *Sebastes*. Quae ejus ratio, si una eademque urbs fuit?

IV. Quaeritur item, cur vocabulo ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ addidit aliud ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ? nimirum ut se ab aliis urbibus, Sebaste item dictis, discerneret, addidit Tectosagos, in quibus sita fuit. Quomodo ergo Sebaste, olim Ancyra, se discrevit ab altera certa Sebaste in iisdem Tectosagis posita?

Ex his ergo jure colligimus, nullam

a) B. L. T. XXXVII. p. 391. b) pag. 550. c) Ars crit. lap. p. 121. d) pag. 550.

Digitized by Google

fuisse aliam in Galatia Sebasten praeter illam Plinio memoratam, numosque omnes cum Sebastes epigraphe addito seu ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ, seu ΓΑΛΑΤΩΝ ad hanc omnino pertinere, quae hac situs mentione usa est, quo sciretur, esse diversam ab aliis urbibus ejusdem nominis. Quare miror sane Cl. Belleyum, nullam in Tectosagis Sebasten agnoscentem propterea, quia Plinius, quo loco Tectosagum oppida recenset [a]), haec tantum commemorat: *Oppida Tectosagum: Ancyra.* Verum an non idem continuo addit: praeter hos celebres: *Attalenses, Arasenses - - - SEBASTENI?* quod sane ἐθνικον praeclare convenit cum numi epigraphe ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. Esto, Sebasten a Plinio non diserte poni in Tectosagis, sed tamen is eam a Tectosagis non eximit, nam confidenter illam in Galatiae urbibus enumerat, in qua siti Tectosages.

Quaeri hoc loco potest, sitne Sebaste, quam Hierocles et Notitiae in Phrygia collocant, eadem cum Sebaste Galatiae? Pellerinio, qui nullam in Galatia Sebasten praeter Ancyram agnovit, probata fuit haec Phrygiae Sebaste, cui adeo is numos tribuit solo ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ inscriptos. Sed forte praetensa haec Phrygiae Sebaste alia non est a Galatica, nam video similes numorum typos in numis seu solo ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, seu ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ inscriptos. Quae causa fuit, cur utriusque generis numos permiscendos, et huic Galatiae Sebastę tribuendos putaverim.

Autonomi:

Caput cum pileo Phrygio in luna bicorni. Ɪ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ. *Typus vitiatus.* AE.

Editus est hic numus in museo Theupoli, sed ubi alterum verbum perperam scribitur ΙΕΚΟΣΑΤΩΝ.

ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. *Protome juvenilis cum laureato pileo Phrygio, et cum luna post tergum.* Ɪ CЄΒΑCΤΗΝΩΝ. *Templum 6. columnarum.* AE. (Pellerin, Neumann.)

Belleyus capite anticae exhiberi Augustum Luni specie putat, at mihi verius videtur esse Caracallae juvenis, aut alterius cujuspiam ejus aevi.

ΙЄΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. Ɪ CЄΒΑCΤΗΝΩΝ. *Mensis stans.* AE. (Haym T. II. p. m. 184.)

AE. RRR.

Imperatorii:

Cum epigraphe ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ: *Vir stans cum pileo Phrygio*, in numo Titi.

Tres spicae, in numo Domitiani.

Vterque numus proponitur a Pellerinio [b]), et iidem, sed vitiati ab Haymio, qui eos recte ad Plinianam hanc Sebasten refert [c]). Quare satis mirari non possum Pellerinium, qui Haymium secum sentire, et numos hos ad Sebasten Ancyram vocare eodem loco adserit.

---

a) L. V. §. 42. b) Rec. III. p. 209. c) Tom. II. p. m. 252.

Digitized by Google

* * *

Cum epigraphe CЄBACTHNΩN tantum.

Sunt Caracallae, Getae. (Pellerin Rec. III. p. 255.) et Gordiani. (Arigoni.)

Typi:

Perseus Medusae caput amputans adstante Pallade, et clypeum Perseo pro speculo objiciente, in numo max mod. Caracallae. (Pellerin Rec. III. p. 255. Caylus Rec. d'Ant. T. IV. p. 158.)

Illustrem hunc typum olim prolixe explicui [a]), cumprimis ex Apollodoro, cui adde Lucanum [b]), ac praecipue Lucianum [c]).

Mensis stans, in numo Getae.

Iuppiter sedens d. pateram s. hastam, Gordiani.

Magistratus archon in citato numo Caracallae: ЄΠI. ΛOT. AMЄΞAΛIOT. ANTΩN - - - APX. CЄBAЄTHNΩN.

AE. RRR.

TAVIVM.

In Trocmis situm.

Imperatorii:

Severi, Domnae, Caracallae.

Epigraphe: TAOTIANΩN. sed plerumque: CЄ. TP. vel TPO. TAOTIANΩN. *Severianorum Trocmorum Tavianorum.* (Vaill. Mus. Caes. alibi.)

Typi: Severus eques, — Mulier rupi insidens, ad cujus pedes fluvius emergens, — Aquila insistens cippo inter duo signa militaria, qui typus est in plurium Galatiae urbium numis, *aliique obvii.*

Nomen ab imperatore: Severo nempe inscripto CЄ, ut vidimus, nisi forte legendum CЄβαςτων.

Mentio situs: a Trocmis, scripto TP. vel TPO. Iuvat hoc loco observare, a numis et marmoribus praeclare confirmari verba Strabonis, aliorumque, qui Ancyram in Tectosagibus, Pessinuntem in Tolistobogis, Tavium in Trocmis constituerunt. At Memnon apud Photium [d]) ordinem invertit, dum Ancyram Trocmis, Tavium Tolistobogis, Pessinuntem Tectosagibus inserit.

Epocha: Numum Severi in Catalogo d'Ennery vulgatum reperio, in cujus aversa: CЄ. TPO. TAOTIANΩN. Є. ЄΠI. *Apollo Actius stans, et s. lyram tenens columnae innixus, d. acrostolium.* Auctor ejus catalogi annum inscriptum 218. ducendum ab aera Actiaca contendit, ipso etiam typo navalem ad Actium victoriam eloquente [e]). Quae quidem sententia ampli hiatus sphalma continet. Coepit aera Actiaca in autumno V. C. 723. Addendo huic summae annum numi 218., necesse erit secundum auctoris doctrinam eum signatum inde ab autumno V. C. 940 usque ad autumnum anni sequentis. At tum imperio praefuit Commodus, ipse vero Severus nonnisi V. C. 947. in Oriente agnitus fuit imperator. Ergo initium epochae in tempora posteriora reponendum. Refert Dio ad annum V. C. 729. [f]), Augustum mortui Amyntae Galatiae regis

a) Num. vet. p. 174. b) L. IX. v. 659. seq. c) Dial. mar. XIV. d) Eclog. 224. e) pag. 542. f) L. LIII. §. 26.

Digitized by Google

ditionem in provinciam redegisse, et exinde Galatiam Romanum praefectum habere coepisse. Videntur ergo Taviani ab hoc eventu annos suos computasse. Nimirum addendo annum nami 218. ad annum 729., summa dabit annum V. C. 947., in cujus autumno dictus Tavianorum annus exivit. At vero mox diximus, Severum eodem hoc anno in Asia imperatorem fuisse agnitum.

AE. RR.

TECTOSAGES.

Vide supra in Sebaste.

TOLISTOBOGI.

Vide supra in Pessinunte.

TROCMI.

Vide supra in Tavio.

REGES GALATIAE.

Quae ad regum Galatiae numos pertinent, paucis disseram, posteaquam eorum catalogum proposuero.

* * *

Caput virile nudum, pone clava. Ꝟ BITOTIOC. BACIΛЄTC. *Leo currens.* AE. II. (Beger Th. Br. T. III. p. 6.)

Alius similis, sed BITOTIOΓOΓO. BACIΛЄTC. (Bimard ad Iobert. T. II. p. 335.)

Caput virile nudum, pone clava. Ꝟ BITOTKOC. BACI. *Leo currens.* AE. II. (Beger l. c. Pellerin Rois p. 190.)

Caput virile nudum, (in alio laureatum) pone clava. Ꝟ KAIANTOΛOT. BACIΛЄΩC. *Leo currens.* AE. II. (Bimard et Pellerin ll. cc.)

KAIANTOΛOT. *Caput juvenile nudum.* Ꝟ BAΣIΛEΩΣ. *Aper, superne tres globuli.* AE. II. (Pellerin l. c.)

Caput juvenile laureatum, pone clava. Ꝟ-IATIKO- *Leo currens.* AE. II. (Pellerin l. c.)

Caput juvenile nudum, pone clava. Ꝟ VANTIK - - *Leo gradiens.* AE. III. Hunc numum Florezius Anticariam Baeticae refert, (Med. de Espan. T. II. p. 633.) perperam me judice.

Caput virile nudum, pone clava. Ꝟ ΨAMTTOC. BACIΛ - - *Leo gradiens.* AE. II. (Bimard l. c.)

Protome Victoriae. Ꝟ BAΣIΛEΩΣ. ΔHIOTAPOT. *Aquila expansis alis insistens scipioni, cui globus praefigitur, inter duos Dioscurorum pileos.* AE. II. (Sestini Lettere p. 81.)

Caput laureatum barbatum, pone clava. Ꝟ BAΣIΛEΩΣ. AMTNTOT. *Leo gradiens.* AE. II. (Spanheim T. I. p. 378. Pellerin l. c.)

Caput Dianae. Ꝟ BAΣIΛEΩΣ. AMTNTOT. *Cervus stans.* AE. III. (Spanh. et Pellerin ll. cc.)

Digitized by Google

Caput Mercurii prominente retro caduceo. Ꝛ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΜΤΝΤΟΤ. *Caduceus.* AE. III. (Spanh. l. c.)

Viderunt jam viri eruditi, nomina *Bitovius*, *Bitucus*, *Caeantolus*, *Psamytes* barbarum quid sonare a Graecae linguae illecebris oppido abludens. Quae causa fuit, cur Begerus numos suos Gallis Arvernorum regibus tribuendos putaret. Verum contradixere Bimardus et Pellerinius eo praecipue ex capite, quod id genus numi in Gallia non reperiuntur, et quos habent musea Gallica ex Oriente omnes advecti fuere. Tamen ut eos Gallis Europaeis ademerunt, alteris in Asia minore positis esse proprios adfirmare non dubitaverunt. Res in vulgus nota, Phrygiae partem Paphlagoniae conterminam habitatam fuisse a Gallis ex Gallia Europaea adventitiis, qui postquam primum Thraciam, Macedoniam, et magnam Graeciae partem, deinde Hellespontum transgressi Asiam minorem caedibus et incendiis complevere, tandem et ipsi cum victoriis, tum cladibus attriti imminuto suorum numero sedes sibi in hoc tractu seu vi, seu conniventibus vicinis paraverunt, qui subinde a novis incolis Graece *Galatia*, Latine *Gallograecia* appellatus est, divisus ex patrio populorum nomine in *Tectosages*, *Trocmos*, *Tolistobogos*. Hanc hujus gentis a Gallis tractam originem etsi dissimularet historia certa, satis superque proderent ipsa nomina. Satis constat, Tectosages fuisse in Gallia, et habitasse propter Tolosam, quos eosdem in Galatia quoque reperias. Straboni et Polyaeno memorantur *Adiatorix* et *Erasinorix* Galatiae seu tetrarchae, seu reguli, ut Caesari *Dumnorix*, *Vercingetorix*, *Ambiorix* Galliae reguli. Alibi Strabo narrat [a]), a Romanis datas fuisse aliquas urbes Τεποργι δυναστη τινι τυ τετραρχικυ γενους των Γαλατων, *Teporgi dynastae cuidam tetrarchici generis Galatarum*, at forte pro Τεποργι legendum Ατεποριγι, sic ut rectus sit Ατεπορειξ, *Ateporix*. Facem praefert marmor Ancyranum citatum a Montfauconio [b]), in quo legitur: ΑΛΒΙΟΡΙΞ. ΑΤΕΠΟΡΕΙΓΟΣ. *Albiorix Ateporigis* F. Neque discordant tempora. Strabo adcurate non definit, quo tempore Teporgi suo eae urbes accesserint; ait tantum, factum istud post priorem Pompeji M. divisionem. Marmor Ancyranum positum fuit sub Tiberio, nam in eo refertur, a dicto Albiorige positas fuisse statuas *Caesaris* (sc. Tiberii) *et Iuliae Augustae*, qui adeo Albiorix facile esse potuerit filius ejus Ateporigis, in quem dictum a Romanis beneficium fuit collatum. Ex tetrarchica etiam Galatarum stirpe a Strabone proditur *Adobogion* [c]), obvia in vocabulis Gallicis terminatione; sic *Tolistobogi* Galatiae populus. Sic in numo Galliae Europaeae, quem olim vulgavi [d]), legitur TOTTOBOCIO. Vnde verisimile tum censueram, *Teutobodiacos*, quos Plinius in Galatiae populis nominat, forte mendose scriptos pro *Toutobogios*. Sed nimium exerro, quando istud unum probare constitueram, ex ipsis nominibus per Galatiam obviis incolas ex Gallia Europaea traductos con-

a) L. XII. p. m. 838. b) Palaeogr. Graec. p. 154. c) L. XIII. p. m. 927. d) Num. vet. p. 4.

Digitized by Google

firmari. Alia regulorum Galatiae nomina aeque barbara lege apud Livium L. XXXVIII. inde a cap. 16. et L. XLV. c. 34, et Reinerum Reineccium in Tetrarchia Galatica.

Ad reges in numis nostris descriptos ut revertar, ii, quos priores numi eloquuntur, *Bitovius*, *Bitucus*, *Caeantolus*, *Psamytes* a scriptoribus quidem, saltem aperte, non memorantur, at constat, ex quo Galatia in tetrarchias divisa fuit, multos fuisse tetrarchas, quorum non meminit historia, ex quibus ii, qui plus valuere, regium etiam nomen usurparunt, quos inter fuere rex Dejotarus a Cicerone defensus, et Amyntas, de quibus mox. Dixeram, reges hos saltem aperte non prodi a scriptoribus. Nam nomen Bitovio vel Bituco simile bis occurrit apud Appianum [a]), cum refert, fuisse in Mithridatis VI. exercitu Βιτοιτον τινα, ἡγεμονα Κελτων, *Bitoetum quendam*, vel *Bitoitum Gallorum ducem*, cui Mithridates desperatis rebus omnibus caput suum amputandum obtulit. *Bituitum*, vel Bittum Galliae propriae regem habes apud Strabonem [b]), et Athenaeum [c]). Alias de barbaris his regibus conjecturas lege apud Bimardum [d]). Inscriptio in numis his est Graeca, quae rursum peristasis eos a Gallia Europaea avertit, cujus numi, si Massiliam, quae Graeca urbs fuit, demas, inscribuntur Latine, aut mixtis nonnunquam literis Graecis, quas vicina Massilia invexit, sic tamen, ut Latinae praevaleant. Habemus etiam Galliae Europaeae numos aliquos, in quibus diserte REX memoratur. At Galatiae reges, cum essent in medio populorum graecissantium positi, alia lingua, quam Graeca, in moneta publica uti non potuere. Ad typos quod attinet, utram in antica sit caput ipsius regis, seu propter clavam Herculis, aut regis sub Herculis specie, non ausim decidere. Eodem cultu in numis comparet Iuba II. Mauretaniae rex. Cum antica praeclare conspirant leo et aper, famigerati Herculis labores. Quanquam et in Galliae propriae numis obvium sit utrumque animal, ut videre est in numis Beterrae, aliisque apud Pellerinium, ut adeo videri possit, a novis colonis typos avitos et veteres suos retentos.

Illustris est numus Deiotari, isque hactenus unicus, nuper ex museo Ainslieano vulgatus. Nota est hujus regis ex scriptoribus potissimum Romanis historia. Primum Romanorum contra Mithridatem socius Pompeji M. beneficio Armeniae minoris regnum cum Galatia conjungit, et amicus P. R. appellatur. In bello civili Pompeji partes secutus praelio ad Pharsalum interest. Per Brutum Caesari reconciliatur quidem, sed Galatiae tetrarchia privatur. Accusatus de positis Caesari insidiis defenditur a Cicerone oratione, quae exstat. In bello IIIvirali Bruto per Amyntam scribam subsidia mittit, sed qui opportune cum copiis ad Antonium transgressus incolumitatem sibi ac Deiotaro paravit. Moritur satis provecta

a) Bell. Mithr. cap. 111. b) L. IV. p. m. 291. c) L. IV. p. 152. d) l. c.

Digitized by Google

aetate. Haec compendio ex Reinero Reineccio [a]).

De Amyntae numis, cujus sunt tres postremi, litigatum. Eos Spanhemius tribuit Amyntae II. Macedoniae regi, Alexandri M. avo [b]). Verum hujus numi certi omnes et titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ abstinent, et habent Doricum gignendi casum ΑΜΤΝΤΑ. Sunt igitur numi hi alterius Amyntae. Numus I. propter typos, qui iidem sunt in praecedentibus, non inique propterea tribuetur Amyntae Galatiae regi. Fuit hic Amyntas scriba Dejotari Galatiae regis, a quo missus cum auxiliis ad Brutum et Cassium, his victis in victorum partes transivit. Promeritus igitur ab Antonio, ut mortuo Dejotaro Galatiae princeps addita Lycaoniae et Pamphyliae parte, denique etiam regio titulo, diceretur. In bello civili partes, ut oportuerat, Antonii secutus post cladem ad Actium Octaviano confestim sese applicuit. Aliquot post annis fraude muliebri perit. Haec ex Reineccio. Amynta mortuo Augustus regnum ejus filiis non dedit, sed circa annum V. C. 729. illud in provinciam redegit, et postea Galatia cum attributa parte Pamphyliae et Lycaoniae Romanum habere praefectum coepit [c]). Primus huc cum potestate missus fuit M. Lollius, de quo vide plura in numis gentis Lolliae. Filiorum nomina a scriptoribus non produntur. Eorum tamen unum memorat laudatum saepius marmor Ancyranum sub Tiberio positum: ΠΤΛΑΙΜΕΝΗΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΜΤΝΤΟΥ. ΥΙΟΣ dictus adeo *Pylaemenes* quacunque de causa ex nomine regum Paphlagoniae. Cum ergo, ut dixi, numus prior Amyntae ob memoratas causas Amyntae Galatae haud dubie sit tribuendus, ejusdem etiam erunt duo postremi, quoniam ejusdem rationis epigraphen offerunt. De numo altero cum typo cervi notavi aliqua in numis Moagetae regis Cibyrae Phrygiae.

CAPPADOCIA.

Autonomum totius gentis, inscriptum ΚΑΠΠΑΔ. unus Goltzius dedit.

CAESAREA, *olim* EVSEBIA.

Sita ad pedem montis Argaei, dicta primum *Mazaca*, deinde *Eusebia* a quodam Ariarathe, seu Ariobarzane, qui Eusebis nomen tulere, denique *Caesarea* a Tiberio, ut veri simillimum est, quamvis dissentiant aliqui, ut videre est apud Cellarium, et Seguinum [d]). Constanti-

a) Hist. Iul. P. III. p. 232. b) Tom. I. p. 378. c) Dio L. LIII. §. 26. Strabo L. XII. p. m. 854. seq. d) Sel. num. p. 60.

Digitized by Google

nus Porphyreg. sic dictam ait a magno Iulio Caesare [a]). Vrbis historiam praeclare scriptam dedit Belleyus [b]).

Mazacae nomine numus nullus cognitus, etsi id nomen valuit adhuc post Severum, ut docet marmor Chandleri [c]).

* * *

Eusebiae nomine *autonomi* complures.

Caput muliebre turritum. Ϡ ETΣEBEIAΣ. *Cornucopiae, in area monogramma.* AE. (Arigoni.)

Caput Palladis. Ϡ ETΣEBEIAΣ. *Prora, gubernaculum.* AE. (Pembrock.) In alio: *Mons Argaeus.* AE. II. (Hunter.) In alio: *Aquila expansis alis, in area* AΣT. *in monogrammate, forte* AΣTλυ. AE. (Pellerin.)

Caput modeste barbatum laureatum prominente retro clava. Ϡ ETΣEBEIAΣ. KE. *Templum 4. columnarum.* AE. (Seguin p. 60. Spanheim T. I. p. 473.)

Caput anticae Seguino regis cujusdam Cappadociae videtur, mallem Herculis. Annus KE. haud dubie indicat aetatem regni Ariarathis Eusebis, a quo Mazaca nomen Eusebiae abstulit, quiscunque is fuit.

Caput Palladis. Ϡ ETΣEBEIAΣ. --- APEIAΣ. *Aquila expansis alis Argaeo insistens.* AE. (Seguin. l. c.)

Seguinus et Spanhemius mancam epigraphen explent legendo KAIΣAPEIAΣ, et testatur Pellerinius, in suo museo exstare similem [d]). Numus hic utrumque urbis nomen sistit.

AE. RR.

Imperatorii:

Abundant a Tiberio usque ad Trebonianum. Revera ante Tiberium Cappadocia Archelao paruit. Hoc mortuo V. C. 770. Tiberius eam in provinciam redegit [e]). Atque ad haec primordia pertinet numus:

TIBEPIOΣ. KAIΣAP. ΣEBAΣTOΣ. *Caput Tiberii laur.* Ϡ ΘEOT. ΣEBAΣTOT. TIOΣ. *Statua monti Argaeo imposita.* AE. III. (Morelli Spec. p. 97.)

Epigraphe: KAIC. KAICAP. KAICAPIA. KAICAPIAC. vel KAICAPЄIAC. addita plerumque metropolis, vel situs mentione, de quibus infra.

Singulare istud in urbis hujus moneta, exstare numos imperatorum non aeneos modo, sed copiosos etiam argenteos, quod rarum in urbibus Graecis, et quod citra exemplum est, aureos quoque. Lubet singulorum naturam ac modos ordine describere.

Numi aurei;

NERO. CAESAR. AVGVSTVS. *Caput Neronis laur.* Ϡ ЄT. IA. *Imperator stans super monte Argaeo.* AV. AR. (Mus. Caes.)

Λ. CЄΠTI. ΓЄTAC. KAI. *Caput Getae.* Ϡ MHTPO. KAICAPIA. NЄΩ. ЄT. Γ. in aliis: ς. in aliis: Iς. *Mons Argaeus, in vertice astrum.* AV. (Vaill. Num. praest. T. II. p. 263.)

Numus Neronis integerrimus est, et elegantissimus, dignusque urbis officina, cui ingens eo quoque accedit pretium, quod aureus est, nam, ut dixi,

a) de Thematib. L. I. them. 2. b) B. L. Hist. T. XL. p. 124. c) Inscr. ant. p. 92. d) Rec. II. p. 5. e) Tacit. Ann. II. 42.

Digitized by Google

praeter hanc Caesaream non habemus urbem aliam Graecam, quae cum imperatoris capite numum aureum signaverit, si Gabalae Syriae numos demas sub Iustino II. cusos. Vaillantius suis Getae numis subjecit: *Hic numus aureus inter rariores habendus.* At enim non ille numum unum, sed tres, ut vidimus, promulgavit. An ergo horum tantum unus aureus? an omnes tres? Sin istud, mirum enimvero, tres existere aureos unius Getae, cum ne unus quidem ex hoc metallo superet Severi, Domnae, Caracallae, et nullum ipse alium noverit aureum imperatorium in quapiam urbe Graeca signatum. An haec tam singularia advertere virum eruditum non debuerant?

Numi argentei:

Hi copiosi a Tiberio usque ad Gordianum. In his sequentes leges observantur:

A Tiberio usque ad L. Verum simul sumptum urbis nomen non inscribitur, apparet tamen ex typo Argaei, hos numos huc pertinere.

Inscriptiones in his sunt:

ΤΠΑΤΟC. addito numero B. Γ. etc. Singulare est: ΤΠΑΤΟΤ. ΤΕΤΑΡΤΟΤ. in numo Nervae, (Mus. Caes.) de quo vide, quae alibi notavi [a]).

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. (numerus *trib. potestatis* non additur) ΤΠΑΤΟ. addito numero consulatus.

ΕΤΟΤC. ΙΕΡΟΤ. in numo Vespasiani. (Vaill.)

Anni imperii in his rarius notantur, quod in aeneis sub iisdem imperatoribus passim fit, ut: ET. IA.

Inde a Severo inscriptio non differt ab ea, quae in aeneis observatur. Scribitur nimirum nomen urbis, annus imperii, neocoratus, et omittitur mentio consulatuum, et trib. potestatis.

Ad hanc etiam urbem existimo pertinere argenteos Neronis: ΔΙΔΡΑΙ-ΜΟΝ. *Simpulum et lituus.* ΔΡΑΧΜΗ. ET. E. *Serpens tripodi obvolutus*, de quibus agemus in numis Neronis.

Numi aenei:

In his variae illae inscriptiones consulatus, trib. potestatis, anni sacri vix occurrunt. Notatur in his urbis nomen, et annus imperii raro omittitur.

Est in museo Caesareo aeneus Hadriani utrinque Latine inscriptus, in cujus aversa: COS. III. *Mons Argaeus.* Hic numus certe extra urbem signatus est, cum secus solitum S. C. inscriptum esset; si ergo extra urbem, propter Argaeum sine dubio est hujus Caesareae.

* * *

Anni imperii:

In his numis sedulo notati propter chronologicam imperatorum historiam observandi. Memorabo hic annos singulorum imperatorum, quos in variis catalogis reperi.

Claudii: ET. B. E. IΓ.

Neronis: ET. E. ΔΡΑΧΜΗ. (Morelli Spec. p. 99.) de quo numo mox egi. — ET. IA. in AV. et AR. paullo supra citatis.

Domitiani: ET. H. IΔ. (Morelli in fam. Pompon.)

Trajani: ET. Γ. (Morelli l. c.) Dicitur in hoc ΔΑΚΙΚΟC. Vide infra in Magistratu.

a) Sylloge I. p. 55.

Digitized by Google

Hadriani: ЄT. B. (Pellerin, Arigoni.) ЄT. Δ. Є. (Mus. Caes.)

Antonini: ЄT. B. Z. Item: ϛI. (Arigoni.)

Commodi: ЄT. Γ. I. AI. ΓI.

Severi: ЄT. B. apud Vaillantium, sed quae lectio suspecta, cum anno II. Severi duraret adhuc bellum cum Pescennio. Legendum forte: ЄT. R., ut est in binis musei Caesarei, quod certum est episemon, numerum sextum indicans, ЄT. IΔ. IЄ. Iϛ. IZ. Addit Buonarrotius ЄT. IH. (Osserv. p. 229.)

Domnae: ЄT. Δ. Є. ϛ. IΔ. (Vaill. Mus. Caes.) IΘ. (Catal. d'Ennery.)

Caracallae Caesaris: ЄT. Є. (Mus. Caes.) *Augusti:* ЄT. B. Δ. Є. H. IB. IΔ. Iϛ. IZ. IH. IΘ.

Getae: ЄT. Γ. ϛ. Iϛ. Postremus hic est apud Vaillantium in argenteis, et computandi sunt anni Severi. (Num. praest.)

Macrini: ЄT. B.

Elagabali: ЄT. B. Є. (Mus. Caes.)

Alexandri Caesaris: ЄT. Є. (Mus. Caes.) *Augusti:* ЄT. A. Γ. Δ. Є. ϛ. Z. H.

Gordiani, vel: *Tranquillinae:* ЄT. A. B. Γ. Δ. Є. ϛ. Z.

Treboniani: ЄT. B.

Eruditus Belleyus, qui in annos his Caesareae numis inscriptos praeclare commentatus est [a]), chronologorum secutus judicia initium anni Cappadocum antea vagi, subinde ex quo Romanis parere coacti sunt, fixi, ad diem XII. Decembris Iuliani fixit. Atque secundum hoc praeceptum facile in ordinem rediguntur anni, qui excedere Augustorum imperia videri possent, si eorum annus I. eodem die exivisse, et coepisse annus II. statuatur, analoge ad calculum Alexandrinorum, aliarumque Orientis urbium. Ergo non inviti feremus in Elagabalo et Alexandro adhuc Caesare annum Є, seu quintum, et in Gordiano ejusque Tranquillina annum Z, seu septimum, atque istud tanto minore fastidio, quod eorum numi Latini easdem numero trib. potestates exhibent.

* * *

Typi illustriores:

Typus frequentissimus est mons Argaeus instar dei ab indigenis cultus, quod de eo testatur Maximus Tyrius [b]): ὄρος Καππαδοκίας, καὶ θεός, καὶ ὅρκος, καὶ ἀγαλμα, *mons Cappadociae, et deus, et juramentum, et simulacrum.* Mons ipse variis attributis oneratur. Saepe apici insistit figura nuda d. pateram vel globum, s. hastam tenens. Plerique eam imperatoris effigiem censent, verum cum dicat Maximus, montem accolis haberi pro *simulacro*, vero est similius, esse ipsum genium, vel symbolum montis, uti et fluvii forma humana fuerunt propositi. Saepe monti imminet astrum, corona, aut una duaeve aquilae; in plerisque caverna introrsum hiat, aut ex ea existunt flammae, quod evenire testatur Strabo [c]). In nonnullorum aversa est caput muliebre, cui ipse mons Argaeus est impositus, in aliis corona turrita, in aliis Victoria gradiens.

KOMOΔOT. BACIAЄTONTOC. O. KOCMOC. ЄTTTXЄI. ЄT. ΓI. *inscriptum basi, cui imminet Argaeus*, Commodi. (Pellerin Mel. I. p. 98.)

a) B. L. T. XXXV. p. 624. b) Diss. VIII. c) L. XII.

Digitized by Google

Eadem epigraphe est in numis Commodi Nicaeae et Cii Bithyniae signatis.

Numi Domnae argentei typos habent ex numis Romanis ejusdem Augustae palam promptos, nimirum *Veneris Felicis* et *Victricis*, (Mus. Caes.) quod institutum placuisse etiam regibus Edessae videbimus.

* * *

Magistratus:

Legati Augusti: Binorum habemus numos, *M. Neratii Pansae*, et *T. Pomponii Bassi*, iique non solum in numis urbium Cappadociae, sed etiam Galatiae commemorantur. Visum, utriusque regionis numos communi isthoc magistratu insignes hoc loco ob oculos ponere.

ΕΠΙ. Μ. ΝΕΡΑ. ΠΑΝΣΑ. ΠΡΕΣΒΕΤΤΟΥ. ΚΟ. ΓΑ. *id est:* ΚΟινον ΓΑλατιας. *Caduceus colligatus cum spica et papavere*, Titi. (Morelli in Neratia.)

ΕΠΙ. Μ. ΝΕΡΑ. ΠΑΝCΑ. ΠΡΕCΒΕΤΤΟΥ.---*Mons Argaeus*, Titi. (Ibid.)

ΕΠΙ. ΠΑΝΣΑ. ΠΡΕΣΒΕΤΤΟΥ. Γ. *intra lauream*, Titi. (Vaill. Num. Graec.)

ΕΠΙ. ΤΙΤ. ΠΟΜ. ΒΑCCΟΥ. ΠΡΕCΒΕΤ. ΕΤ. Η. *Mons Argaeus*, Domitiani. (Mus. Farn. T. IX. tab. 6. et 8.)

ΕΠΙ. ΤΙΤ. ΠΟΜΠ. ΒΑCC. ΠΡΕCΒΕΤ. ΕΤ. ΔΙ. *Mons Argaeus*, Domitiani. (Morelli in Pomponia.)

ΕΠΙ. ΒΑCCΟΥ. ΠΡΕCΒΕΤΤΟΥ. ΕΤ. ΔΙ. *intra lauream*, Domitiani. (Haym.)

ΕΠΙ. ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ. ΒΑΣ. ΠΡ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. *Templum*, Nervae. (Morelli in Pomponia.)

ΕΠΙ. Τ. ΠΟΜΠΩΝΙΟΥ. ΒΑΣΣΟΥ. ΠΡΕΣΒΕΤ. ΑΝΤΙΣΤΡ. *Templum* 6. *col.*, *cujus peristylio inscriptum:* ΑΝΚΥΡΑΝΩΝ, Nervae. (Sestini Lettere p. 78, quo numo falsa Harduini lectio: ΑΝ. ΔΙ. ΚΤΡ. Σ. corrigitur.)

ΕΠΙ. ΒΑΣΣΟΥ. vel: ΠΟΜΠΟΝΙΟΥ. ΒΑΣΣΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. *Templum*, vel: *Mensis stans*, Trajani. (Morelli ibid.)

ΕΠΙ. ΒΑCCΟΥ. ΠΡΕCΒΕΤ. ΤΤΑΝΕΩΝ. ΕΤ. Α. *Mulier turrita sedens d. spicas, infra fluvius emergens*, Trajani. (Pellerin.)

ΕΠΙ. ΒΑCCΟΥ. ΕΤ. Γ. *Mons Argaeus*, Trajani, cujus titulis additur ΔΑΚΙΚΟC. (Morelli ibid.)

Ad hos numos observandum, I. egregie illis confirmari, quod narrat Suetonius [a]): *Vespasianus Cappadociae propter adsiduos barbarorum incursus legiones addidit, consularemque rectorem imposuit pro equite Romano.* II. Quoniam in numis eodem tempore tam in Cappadocia, quam Galatia signatis iidem magistratus leguntur, certum est, fuisse Galatiam Cappadociae contributam. III. In numo Trajani postremo legi titulum *Dacici*, ac praeterea ΕΤ. Γ. Quocunque calculo utare, hic titulus componi nequit cum anno III. Trajani. Cum hic imperare occoeperit exeunte Ianuario V. C. 851., Dacici vero titulum nonnisi V. C. 856. sumpserit, secundum calculum Belleyi, qui initium anni civilis Cappadocum ad diem XII. Decembris fixit, requiritur saltem VI. Cappadocum annus. Quare epigraphe haud dubie male lecta est, et fors exiguo notae discrimine restituendum ΕΤ. Ε. pro ΕΤ. Γ., quo pacto habebimus annum sextum. Demum

a) In Vesp. c. 8.

Digitized by Google

IV., si vera est lectio numi IV., in quo legitur annus VIII. Domitiani, vera item lectio numi postremi, in quo legendum conjeceram annum VI. Trajani, doceremur, Pomponio Basso saltem ab anno V. C. 841. usque saltem ad annum 856. fuisse prorogatam provinciam, quod viderint ii, quibus numos citatos inspicere licet. Ceterum Bassum hunc non patitur ignorari Plinius, qui eum scribit gestis amplissimis magistratibus, rectis exercitibus tandem aetate fessum in honesto otio literarum studia adsectatum a).

Non inutile ex his numis observare, eadem aetate spectata forma valuisse apud Galatas literas E et Σ, apud Cappadocas Є et C.

* * *

Metropolis: Hunc titulum urbi concessum ab Hadriano adfirmat Vaillantius, quin vadem citet. Eo primum utitur sub Antonino, ac subinde plerumque retinet.

* * *

Neocoratus: hunc, sed simplicem, inscribit inde a Severo. A Gordiano usque ad exitum B. N. vel B. NЄ.

* * *

Mentio situs ab Argaeo: ΠΡ. ΑΡΓ. vel: Τ. ΠΡ. ΑΡΓΑΙΩ. in nonnullis inde ab Antonino. Ipse etiam Strabo memorat, urbem ab hoc monte habuisse appellationem.

* * *

Asylum eruit Pellerinius ex autonomo, ut dictum.

* * *

Ludi:

KOINOC. CЄΤΗΡΙΟC. ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΟC. ЄΤ. ΙΓ. *Argaeus inter duas urnas*, Caracallae. (Pellerin Rec. III. p. 237. Arigoni.)

KOINOC. ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΟC. ЄΤ. ΙΔ. Caracallae. (Mus. Caes.)

Vterque numus rite conspirat cum calculo Belleyi. Secundum hunc annus Caesareensis ΙΓ. computatis Caracallae annis incepit die XII. Decembris V. C. 962., et exspiravit eodem die anni 963., quo tempore in vivis adhuc fuit Severus. Quare tum adhuc certamen Severium cum Philadelphio conjunctum fuit. Annus ΙΔ. fluxit a XII. Decembris V. C. 963. usque ad eundem diem 964. Hoc labente mortuus est Severus mense Februario. Cum ergo verisimile sit, numum post hujus mortem signatum, Severium certamen supprimi oportuit.

* * *

Epochae annum in numo hujus Caesareae cum capite Gordiani unus reperit auctor catalogi d'Ennery, in cujus is aversa haec legit: ΚΟΙ. ΠΟΝΤ. ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙCΑΡΙΑ. ЄΤ. ΡΟΗ. Addit, initium hujus epochae Caesarensis ducendum a Vespasiano, et ab hoc verisimile esse Caesaream fuisse dictam metropolin Cappadociae et partis Ponti b). At enim omnis haec oratio singulis sui partibus latissime fallit, cui demonstrando necesse non est immorari, cum alioqui certum sit, numi epigraphen male lectam, eumque non esse Caesareae Cappadociae, sed Neocaesareae Ponti, cui geminum jam olim edidit Panelius c).

* * *

Panelius numum Gordiani ex museo le Bret protulit, in quo legitur ЄΝΤΙΧ.

a) L. IV. epist. 23. b) pag. 556. c) de num. Treboniani p. 18.

Digitized by Google

inscriptum basi montis Argaei. Ea lectio si certa est, est etiam incerti explicatus.

AV. RRRR. AR. R. AE. C.

CASTABALA.

Prope Tyana.

Imperatorii.

Hactenus editi sequentes:

ΚΑΣΤΑΒΑΛΕΩΝ. *Mulier sedens d. ramum, s. oblongam taedam*, in numo Faustinae sen. scripto: ΦΑΥΣΤΕΙΝΑ. ΘΕΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. (Pellerin Suppl. III. p. 132.)

Numus hic postremum est monumentum mihi cognitum, ac certae fidei, in quo sigma adhuc sub forma Σ comparet.

ΙЄΡΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum, prae quo taeda*, in numo Lucillae. (Haym T. II. tab. 36.)

ΙЄΡΟΠ. ΚΑCΤΑΒΑΛЄΩΝ. *Victoria gradiens*, in numo Macrini. (Mus. Theup. p. 1007. ubi perperam legitur ΤΑΒΑΛЄΩΝ ΙЄΡΟΠ. ΚΑC.)

ΙЄΡΟΠΟ. ΚΑCΤΑΒΑ. ΙЄΡΟC. *Vrna ludorum inter duas taedas ardentes*, in numis Diadumeniani et Elagabali. (Vaill.)

De posterioribus his numis tres video ferri sententias. Harduinus concordiam inter Hieropolin Syriae et Castabala Ciliciae opinatur. Vaillantius censuit Castabalis Ciliciae alterum fuisse nomen Hieropoleos [a]), quam sententiam amplexus etiam est olim Pellerinius [b]). Tertia Pellerinii sententia, cui serius ipse adhaesit [c]), in numis his indicari concordiam inter Castabala et Hieropolin, utramque Ciliciae urbem. Nam cum, ait, ex autonomis aliquot constet, fuisse in Cilicia urbem Hieropolis nomine, et eam Pyramo adsitam monente inscriptione: ΙЄΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΥΡΑΜΩΙ., Castabala vero remotiora a Pyramo fuerint docente Curtio [d]): *Motis castris et Pyramo amne ponte juncto ad urbem Mallon pervenit, inde alteris castris ad Castabalum*, satis apparet, etsi vicinam, diversam tamen fuisse utramque urbem, nihil ergo pronius, quam expressam in his numis utriusque urbis concordiam opinari.

Minus adridet haec Pellerinii sententia, quia I. nulla concordiae indicia in hoc numo comparent, neque verbum ΟΜΟΝΟΙΑ, neque duarum urbium numina. II. quia nullum certum numum urbium Ciliciae habemus, in quo concordia cum altera urbe notaretur, ut adeo hunc morem in eo tractu nunquam obtinuisse verisimile sit. III. Etsi certum sit, fuisse revera in Cilicia urbem aliquam, quae Hieropolis vocabatur, ex eo non sequitur, non potuisse aliam vicinam urbem idem Hieropolis nomen instar nominis sacri et honorifici usurpare. Ita vidimus, fuisse in Galatia urbem dictam Sebasten, atque eodem nomine, sed mere honorifico gloriatam vicinam Ancyram, quae in marmore dicitur ΣΕΒΑΣΤΗ. ΑΝΚΥΡΑ. Quare necesse omnino non est, concordiam, cujus indicia nulla adsunt, in his notatam credere.

---

a) Num. Graec. in Diadum. b) Rec. II. p. 163. c) Suppl. III. p. 132. d) L. III. c. 7.

Digitized by Google

Potius igitur credam cum Vaillantio, Castabala dicta fuisse etiam Hieropolin, et memorari in numis utrumque urbis nomen, ut in Comanorum Ponti numis etiam additum Hierocaesareae nomen diximus, aliaque idem passim exempla docent. Et verisimile est propter ludos sacros hac in urbe constitutos, quos epigraphe IЄPOC indicat, et cultum Dianae, quem mox probabimus, huic urbi Hieropolis nomen additum. Sic et teste Luciano Bambyce Cyrrhesticae dicta *Hieropolis των ἱερων μεγαλων ἑνεκα* a).

Quaerendum jam, quibus Castabalis, Ciliciaene, an Cappadociae, applicandi sint hi numi. Pellerinius numum Faustinae ad Castabala Cappadociae pertinere propter typum mulieris taedam manu tenentis recte conjicit. Censet enim, hanc esse Dianam, cui nomine *Perasiae* magni sunt habiti apud haec Castabala honores, sic dictae Strabone auctore, quod ex Tauro *trans mare* huc pervenerit, et revera testatur Pausanias, Cappadocas cum Euxini accolis certasse, apud utram gentem sit Dianae Tauricae signum b). Vide etiam, quae Procopius de Diana Taurica in hoc tractu culta memorat c). Ejus deae sacerdotes per substratas prunas impune incessere teste Strabone. Si ergo hic Faustinae numus propter dictum typum Cappadociae urbi rite tribuitur, sequentes etiam bini propter typum taedarum, tanquam certum Dianae docente numo praecedente attributum, eidem urbi jure tribuentur. Notum, Dianam Luciferam praeferre manibus taedas, et ex Stratoniceae, aliisque numis docemur, eas esse Hecate proprias, quae ex mythologia fuit eadem cum Diana. Scriptum ad has faces IЄPOC indicat, in ejusdem deae honorem sacrum hunc agonem obitum, ex quo, ut dixi, urbi *Hieropolis* nomen adhaeserit. Per causam taedae etiam huc vocandum censeo numum Lucillae, etsi solo IЄPOPOΛЄITΩN inscriptum. Si huc non pertinet, erit Hieropolis Cyrrhesticae, sed cujus hac aetate longe alii fuere typi.

AE. RRR.

CYBISTRA.

Ad fines Ciliciae, saepe Ciceroni Ciliciae proconsuli memorata.

ЄΠI. POTCΩNOC. *Caput mulie-bre turritum.* Ꝟ KYBICTPЄΩN. *Harpa.* AE. III.

Hanc urbem ex numis hactenus ignotam primus nuper illustriorem fecit eruditus ac industrius Sestinius d).

AE. RRRR.

DIOCAESAREA.

Tributum huic a Vaillantio Antonini numum esse Diocaesareae Sepphoris Galilaeae, in hac dicetur.

EVSEBIA.

Vide supra in Caesarea.

a) de Dea Syr. sub. init. b) L. III. c. 16. c) Bell. Pers. L. I. c. 17. d) Lettere T. IV. p. 119.

Digitized by Google

TYANA.

Tauro adsita, patria famigerati Apollonii ab hac dicti Tyanei.

Autonomi:

Taurus gradiens. Ɪ TTANЄΩN. *Iuppiter sedens d. pateram, s. hastam.* AE. III. (Pellerin.)

Taurus partis anticae manifesta est adlusio ad Taurum montem, cui adposita fuit urbs.

Caput virile velut Mercurii galea tectum. Ɪ TTAN. *Pegasus dimidius.* AE. (Arigoni.)

Caput muliebre turritum. Ɪ TTANЄΩN. *Vir nudus stans dubiis attributis.* AE. III. (Pembrock.)

In utroque hoc numo existimo propositum Perseum, cujus cognitus est cum Pegaso nexus. Ejus herois cultus facile a vicino Iconio Lycaoniae huc fluxerit.

AE. RRR.

Imperatorii.

Porriguntur a Nerone usque ad Severum, addunturque constanter

Anni imperii, ut in numis Caesareae, suntque

Neronis: Z. IB. (Vaill. Mus. Caes.)

Trajani: ЄT. A. (Pellerin.)

Hadriani: ЄT. Є. (Vaill.)

Antonini: ЄT. IB. IΘ. (Mus. Caes. Vaill.)

Aurelii: ЄT. B. (Mus. Caes.)

Severi: ЄT. Δ. (Haym.)

Epigraphe: TTANЄΩN. *Typus* plerumque: *Mulier turrita rupi insidens d. spicas., pro. pedibus fluvius emergens.*

Honorum tituli:

Ιερα Ασυλος constanter inscribitur inde ab Antonino.

Αυτονομος additur in numis Antonini et Severi. (Vaill. Mus. Caes.)

Plena epigraphe: TTANЄΩN. IЄPAC. ACTΛOT. K. ATTONOMOT. in numo Severi. (Vaill.)

Mentio situs a Tauro monte, scribiturque: T. Π T. vel TΩN. Π. T. quod explendum: TΩN. Προς Ταυρῳ. In autonomo supra citato, et in numo Severi apud Haymium, est taurus cum adlusione ad montem Taurum, nam teste Dionysio Periegete [a])

Ταυρον δε ἑ κικλησκυσιν,
Ουνεκα ταυροφανες τε και ὀξυκαρηνον ὀδευει,
Ουρεσιν ἐκταδιοισι πολυσχιδες ἐνθα και ἐνθα.

Taurum vero eum vocant,
Eo quod tauro similis, et acutum caput habens incedit,
Montibus spatiosis multifidus hinc et inde.

Nisi forte taurus adludit ad Tauros Euxini accolas; nam teste Arriano [b]) haec urbs olim pro Tyana dicta fuit Thoana a Thoante rege Taurorum, qui, cum Orestem ac Pyladem persequeretur, hoc loco interiisse dicitur. Nexum vicinorum Castabalorum cum Tauride mox vidimus.

---

a) v. 641. b) Peripl. Eux.

Digitized by Google

Magistratus:

Numum Pomponii Bassi legati cum capite Trajani a Tyanensibus signatum dedi supra in numis Caesareae.

AE. RR.

Colonia Tyana. Sex hactenus Tyanensium numi coloniae nomine cogniti, quos omnes ignorabant Vaillantius et Harduinus. Omnes Caracallae dicati, dempto uno Domnae, quem dedit Sestinus [a]). Omnes ЄΤ. Iς. et praenomen *Antoninianae* offerunt. Horum numorum ope discimus, quod scriptores veteres omnes dissimulavere, non modo Tyana fuisse coloniam, sed discimus etiam propiora, nimirum deductam a Caracalla, et quidem verisimiliter anno imperii ejus XVI. secundum Cappadocum computum, qui coepit a XII. Decembris 965., quod inde patet, quia in numis Severi coloniae mentio nondum fit. Ejus vero natales incidere in annum Caracallae XVI. Cappadocicum, probabile est., quia tot numi cum solo hoc anno producti sunt. Ex quo apparet, eo anno occasione festorum certaminum propter deductam coloniam constitutorum, quorum quoque memoriam conservavit numus, majore numero in hac urbe flatam monetam.

Epigraphe: ANT. ΚΟΛΩΝΙ. ΤΤΑΝΩΝ. ЄΤ. Iς. in aliis ΚΟΛΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑ. Istud singulare, omnes hujus urbis numos coloniae nomine inscribi ΤΤΑΝΩΝ, cum alii omnes inscribantur ΤΤΑΝЄΩΝ. Alia epigraphe non occurrit, sed in omnibus est eadem. Quare jure το ΑΜΗ. apud Arigonium in ΑΝΤ. corrigendum, indito Antoninianae nomine a conditore coloniae Antonino Caracalla.

Typi:

Colonus arans. (Pellerin Suppl. I. p. 43.)

Roma armis insidens. (Arigoni.)

Victoria gradiens. (Pembrock P. III. tab. 80. Arigoni.)

Mulier turrita rupi insidens. (Haym.)

Mulier turrita rupi insidens s. clypeum tenet, cui inscriptum: ΑΓΩΝ. ΑΝΤΩΝΙΝΙΑΝ. *Certamen Antoninianum.* (Pellerin Rec. I. p. XV.)

Hygia et Aesculapius stantes medio inter hos Telesphoro. (Sestini l. c.)

AE. RRR.

REGES CAPPADOCIAE.

Vt ante Alexandrum M. universa Cappadociae historia obscura est, sic et regum, qui per vices Assyriis, Medis, Persis obnoxii fuere. Qui Alexandri

a) Lettere T. III. p. 131.

Digitized by Google

aetate imperaverunt, dicti Ariarathes, ad Cyrum Persam genus suum retulere. Testatur istud Diodorus Siculus regum seriem inde a Cyro ductam instruens [a]). Imperantibus Persis Cappadocia divisa, ejusque pars Ponto adjacens data Artabazi ex stirpe Achaemenidarum, unde profecti reges Ponti, ut in his diximus.

Regum Cappadociae historiam scripsit Reinerus Reineccius, serius numis illustratam dedere Spanhemius [b]), Frölichius [c]), Belleyus [d]), qui jam olim in reges dictos Ariobarzanes praeclare commentatus est [e]). Suas etiam animadversiones ex numis suis addidit Pellerinius [f]). Horum virorum elucubrationes, quos in iis scribendis omni usos adcuratione constat, tanto securius possumus sequi, quod ab eo tempore nihil amplius, quod norim, ad cognitos jam horum regum numos accessit.

ARIARATHES I.

Cum Artaxerxe Ocho contra Aegyptios arma jungit. Holophernem fratrem regni socium adhibet [g]).

ARIARATHES II.

Eo regnante Alexander Persarum imperium evertit. Alexandro mortuo Perdiccas Eumenem mittit, qui victo caesoque Ariarathe Cappadociam sibi subjicit V. C. 432 [h]).

ARIARATHES III.

Caeso patre in Armeniam profugus latet, donec mortuis Perdicca et Eumene, Antigono vero et Seleuco bello districtis, impetratisque ab Armeniae rege auxiliis redux Macedonas caeso eorum duce Amynta expulit circa annum V. C. 452.

ARIAMNES.

Ariarathis III. filius nulla re insigni memoriae prodita moritur, incertum quo anno.

ARIARATHES IV.

Ariamnis F. vivo adhuc patre Stratonicen Antiochi II. filiam uxorem ducit. Annus mortis incertus.

Numus:

Caput imberbe diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. *Pallas sedens d. Victoriolam, s. hastam, et simul clypeo innixa, in area noctua et literae solitariae.* AR. I. (Pellerin.)

Insignis est hic numus, quia unicus ex regum Cappadociae numis maximi moduli, cum reliqui omnes sint formae III. Eum Pellerinius Ariarathi I. vel II. tribuendum putat. Rationes, quas adfert, istud non persuadent, at praesto mihi sunt graviores aliae, quae

a) L. XXXI. eclog. 3. b) Tom. I. p. 468. c) Not. elem. p. 183. d) B. L. T. XL. hist. p. 129. e) B. L. T. XXIII. hist. p. 189. f) Rois p. 195. g) Diodor. l. c. h) Diodor. l. c.

Digitized by Google

evincere videntur, eum ad Ariarathen IV., vel unum aliquem ex proximis successoribus pertinere. Verisimile non est, priores duos Ariarathes, Persarum haud dubie religioni addictos, quia ab his profecti fuere, nullo adhuc cum Graecis commercio, Graecorum religionem in moneta publica professos. Accedit, numum hunc usque adeo similem esse tetradrachmis Lysimachi, quod Pellerinius ipse profiteter, ut dubitari non possit, ab his praesentis numi exemplum sumptum. At vero Lysimachus nonnisi anno V. C. 432. Thraciae regnum adivit, et eodem hoc anno Ariarathem II. caesum diximus. Neque etiam verisimile, Ariarathem III. a Graecis regno pulsum, et deinceps perpetuum eorum hostem Graecorum mores ac religionem adfectasse. Sed enim inde ab Ariarathe IV. plus cum Graecis commercii, et major amicitiae causa, postea quam is cum Syriae regibus, ut diximus, adfinitatem contraxit. Circum eadem etiam tempora Mithridates quispiam Ponti rex numos signavit ad exemplar tetradrachmorum Alexandri M., ut in moneta regum Ponti diximus.

ARIARATHES V.

Antiochidem Antiochi M. filiam uxorem ducit. Haec cum liberis careret, duos marito filios supponit. Subinde praeter spem praegnans filium enixa est futurum successoren [a]). Antiochum socerum adversum Romanos juvit, sed illo victo pecunia multatus amicitiam deinceps cum Romanis coluit. In filium suum tanto ferebatur amore, ut regnum vivus cedere filio cuperet, sed constanter recusanti [b]). Moritur V. C. circiter 588.

Ariarathem hunc dictum fuisse Εὐσεβῆ, *Pium*, diserte adfirmat Belleyus, ac propterea illi numos tribuit, qui cognomen istud praeferunt, verum ejus illi tributi nemo veterum meminit.

ARIARATHES VI.

A pietate in patrem cognitus. Philosophiae studiis impense deditus eruditos Graecos ad se arcessit. Amicitiam cum Romanis renovat. Haec Diodorus, qui in hoc Ariarathe desinit. Obiit Romanorum socius in bello contra Aristonicum V. C. 624 [c]).

ARIARATHES VII.

Vxorem habuit Laodicen Mithridatis VI. Ponti regis sororem, postea adfinis regis insidiis e medio tollitur circiter V. C. 658 [d]).

ARIARATHES VIII.

Cum Nicomedes III. Bithyniae rex ducta Laodice Ariarathis VII. filia Cappadociam invasisset, istud aegre ferens Mithridates pulso per pietatis speciem Nicomede nepotem ex sorore Ariarathem avito regno restituit. At ejus ipse avidus adolescentem ad colloquium

a) Diodor. l. c. b) Diodor. l. c. c) Iustin. L. XXXVII. 1. XXXVIII. 2. d) Iustin. L. XXXVIII. 1.

Digitized by Google

solicitat, et incautum in conspectu duorum exercituum obtruncat V. C. 661 a).

ARIARATHES IX.

Ariarathis VIII. frater, hoc caeso a popularibus ad regnum vocatus, sed mox a Mithridate victus, et regno dejectus paullo post ex aegritudine decedit V. C. 662 b).

Numi ARIARATHIS *nomine inscripti.*

Vt in plerisque regum numis molestum est discrimen, sic in regum Cappadociae numis molestissimum. Addita cognomina, quae alios reges facile saepe distinguunt, in his hactenus otiosa sunt. Cognomina regum Ariarathis nomine tria ex numis comperta, ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ., sed cum horum nullum a scriptoribus memoretur, incertum manet, ad quem singula sint referenda. Nimis confidenter Belleyus Ariarathen V. *Eusebem*, Ariarathen VIII. *Philometora* fuisse dictum adserit, sed nullo istud testimonio probat. Quo factum, ut quicunque hactenus regum Cappadociae numos vulgarunt, diversum omnes eorum ordinem instruerent, ut videre potes in Spanhemio, Begero, Haymio, Belleyo, Frölichio, Pellerinio. Aliquid tamen conferunt additi plerumque regni anni, ex quibus istud conficitur, si auctiores sunt, non posse ejus esse regis, cujus contractius fuit regnum. Eruditorum dissidia, quae in praesens componi non possunt, forte olim poterunt, quando horum numorum auctiore numero ex regum vultu et inscriptis annis facilior erit judicandi potestas. En tibi cognitos hactenus id genus numos:

* * *

Caput regis diadematum. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo, infra anni* Δ. Ε. ΙΑ. ΙΓ. Λ. ΒΛ. ΓΛ. AR. III.

Caput regis diadematum. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Pallas similis, infra anni* Ε. Ι. AR. III. (Mus. Caes.)

Caput regis diadematum. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. *Pallas similis, infra annus* Θ. AR. III. (Haym.)

* * *

Exstincta cum Ariarathe IX. familia regia, et Mithridate a Romanis Cappadocia excedere jusso, gens Cappadocum sub regibus vivere adsueta oblatam sibi libertatem aspernata, regem sibi adprobantibus Romanis delegit ARIOBARZANEM anno V. C. 663. Huic successere ARIOBARZANES II. et III., et denique hujus frater ARIARATHES X., in quo Ariobarzanis genus defecit inducto in regnum ARCHELAO. Atque hunc ultimae stirpis ordinem contra omnium hactenus eruditorum sententiam stabilivit Belleyus in egregia sua dissertatione c), quam fere solam deinceps citabo.

a) Iustin. L. XXXVIII. 1. b) Iustin. L. XXXVIII. 2. c) B. L. T. XXIII. hist. p. 189.

Digitized by Google

ARIOBARZANES I. PHILOROMAEVS.

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam cum clypeo, infra* ΙΕ. Iς. ΚΒ. ΖΚ. ΘΚ. ΓΛ. ΑΡ. ΙΙΙ. (Mus. Caes. Belley, Pellerin.)

Ante omnia hic Ariobarzanes I. Philoromaeus stabiliendus, quod praestabit eximium epigramma repertum Athenis, et vulgatum a Belleyo [a]):

ΒΑΣΙΛΕΑ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΗΝ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΑ. ΤΟΝ. ΕΚ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΑΘΗΝΑΙΔΟΣ. ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΥ. ΟΙ. ΚΑΤΑΣΤΑΘΕΝΤΕΣ. ΤΠ. ΑΥΤΟΥ. ΕΠΙ. ΤΗΝ. ΤΟΥ. ΩΙΔΕΟΥ. (sic) ΚΑΤΑΣΚΕΥΗΝ. ΓΑΙΟΣ. ΚΑΙ. ΜΑΡΚΟΣ. ΣΤΑΛΛΙΟΙ. ΓΑΙΟΥ. ΥΙΟΙ. ΚΑΙ. ΜΕΝΑΛΙΠΠΟΣ. ΕΑΥΤΩΝ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ.

Habemus ergo ex hoc marmore Ariobarzanem Philoromaeum patrem Ariobarzanis Philopatoros, quem fuisse Ariobarzanem II. infra probabimus, et quod sequitur, numi, qui ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ solum titulum addunt, erunt Ariobarzanis I.

Ariobarzanem I. saltem annos XXXIII. Cappadociae praefuisse, ex numis tenemus. Ergo cum regnum adiverit. V. C. 663., annus ΓΛ. incipit V. C. 695. Nomen ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ suscepit, sive quia confirmatum a Romanis habuit regnum, et cum regno deturbatus fuisset a Mithridate, primum a Sulla V. C. 668., iterum a Pompejo V. C. 688. fuit restitutus, sive per suetam tum regum inservientium adulationem.

Uxorem habuit Athenaidem teste marmore, nam eam scriptores reticent. Dicitur ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΣ., quod Belleyo est *liberorum amans.* Aliam Athenaidem Philostorgon fuisse etiam uxorem Ariobarzanis II., infra videbimus.

ARIOBARZANES II. PHILOPATOR.

Filius Ariobarzanis I. Philoromaei, ut dictavit marmor Atticum mox citatum. Patri adhuc vivo additum fuisse collegam, docet Val. Maximus, cum refert [b]), Ariobarzanem I. juxta Pompejum M. in sella curuli sedentem, cum videret filium in cornu scribae humiliorem fortuna sua locum obtinentem, non sustinuisse istud, sed descendentem sella diadema in filii caput transtulisse, eumque hortatum, ut eo transiret, unde ipse surrexerat. Cum pater instaret, filius cum lacrimis pie reluctari pergeret, Pompejus ex patris voluntate filium et regem appellavit, et diadema sumere jussit, et in curuli sella considere coegit. En luculentam filio causam, cur PHILOPATORIS nomen sibi adsciscere. Athenis odeum, cum urbs a Sulla oppugnaretur, multis damnis adfectum suis sumptibus reficiendum curavit teste marmore in patris numis laudato. Moritur V. C. 702. violenta morte, ut colligitur ex Cicerone [c]).

Habuisse uxorem *Athenaidem Philostorgon*, et ex ea filium *Ariobarza-*

a) l. c. b) L. V. c. 7. c) ad Famil. L. XV. ep. 2.

Digitized by Google

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM

nem Euseben Philoromaeum, docet marmor Atticum editum a Corsino, restitutum a Belleyo:

Ο. ΔΗΜΟΣ. ΒΑΣΙΛΕΑ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΗΝ. ΕΥΣΕΒΗ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ. ΤΟΝ. ΕΚ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΑΘΗΝΑΙΔΟΣ. ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΟΥ. ΤΟΝ. ΕΑΥΤΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Athenaidis regnante Ariobarzane III. turbulentae feminae meminit Cicero [a]): *Metram et Athenaeum importunitate Athenaidis exilio multatos maxima apud regem auctoritate gratiaque constitui.* Quae fuerit haec Athenais, Cicero non addit, sed apparet ex marmore, fuisse Ariobarzanis III. matrem.

Numi:

Caput regis diadematum. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Pallas, ut in praecedentibus.* AR. III. (Pembrock, Belley.)

ARIOBARZANES. III. EVSEBES PHILOROMAEVS.

Ariobarzanis II. et Athenaidos F. A Cicerone tum in provinciam Ciliciam profecto senatus nomine rex appellatus [b]) et adversum suorum insidias protectus, dictus ab hoc quoque *Eusebes*, et *Philoromaeus* [c]). In bello civili Pompejum subsidiis juvit [d]), subinde a I. Caesare adversus Pharnacem Ponti regem defensus [e]). A Cassio, quod a bello contra IIIviros abhorrebat, misso in Cappadociam milite caesus est V. C. 712 [f]).

Numi:

Caput regis diadematum. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΟΒΑΡΖΑΝΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΥ. *Pallas stans, ut in prioribus, infra* Θ, *in nonnullorum area luna et astrum.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin, Belley.)

Docente anno Θ numi hi signati sunt V. C. 710. vel 711. Luna et sol, in Ponticis quoque numis obvii, Persicam regum originem indicant, ut dixi in numis Mithridatis I. Pontici.

ARIARATHES X. EVSEBES. PHILADELPHVS.

Ariobarzanis III. frater memoratus Ciceroni [g]). Fratri caeso successurus aemulum nactus est Sisinnam Glaphyrae meretricis F., Archelai, de quo mox, fratrem. M. Antonio V. C. 713. res Asiae componente regi justo praelatus Sisinna in Glaphyrae gratiam [h]). Etiam Strabo meminit Sisinnae aetate sua Cappadociae regnum adfectantis [i]). Distento subinde aliis curis Antonio videtur Ariarathes regnum avitum ejecto aut mortuo forte aemulo recuperasse. Istud certum ex Dione [k]), Antonium V. C. 718. Cappadociam pulso Ariarathe dedisse Archelao Glaphyrae F. Ergo, ut vere Strabo [l]), Ariobarzanis genus defecit in tertia stirpe, quarum I. fuit

a) Ad Fam. L. XV. ep. 4. b) Cic. ad Fam. L. II. ep. 17. c) ad Fam. L. XV. ep. 2. d) Caes. B. C. L. III. c. 4. e) Hirt. Bell. Alex. c. 34. et 36. f) Dio L. XLVII. 33. Appian. B. C. L. IV. g) ad Fam. L. XV. ep. 2. h) Appian. B. C. L. V. i) L. XII. p. m. 811. k) L. XLIV. §. 32. l) L. XII. p. m. 815.

Digitized by Google

Ariobarzanis I., altera Ariobarzanis II., tertia Ariobarzanis III. et Ariarathis X. fratris.

Numi:

Caput regis diadematum barbatum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΙΑΡΑΘΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Pallas stans, ut in prioribus, in area tropaeum, et* ΑΘΕ. AR. III. (Belley, Pembrock.)

Nomen *Pii* habuit cum fratre commune. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ rationem dabit Cicero, apud quem Ariobarzanes rex fratrem Ariarathem amantissimum sui, et summa pietate praeditum appellat [a]).

ARCHELAVS.

Genus illi paternum ab Archelao avo, qui sub Mithridate VI. Ponti rege contra Romanos dimicavit, mater Glaphyra scortum [b]). Archelaus autem noster regali Comanorum Ponti sacerdotio insignis [c]), subinde V. C. 718. in regnum Cappadociae dejecto rege Ariarathe intrusus est ab Antonio matris Glaphyrae illecebris capto [d]), quem ineptum IIIviri amorem risit adhuc Martialis [e]). In postremo bello civili Antonii partes secuto non modo ignovit Augustus [f]), sed etiam V. C. 734. Armeniam minorem et maritima quaedam Ciliciae largitus est [g]). Extrema senecta Romam evocatus a Tiberio sibi infenso, quod eum Rhodi agentem nullo officio coluisset, honoribus omnibus in C. Caesarem Agrippae F. versis, spem inter metumque positus diem in urbe obivit; spontene, an fato, incertum, V. C. 770 [h]). Deinceps Cappadocia in provinciam redacta, ejusque fructibus vectigal imminutum [i]).

Vxor I. incerti nominis, ex qua nata Glaphyra, nupta primum Alexandro Herodis M. filio, deinde Iubae II. Numidiae regi, denique Archelao Herodis M. filio. Vxor II. Pythodoris vidua Polemonis I. Ponti et Bospori regis.

Numi:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΧΕΛΑΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ. ΤΟΥ. ΚΤΙΣΤΟΥ. *Clava, in area* K., *in alio:* MB. AR. III. (Pellerin Rois p. 198. Panel Catal. le Bret.)

ΦΙΛΟΠΑΤΡΙΔΟΣ, *patriam amantis* titulus rarus in numis, unde factum, ut antiquarii priores in similibus aliis ea parte laesis legendum putarent ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. Habemus etiam Φιλοπατρίδα A. Gessium, in numis Smyrnae. Dicitur idem ΚΤΙΣΤΗΣ, *conditor*, haud dubie propter urbem Elaeusam, quam sitam in insula cognomine Ciliciae fere contigua de novo condidit, et in Augusti gratiam *Sebasten* appellavit,

a) Ad Fam. L. XV. ep. 2. b) Dio L. XLIX. §. 32. c) Strabo L. XVII. p. m. 1147. d) Dio l. c. e) L. XI. ep. 21. f) Dio L. LI. §. 2. g) Dio L. LIV. §. 9. h) Tacit. Ann. II. 42. Dio L. LVII. §. 17. i) Tacit. l. c.

Digitized by Google

ut diximus in hujus insulae numis. Anni regni K. et MB. ducendi ab anno V. C. 718., quo illud ab Archelao aditum diximus. Clavae ratio mihi ignota.

ARMENIA.

In majorem et minorem divisa, quarum illa in orientem, haec in occasum vergebat, olim Persis paruit. Horum imperio ab Alexandro everso post varias vices in Seleucidarum potestatem concessit, quam praefectis suo nomine administrandam dedere. Ex his Artaxias Armeniae majori, Zadriades minori pro Antiocho III. praefecti, cum viderent regem suum Romanorum armis fractum, commissas sibi provincias regio singuli nomine coeperunt administrare, quin aut is, aut successores reges recuperare amissa possent. Crescentibus hinc Romanis, inde Parthis Armenia inter utrosque posita perpetuum fuit bellorum, aut ambiguae pacis argumentum, juxta periculoso, his, illisve adhaereret. Sed haec ad scriptores rerum Armeniacarum pertinent.

Res numismatica fortunam in Armenia parum propitiam experta est. Ejus urbium numi saltem certae fidei comperti hactenus non sunt. Paucae illae, quae numorum feraces nonnullis visae sunt, produntur sequentes:

ARSAMOSATA.

Fuere, qui numum M. Aurelii premulgarent cum credita epigraphe APMOCAITTHNΩN, et arguerent adeo, hanc Armeniae urbem dicendam *Armosata* non *Arsamosata*. Verum in hoc numo legendum ЄPMOC. CAITTHNΩN., eumque tribuendum Saettenis Lydiae, docuit Barthelemyus, quem vide a).

ARXATA.

Huic urbi Pellerinius conjicit tribui posse *autonomum* argenteum. *Caput Palladis.* Ɪ *Pallas sedens*, at ex epigraphe solae literae APΞ rite discernuntur. Res dubia.

DARANISSA.

Perperam Suintonus Anglus huc vocavit numum cum praetensa epigraphe ΔAPΔANOCCHNΩN, qui est Ilii Troadis, ut in hujus numis dictum.

---

a) B. L. T. XXI. Mem. p. 416.

Digitized by Google

* * *

Certes ergo urbium numos cum non habeamus, habemus tamen paucos regum, de quibus continuo.

REGES ARMENIAE.

Horum series egena et manca, et nonnullorum, quos reges numi appellant, ipsa nomina historiae fere ignota, sic ut per conjecturas tantum ab externis quibusdam signis petitas fuisse Armeniae reges liceat statuere. Vnde factum, ut eruditi, qui eos illustrare sunt agressi, multa impensa opera conjecturarum denique molem cogerentur obtrudere, in qua evolvenda plus taedii, quam verae scientiae percipimus.

Inter signa externa, quae Armeniae reges discriminant, reponimus tegmen capitis in fastigium more regum orientis abiens. Illud recepto more tiaram lubet compellare, etsi in nonnullis contrarium mihi videam Pellerinium, qui prolixa disputatione veram tiarae, et mitrae, et cidaris formam explicare instituit a), sed qua perlecta incertior eram, quam dudum. Eam regum Armeniae tiaram ex primo instituto, cum simplicitas adhuc valuit, fuisse conicam nullo alio addito ornamento, nisi diademate, ipsi videntur docere numi, ex quibus ii, qui antiquitate praestant, cum simili, neque alterius formae tiara, reges suos proponunt, ut videre est ex numis Arsamis, Xerxis, Sami, et quem ex eadem causa huc voco, Mithridatis. Sequior aetas in Armeniaca hac tiara coni apicem truncavit, credo, ut radiis locum faceret, quibus subinde ejus oram distinxit, quod solem impensius observavere Armenii, sive quod regum Syriae cultum volebant imitari. Hujus formae tiara comparet in omnibus posteriorum regum numis, Tigranis, Artavasdis, Antiochi IV. Commageni, et filiorum Epiphanis et Callinici, et eodem exemplo in denariis M. Antonii, et Augusti, qui Armeniae devictae testimoniis gloriantur. Neque hic constitit novandi amor, nam inserta illi astra, adstantibus nonnunquam binis aquilis, in nonnullis Commagenis inseulptus scorpius etc. Haec copiosius exposui propterea, ut, cum forte id genus numi haetenus ignoti occurrent, non modo planius intelligamus, eos in Armeniam potius, quam aliorsum derivandos, verum etiam cui opportunius aetati possint adcommodari, quantum per has tenebras licuerit, dispiciamus. Dixi, tiaram hanc simul diademate fuisse revinctam, quod docent non modo in-

a) Lettres p. 90.

Digitized by Google

specti numi, sed et Dio narrans [a]), Tigranem gessisse τιαραν, το τε διαδημα.

En tibi regum Armeniae ex numis catalogum secundum tempora, quibus regnasse videntur, digestum. Quoniam propter historicorum silentium spes non adfulget, fore ut collata quacunque opera in iis explicandis certum aliquid et exploratum possit adferri, ne conjecturarum examen augeam, lubet inhaerere iis, quae viri eruditi, cum eos vulgarent, quacunque fortuna praecepere. Regum Armeniae catalogum ex scriptorum testimoniis struxerunt Reinerus Reineccius, et Vaillantius, qui eum appendicis instar suae Arsacidarum historiae subjecit.

ARSAMES.

Caput regis imberbe tiara conica et diademate tectum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕ - - ΛΙΣΑΜΟ - *Vir pileo conico tectus d. hastam citato equo vehitur.* ΑΕ. II. (Pellerin Lettres p. 79.)

Ipse capitis cultus monet, numisma istud ad hunc tractum pertinere. Nomen ΛΙΣΑΜΟ posset nos de vera regis appellatione reddere ambiguos, nisi ex aliis, et quidem ejus viciniae monumentis constaret, elementum A omissa lineola transversa saepe ut Λ, et P omisso annullo ut I exarari. Suffecta igitur vera literarum forma evadit ΑΡΣΑΜΟ. Frölichius, cum creditum Arsamis numum, inscriptum ΣΑΜΟΤ ederet, sed quem serius, ut mox infra dicetur, esse regis Sami, vel Samis constabat, illustrium per Persiam et Armeniam virorum catalogum concinnavit, qui *Arsamis* nomine praediti fuere. Horum nullus cum viro erudito adrideret, ad conjecturas conversus suspicatur, regnante Seleuco II. Arsamen quendam, illustrem haud dubie Persam, per ejus tempestatis turbida regem se Armeniae appellasse, et fuisse conditorem urbis in Armenia positae, quam de se *Arsamosata* dixerit, eumque etiam videri fuisse patrem Xerxis, de quo agetur continuo. En summam conjecturarum, quas prolixius expositas ex ipso Pellerinio pete [b]). Ceterum fatetur hic, numum praesentem ejusdem esse fabricae, cujus sunt numi regum Syriae circum Seleuci II. tempora signati.

XERXES.

Caput regis barbatum tiara conica et diademata tectum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΞΕΡΞΟΥ. *Victoria stans d. protenta coronam, s. scutum humi attinet, pro pedibus* Η. ΑΕ. III. (Barthelemi B. L. T. XXI. Mem. p. 404.)

Alius similis, sed ΑΡ. III. (Catal. d'Ennery p. 28.)

Numum priorem ex regis Galliarum museo subjectis praeclaris commentariis edidit Barthelemyus [c]), eumque in variis suis operibus obtulit Frölichius communicato secum ab erudito de Boze ectypo. Vterque numum hunc tribuit Xerxi Armeniae regi, de quo unus Polybius in excerptis Valesii haec habet [d]). Cum Antiochus Armosata

a) L. XXXVI. §. 35. b) l. c. c) l. c. d) de virt. et vit. L. VIII.

Digitized by Google

inter Euphraten et Tigrim sita oppugnare pararet, Xerxem ejus urbis regem viribus suis diffisum fuga sibi primum consuluisse, subinde missis legatis ejus petiisse colloquium. Tum vero Antiocho amicos persuadere voluisse, ne juvenem regem amplius dimitteret, sed urbem regnumque daret Mithridati sororis suae naturalis filio, ὁς ἦν υἱος της ἀδελφης αὐτυ κατα φυσιν. Sed enim tantum abfuisse, ut amicorum consilium rex sequeretur, ut in regno confirmaret etiam copulata ei sorore Antiochide. Haec Polybius. Existimat Barthelemyus, memoratum scriptori Graeco Antiochum fuisse Antiochum III., atque inde conjicit, jam ante Artaxiam et Zadriadem Armeniae praefectos, quos ab hoc Antiocho defecisse refert historia, fuisse reges, qui se Syrorum imperio subtraxere. At Frölichius in Antiochum IV. inclinat, et multis adlatis argumentis conjecturam fulcit [a]). Observavit praeterea Barthelemyus, hunc Xerxis numum tam fabrica, quam typo, et epigraphes situ simillimum esse iis, quos nobis primi Syriae reges dedere.

SAMES *vel* SAMVS.

Caput regis imberbe tiara conica et diademata tectum. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΜΟΥ. ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟΥ. *Thyrsus cum taeniis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput imberbe radiatum. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΜΟΥ. ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟΥ. *Victoria gradiens infra* ΓΛ. AE. III. (Pellerin.)

Numum priorem edidit Frölichius in suis Regum vet. numis anno 1752. vulgatis [b]), sed in eo invita Minerva legere sibi visus est ΑΡΣΑΜΟΥ pro certo et indubitato ΣΑΜΟΥ. Quare Arsamen aliquem in Persis vel Armeniis illustrem circumspexit, qualis erat is, quem supra primum in Armeniae regibus proposuimus. Monitus a Cl. Boze, qui alterius numi iconismum miserat, in lectione ΣΑΜΟΥ lubens acquievit, fassus, incassum cecidisse omnia, quae copiose olim in hunc numum commentatus est [c]). Eodem anno 1752. Belleyus alterum, quem descripsi, Sami numum in lucem dedit, cumque de Same vel Samo rege nulla apud scriptores reperiatur mentio, necesse fuit, unis conjecturis rem agere [d]). Earum summa haec est: numus hic fabricae est plane Syriacae, et quidem cujus sunt numi aetate Alexandri I. Balae percussi. Verisimile ergo, Samen vel Samum aliquem imperante Antiocho M. defecisse, et in Commagene regnum sibi fundasse aedificata juxta Euphratem urbe, quam de nomine suo *Samosata* dixerit, perinde ac in contigua Armenia Artaxata dicta fuere a conditore Artaxia, Eruandasata ab Eruanda, Arsamosata ab Arsame, quo ipso verisimile fit, additum *sata* in Armeniorum lingua significare *urbem*. Belleyi sententiam in subjecta continuo dissertatione evertere nititur Cl. de Boze eo prae-

a) Dub. de Minnis. p. 93. b) pag. 13. c) Dubia de Minnis. p. 89. et ad Reges vet. accessio nova p. 63. d) B. L. T. XXVI. p. 355.

Digitized by Google

cipue ex capite, quod Commagene usque ad Antiochum XIII. nunquam a regno Seleucidarum avulsa fuit. Alteris deinde conjecturis, atque iis certe multo infirmioribus arbitratur, Samum hunc eundem esse cum Soemo Emesae et Sophenes Armeniae rege, qui Vespasiano utrique in bello Iudaico praeclaram operam navavit, et cujus nomen, ut varie apud veteres scriptum reperitur, sic forte rectius, perinde ac in praesente numo, Σαμος scribendum fuerat. Non deseruit causam Belleyus, aggressus dissertatione altera, quae mox consequitur, prius dicta stabilire, et adversarii conjecturas evertere. Istud sane inter alia a Cl. de Boze minus commode adserta intempestivum prorsus, quod numum in Vespasianorum tempora detrudat, quem adsuetus tractandis numis oculus primo aspectu aetati Antiochi IV. adfigere non dubitabit. Post hos Frölichius Samum quendam Chrysogoni F., quem Polybius suggesserat, eruditis obtulit [a]). Ergo post omnes hos virorum praestantium conatus aliud non tenemus, quam fuisse Samum aliquem Armeniae regem, et quidem circum tempora Antiochi IV.

Observanda adhuc ad hos Sami numos I. tituli ΘΕΟΣΕΒΟΤΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟΤ. Horum alter ex regum Parthiae numis abunde cognitus, prior ΘΕΟΣΕΒΟΤΣ, *pii in superos*, in hoc tantum numo observatus. Vt reliqua Sami omnia, sic et horum causa nominum ignoratur. Vterque titulus conjunctus saepe a LXX. interpretibus datur viris probis et religiosis, ceu Iobo, ut observavit de Boze. II. Caput juvenile radiatum in numo altero, quod verius caput Solis videtur, quam regis. III. In eodem subjectae literae ΓΛ, quae haud dubie notant annos regni.

MITHRIDATES.

Caput regis juvenile tiara conica diademata tectum, et ad ipsum collum demissa. Ɪ ΒΑΣΙΛΕ - - ΜΙΘΡΙΔΑ - - ΦΙΛΟ. *Clava intra lauream.* AE. III. (Beger Thes. Br. T. III. p. 8. Spanheim T. I. p. 482.)

Caput simile. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Pallas.* (Masson ap. Haym. T. I. p. 119. edit. Vindob.)

Begerus et Spanhemius numum priorem tribuerunt Mithridati V. Evergetae Ponti regi, Frölichius in Mithridatem IV. ejusdem Ponti inclinat [b]). At enim non pauca sunt, quae a Ponto animum avertunt, capitis tegmen peregrinum in nullo certo regum Ponti numo conspectum, deinde metallum, (nam aeneus Ponticus usque ad Polemonem I. hactenus visus non est) denique typus clavae neque hic adhuc in moneta regum Ponti obvius. Sed galea, vel tiara in acumen desinens notum regum Armeniae gestamen, ut ex praecedentibus vidimus, et saltem simili forma, solorum; nam regum Parthiae et Edessae tiara ab Armeniaca nimis differt, aliorum imperiorum regibus omnibus aut diadema, aut corona radiata, rarius galea laureave placuere. Ad haec nomen Mithridatis Persicae ipsum origi-

a) Dub. de Minnis. p. 99. b) Not. elem. p. 153.

Digitized by Google

nis aequo jure cum Armenia componitur, atque praecedentium Arsamis et Xerxis nomina haec quoque Persica. Supra in Xerxis rebus diximus, nonnullos Antiocho Syriae regi auctores fuisse, ut Mithridati ex sorore nepoti Armeniam daret. Quod quidem tum, si Polybio fides, perfectum non est, sed forte, ut variae tum fuerunt rerum vices, perfectum serius, et uterque hic numus hujus ipsius est Mithridatis, sed qua conjectura tanto minus lubet niti, quoniam tot alii esse poterant Armeniae reges Mithridatis nomine scriptoribus aeque dissimulati, ac Samus, et, cujus unicum Polybii fragmentum meminit, Xerxes. Esse hunc numum Armenium, verisimile facit etiam, quod numus alter, qui simillimam habet anticam, referente Massono ex urbe Aleppo in Angliam missus est. Massonus numum alterum posse tribui Mithridati I. Commageno putat, me judice non satis tempestive, nam saltem inde a Tigrane alia fuit tiarae Armeniacae forma.

In numo priore additur titulus ΦΙΛΟ., quod truncum verbum eruditi explent ΦΙΛΟ*ρωμαιο*, quia numum adjudicaverunt Mithridati V. Pontico, quem constat Romanis palam favisse. Sed potest το ΦΙΛΟ. aliter expleri. Titulus ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ ex regum Syriae moneta et historia cognitus. Sitne utriusque numi Mithridates unus idemque rex, qui varia aetate, ut reges Syriae, variis titulis uti poterat, an duo diversi, incertum manet. Testibus iconismis in numo priore scribitur ΜΙΘΡΙΔΑ - - non ΜΙΘΡΑΔΑ - -, ut nomen istud in numis omnibus scribi consuevit, sed satis ex iis ipsis apparet, non omnes literas esse illaesas. Et vero Spanhemius, quo loco numi epigraphen refert, legit ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ [a]).

* * *

Hactenus in regum Armeniae numis tiaram conicam vidimus, deinceps eam truncatam, et radiis illustrem intuebimur.

TIGRANES I.

Ab Artaxia, quem ab Antiocho III. defecisse diximus, oriundus, Armeniae, deinde a Syris evocatus Syriae quoque rex, juncta cum Mithridate VI. armorum societate a Lucullo et Pompejo M. victus ad suam iterum Armeniam redigitur.

Ejus numos in moneta regum Syriae dabimus, qua in regione fere omnes hactenus cognitos fuisse signatos cum ex typis, tum epochae annis patescit.

ARTAVASDES.

Filius Tigranis, patri mortuo succedit. In bello Parthico Crassum sequitur, deinde et M. Antonium eidem bello intentum, sed quem, etsi ejus belli praecipuus auctor esset, turpiter deserit. Hominem perfidum Antonius vindictae cupidus specie amicitiae in retia tractum, vinctumque Alexandriam mittit V. C. 720., at Cleopatra, ut in rebus perditis Medorum regem sibi obstringeret, interfici jubet V. C. 724. Fuisse

a) l. c. p. 481. sub. fin.

Digitized by Google

principem literatum perhibet historia. Vide Reinerum Reineccium.

Numus:

Caput regis juvenile tectum tiara radiata diademata retro ad collum deflua. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. - ΡΤΑΤΑΣ -- *Victoria gradiens.* AE. III. (Pellerin.)

Patet ex certo hoc regis Armenii numo, etiam in Armenia inscriptos Graece numos percussos, et Armeniae reges nequaquam usque eo fuisse sive Romanis, sive Parthis obnoxios, ut non auderent ipsi palam superbo *regis regum* titulo gloriari, quod utrumque recte contra Frölichium advertit Pellerinius.

ANTIOCHVS IV. *et filii* EPIPHANES *et* CALLINICVS.

Commagenes simul et partis Armeniae reges. Eorum numos ad Armeniam adludentes vide in numis regum Commagenes.

MANISARVS.

Eum imperante Trajano occupasse Armeniam et Mesopotamiam tradit Dio [a]). Ad hunc Vaillantius pertinere numum existimat, etsi nomen aliter legatur: (Imper. Arsac. p. 306.)

Caput tiara ornatum. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΒΑΙΣΣΑΡΟΥ. *Aquila.*

Plura non addit Vaillantius, neque mihi dubio huic monumento lubet immorari. De numo alio, quem huic Manisaro tribuit Corsinus, et qui longae olim disputationis causa exstitit, agetur infra in numis regum Bactrianae.

Armenia Romana.

Praevalentibus Romanorum armis saepe Armenia aut his paruit, aut reges habuit ab his pendentes. Victam Armeniam non pauci testantur numi. In quinariis Neronis est ARMENIA, vel ARMENIAC. Exstant numi Graeci Trajani, et L. Veri apud Vaillantium, et Haymium, in quorum aversa juxta varios typos victoriae Armeniacae testes scriptum legitur ΑΡΜЄΝΙΑ. In argenteo drachmae pondere M. Aurelii, quem ex museo Caesareo edidi [b]), legitur ΑΡΜЄΝ. capto typo ex synchronis denariis Romanis. Verum hi numi moneta Armeniaca non sunt, sed alibi in gentis victae memoriam signati, perinde ac numi inscripti: ΑΡΑΒΙΑ. ΔΑΚΙΑ. ΙΟΥΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΤΙΑΣ. Noti denarii M. Antonii, et Augusti cum epigraphe ARMENIA. DEVICTA., vel CAPTA., ut et spurii M. Antonii, inscripti: ΑΡΜΕΝΙΑΝ. ΚΑΤΑΔΟΥΛΩΣ., de quibus suo loco agetur.

---

a) L. LXVIII. §. 22. b) Sylloge I. p. 63.

Digitized by Google

SYRIA.

Quoniam Syria latius sumpta plures complectitur regiones, quibus Syriae reges Seleucidae imperavere, consultius visum, horum numos praemittere, quorum examine peracto ejus regiones omnes adibimus initio facto a Commagene maxime in Aquilonem vergente.

REGES SYRIAE.

Regum Syriae numi propter copiam, varietatem, et quia non modo in duo saecula ac dimidium porriguntur, sed etiam ad illustrandam historiam et chronologiam praeclara conferunt subsidia, pridem ab eruditis benevole accepti, et magno in pretio habiti sunt. Missis eorum conatibus, qui unum alterumve numum ut eos fors obtulit, in lucem dedere, primus eorum seriem perpetuam instruxit, et commentariis historicis illustratos proposuit Vaillantius in opere reliqua ejus omnia praestante, quod *Seleucidarum imperium, sive historia regum Syriae* inscribitur, primum Lutetiae 1681. in forma quarta, deinde Hagae Comitum 1732 in folio editum. Insignem deinde numorum copiam, quos Vaillantius praetermiserat, congessit Nicolaus Haymius, eosque noto suo Thesauro Britannico inseruit. Post hos Erasmus Frölichius nactus numos regum Syriae complures hactenus ignotos, praecipue quos Everardus Fawkener regis Britanniae apud Turcos orator magnis impensis conquisiverat, coepit conscribere opus illustre, cui titulus: *Annales compendiarii regum et rerum Syriae numis veteribus illustrati*, editum in folio Vindobonae 1744., atque iterum 1754., cui praemisit ampla prolegomena, quibus nodos multos evolvere adlaborat, qui Syrorum ac Iudaeorum historiam impediunt. Insignem denique ad regum Syriae opes accessionem fecit Pellerinius editis in lucem numis praeclaris nondum compertis, quorum ope non pauca, quae a superioribus peccata sunt, corriguntur, aut, quae recte dicta, stabiliuntur.

Post haec virorum illustrium tentamina necesse non fuit plus a me operae

Digitized by Google

impendi quam quantum impendendum fuerat seligendis numis, qui philologiam juvant, et non raro examini critico, cum viros eruditos in varias abire sententias vidi, sed quod saepe fuisse permolestum, saepe exiguo, aut nullo relato fructu longi laboris taedium solante, ex praesente meo conatu eruditus lector facile intelliget.

SELEVCVS I. *Nicator.*

Natus patre Antiocho illustris inter Philippi II. duces nominis, matre Laodice, Alexandrum ad bella Persica secutus, hoc V. C. 430 mortuo, ejusque ducibus vastas ejus provincias sortitis, equitum praefecturam, ac paullo post Babyloniam regendam accepit. Pulsus inde ab Antigono V. C. 439. ad Ptolemaeum in Aegyptum profugus, impetratis ab hoc auxiliis in Babyloniam redux, victo Antigoni legato Nicanore amissa recuperat, a qua victoria dictus est Νικατωρ, *Victor*, constituta etiam celebri Seleucidarum aera, quae incipit ab autumno ejusdem anni V. C. 442. A. X. 312., quo haec patrata sunt. Antigono, ejusque filio Demetrio post navalem ad Cyprum victoriam in nomen regium ac diadema involantibus V. C. 448., Seleucus quoque regem se appellat. Moto in Antigonum cum regibus foederatis bello, eoque ad Ipsum Phrygiae victo V. C. 453., Syriam et Asiae minoris partem aufert, deinceps in Syria quatuor urbes sorores condit, de quibus agemus sub initium urbium Seleucidis, alias alibi, impositis plerumque appellationibus ex nominibus urbium patriarum Macedoniae, ut testantur Appianus [a]), et Libanius [b]). V. C. 468. Demetrium Poliorcetem socerum sibi adversantem in potestatem redigit, et liberali custodia coercet. Victo caesoque V. C. 472 in Phrygia Lysimacho Thraciam et Macedoniam sibi subjicit, et toto fere Alexandri M. imperio potitur, si Aegyptum demas, cum Hellespontum Macedoniam petiturus transmitteret a Ptolemaeo Cerauno Ptolemaei Soteris F. natu majore perfide interficitur V. C. 473.

Vxor I. *Apame* Artabazi Persae F., ex qua natus Antiochus I., qui successit. II. *Anonyma* Sandrocotti Indiae regis filia. (Strabo.) III. *Stratonice* Demetrii Poliorcetis filia, quam cesserat filio petenti, ut dicetur.

* * *

Multi exstant numi inscripti ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. absque regis capite, aut epitheto honorifico, aut aerae annis (nam hi serius numis inserti sunt) aut quocunque alio criterio, quod doceret, cui ex pluribus Seleucis, praecipue qui priores fuerunt hoc nomine Syriae reges, sint tribuendi, quam difficultatem jam agnovere Frölichius [c]), et Pellerinius [d]). Placet igitur binas numorum classes subjicere, quarum prima continebit numos Seleuci I. certos, aut quos illi probabili conjectura tribuas, altera Seleuci cujuspiam incerti.

a) Bel. Syr. p. m. 125. b) in Antiochico T. II. p. 351. c) Proleg. ad Annal. p. 41. d) Rois. p. 59.

Digitized by Google

Numi Seleuci I.

Caput Palladis. ℞ ΣΕΛΕΥΚ - - *Victoria stans, d. extenta, s. sceptrum cum tridente.* AV. a me editus ex museo Savorgnan. (Num. vet. p. 277.)

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. aquilam, s. hastam, per aream varia minuta sigilla.* AR. I. (Mus. Caes. et alibi.)

Numi similes, si nomen ΣΕΛΕΥΚΟΥ demas, per utriusque partis typos, metallum, pondus, toti sunt Alexandri M. Placuit nimirum proximis successoribus regibus, ut dixi in meneta Alexandri, retinere aliquamdiu modum numorum ab hoc constitutum, eosque inscripto solo suo nomine distinguere. Nullo ergo pacto dubitari potest, numos hos esse Seleuci I. Typos explicavimus in numis Alexandri M.

* * *

Caput regis adversum, ex cujus fronte duplex tauri cornu promicat, ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Rex eques in hostem humi prostratum jaculum torquet.* AE. III. (Frölich. praef. ad Ann. p. 2.)

Caput regis diadematum adstituto fronti tauri cornu. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Caput equi frenatum, et duplice tauri cornu munitum, per aream monogrammata.* AV. III. (Haym.)

Alius similis, sed sine diademate, et in aversa epigraphe semibarbara, ponderis item minoris. AV. IV. Eum adcurate aeri incidendum curavi in Catalogo Musei Caes.

Caput regis galea cornuta tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Pallas stans tropaeum coronat.* AR. II. (Haym. Tom. II. tab. II.)

Elephas cum duplice tauri cornu. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Caput equi duplice tauri cornu munitum, inferne ancora.* AE. II. (Haym. ibid.)

Caput regis taurino cornu horridum indubitatum pro Seleuci I. numis criterium. Certa enim testimonia praesto sunt, hoc illum cultu a veteribus fuisse propositum, addita etiam ejus causa. Appianus agens de Seleuco [a]: *et quia, inquit, robusto et vasto fuit corpore, et aliquando sacrificante Alexandro taurum ferocem ruptis vinculis profugum solus ipse obsistens arreptum manibus retinuit, propterea ejus statuis adfingunt cornua.* Similia docet Suidas [b], et narrat Libanius [c], a novis Antiochiae colonis Seleuco positam statuam, cujus caput tauri cornibus ornatum fuerat. Sententiam auctorum, quos citavimus, adfirmantium, taurino hoc cultu indicari regis robur, juvat etiam, quod in propositis numis eadem tauri cornua tribuuntur equis quoque, et elephantis, quo nempe perinde indicarentur Seleuci vires ac robur in equitatu et elephantis repositum. Aliam causam ex fabulis huc adigit Libanius [d], quod cornua essent signa diacritica Ius in hoc tractu ab Argivis quaesitae. Etiam Demetrius Seleuci socer praefixum fronti tauri cornu ostentat, sed ex alia causa, ut in ejus numis diximus.

a) Bell. Syr. c. 56. b) in Σελευκος. c) in Antiochico Tom. II. p. 349. d) l. c.

Digitized by Google

Ancorae etiam expedienda ratio, quae figitur in numo uno ex citatis, et saepe in Seleucidarum numis redit. Ex pluribus audiamus Iustinum [a]). Matrem Seleuci Laodicen refert sibi visam esse per quietem ex accubitu Apollinis concepisse, gravidamque factam anulum a deo sibi dono datum, in cujus gemma ancora sculpta esset. Revera postridie in lecto eum repertum anulum, natumque exactis mensibus puerem Seleucum ancoram habuisse femori impressam. Et mansisse originis ejus argumentum etiam in posteris; filios enim nepotesque ejus ancoram in femore velut notam generis naturalem obtulisse. Neque factum istud poetis praeteritum, nam sic Ausonius de illo [b]):

illa Seleucum
Nuncupat, ingenuum cujus fuit ancora signum,
Qualis inusta solet generis nota certa, per omnem
Nam sobolis seriem nativa cucurrit imago.

Atque haec fabula utut inepta, sic tamen in vulgus probata fuit, ut non dubitarent Sigei in solenni psephismate in Antiochi I. honorem proposito vocare Apollinem ἀρχηγετην τυ γενυς ἀυτυ, *auctorem generis ejus* [c]). At enim gentilitium hoc in Seleucidis miraculum exemplo non caruit. Nam refert Iulianus Aug. [d]) genuinos Pelopidas expressa in humeris habuisse gentis indicia, atque idem in Boeotia accidisse iis, qui ex Spartorum sanguine fuerunt, inscripta humeris lancea. Vide similes aliarum familiarum fabulas apud Iunium [e]), cui adde Himerium sophistam [f]).

* * *

Caput Iovis. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Pallas in elephantorum quadrigis hastam intentat, in area ancora.* AR. I. II. (Mus. Caes. Seguin.)

Caput juvenile leonis exuviis tectum, et insuper alatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. rarius: ΒΑ. ΣΕ. *Taurus cornupeta.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput regis diadematum alatum. ℞ *Eadem aversa.* AE. III. (Haym.)

Caput Apollinis laur. ℞ ΒΑ. ΣΕ. *Tripus.* AE. III. (Pellerin.)

Numus I. Palladem elephantorum quadrigas regentem offert. Pallas jam inde ab Alexandro M. ex Macedonum numis cognita, cujus propterea cultus in Syriae regibus duravit. Ipse vero typus partam aliquam elephantorum ope victoriam eloquitur. Teste Strabone Seleucus a Sandrocotto Indorum rege cujus filiam uxorem duxit, D. elephantos accepit [g]), unde credo factum, ut eum Demetrius per ludibrium ἐλεφανταρχην, *elephantorum magistrum* appellaret [h]). Videtur honorifica haec elephantorum vehiculatio ab Indis derivata; nam teste Arriano [i]) regium apud Indos erat elephantis vehi.

Numi II. caput insolens quem exigat explicatum, difficile est decidere. Nequaquam miror, a Vaillantio et Haymio dici caput ipsius regis, cum eum

a) L. XV. c. 4. b) Carm. 287. 10. c) Chishull. Ant. Asiat. p. 49. Muratori Thes. Inscr. p. 2118. d) Orat. II. 81. e) de Pict. vet. L. II. cap. I. p. 49. f) Orat. VIII. c. 4. g) L. XV. p. m. 1054. h) Plut. in Demetr. c. 25. i) Hist. Ind. c. 17.

Digitized by Google

in singulis fere anticae capitibus viderent. Quod si verum, habemus bonum Seleucum omnium formarum patientem. At gravius ab iis in hoc numo peccatum, quia facies peradolescens est, et quae continuo Seleucum fastidiat. Auctores veteres, qui minimam, Seleuco LXX. vitae annos tribuunt a). Caesus est V. C. 473., nomen regis sumpsit V. C. 448., ergo etsi numum hunc mox post susceptum regis titulum percussum statuamus, non potest ea facies competere Seleuco, jam tum XLIV. aetatis annum agenti. Ergo ad numina avertendus animus. Si, ut exuviae leonis Herculem, sic alae Mercurium nobis indicant, habemus luculentum Hermeraclem, seu conjuncta Herculis et Mercurii numina. Verum cum non satis appareat regum Syriae cum Mercurio nexus, malim agnoscere Herculem cum Perseo heroe junctum, cujus etiam attributum sunt alae, quod utrumque numen qua ratione ad Macedones, ac praecipue eorum reges pertinuerit, abunde disputavi in numis Philippi V. Macedoniae regis.

In numi III. capite lubens agnosco Seleucum, nam et additur diadema, et facies secundum picturam Haymii provectiorem aetatem arguit. Causa adpositae capiti alae ex mox dictis petenda est. Propius Seleuco in Persei alam jus, ex quo per uxorem Stratonicen Demetrii Poliorcetis F. adfinitatem contraxit cum familia Antigoni, quam per Heraclidas Temenidas ad Herculem et Perseum retulisse stirpem, diximus quoque in numis ejusdem Philippi V. Ex simili causa docuimus, Prusiam II. Bithyniae regem capiti addidisse alas, nempe quod cum familia Antigoni conjunctus erat. Seleuci exemplo filius quoque Antiochus alam usurpavit, ut infra dicemus. Taurus cornupeta, qui est in aversa numi hujus et praecedentis, haud dubie is idem est, quem ex sacrificio profugum, ac retentum a Seleuco supra diximus.

Numus IV. Apollinem sistit Seleuci creditum patrem, ac propterea in Seleucidarum numis saepe obvium. Esse numismation istud hujus Seleuci, colligo ex parca epigraphe BA. ΣΕ., nam successores liberaliores fuere.

Numi Seleuci cujuspiam incerti.

Inscripti omnes: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Typi: *Caput Palladis.* ℞ *Victoria gradiens, juxta ancora. — Caput Apollinis.* ℞ *Pallas stans jaculum vibrat, juxta ancora. — Caput Bacchi.* ℞ *Tripus* etc.

* * *

De numis Seleuci I., quos eruditi vel Pergami Mysiae, vel Diocaesareae Galilaeae perperam cusos credidere, agitur in moneta utriusque urbis.

Nicatoris titulus ex historicis tantum cognitus in numis reticetur, praeterquam Goltzianis.

ANTIOCHVS I. SOTER.

Seleuci et Apames F. Callido Erasistrati medici consilio patri Stratonicen extorquet, futuram simul novercam,

a) Appian. Syriac.

Digitized by Google

simul uxorem [a]). Cum uxore simul provincias trans Euphratem sitas filio cedit pater. Celeberrimum ejus ad memoriam factum, quod V. C. 479. Gallos Asiae imminentes ope elephantorum illustri victoria fregit, a gratis propterea populis dictus ΣΩΤΗΡ. *Servator* [b]). Sed tristes ei vices reddidere Galli, nam ab his victus, et in acie caesus est V. C. 492.

Vxor I. *Stratonice*, simul noverca, ut dictum. Vxor II., de qua nihil satis exploratum, nisi quod ex psephismate Sigeorum constet, fuisse simul sororem, simul uxorem [c]). Ex priore filius Antiochus II. natus creditur.

Criterium numorum, qui inscribuntur

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ.

Quod criterium molestum esse dixi in numis primorum Seleucorum, multo molestius est in tribus primis Antiochis. Cum in horum plerisque eadem sit epigraphe, et iidem fere typi, unum superest in vultus lineamentis praesidium. Credi posset peractum jam esse judicium, repertis magno numero illustribus eorum tetradrachmis. Sed quam parum adhuc profecerit Vaillantius, etsi contentiore studio in hanc numorum classem commentatus, abunde declarant judicia ejus vaga, fluctuantia, et saepe secum ipsis pugnantia.

Quid inter haec visum Pellerinio, cui praeter cognitos Vaillantii, Haymii, Frölichii conatus praesto fuere ingenium acre, et larga numorum supellex? Primum in suo de Regibus opere modo Vaillantium, modo Frölichium, modo utrumque vel sequitur, vel impugnat. Non raro huic, illive adhaeret nulla certa causa, sed quia illis sic visum, allatis alias novis conjecturis. Serius universa hac causa in judicium revocata sequentes constituit modos, qui priorum trium Antiochorum numos distinguerent [d]).

ANTIOCHVS I.

Hujus regis vultum certum offerunt numi inscripti: ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. Ectypon ipse loco citato proponit, alia duo Frölichius Tab. IV. n. 13. 14. Addit Pellerinius, numos omnes, quorum capita illis sunt adfinia, huic esse Antiocho tribuendos; nam cum sero in patris regnum successerit, ejus lineamenta magnopere variare non potuisse.

ANTIOCHVS II.

Hujus nobis certum, ut existimat, vultum indicat ex iconismo, quem proposuit in *Melange I. tab. III. n.* 16. Nam cum in illo ejus capiti immineat astrum, quod ad *Dei* appellationem adludit, dubitari non posse, numum esse hujus Antiochi.

ANTIOCHVS III.

Ad hunc regem pertinere ait numos,

a) Plut. in Demetrio. et apud alios passim. b) Lucian. in Zeuxi. c) Chishull Ant. Asiat. p. 50. d) Suppl. IV. p. 115. Additions p. 104.

Digitized by Google

quorum capita a citatis Antiochi I. et II. magis abludunt. At necessario varium ejus esse vultum oportere, cum ab anno aetatis XV. regnare aggressus in annum LX. duraverit.

Haec Pellerinius. Quibus judiciis non sane ignavis utrum causae magnopere consuluerit, ignoro. Ad Antiochum I. quod attinet, capita vel in ipsis numis, quos Pellerinius et Frölichius pictos offerunt, et qui per titulum ΣΩΤΗΡΟΣ hujus Antiochi certo sunt, non parum dissident. Fallitur vero, cum ait, Antiochum I. jam provectiorem aetate in patris regnum successisse, nam constat, vivum adhuc patrem illi et uxorem Stratonicen, et provincias trans Euphratem sitas cessisse. Quare et ejus numi esse possunt, qui juniorem eum proponunt. Caput astriferum, etsi demus, astrum esse divinitatis indicium, non tamen continuo Antiochum II. Deum evincit. Nam non satis video, cur ad Antiochum IV., qui item vivus in Olympum translatus est, referri non possit. Non obstat, in hoc certos alios ejus titulos reticeri, nam Pellerinio ipso passim docente non omnes semper regum tituli numis illati sunt. At quod maxime me movet, est, quod caput astriferum hujus numi simillimum est illis, quae sunt in certis Antiochi IV. numis ab ipso Pellerinio vulgatis. Criterium pro numis Antiochi III. parum sublevat, quia nimium indulget. Et vero neque ipse Pellerinius adversatur, ex his aliquos esse posse Antiochi Hieracis. En tibi quartum aliquem Antiochum in dubiae hujus monetae communionem vocatum. Incerta omnia et ambigua.

Non is sum ego, qui sperem, post tantorum virorum conatus non satis prosperos opportunius aliquid posse adferre. Meliore ergo consilio rem intactam relinquo, in describendis vero numis sic versabor, ut in iis, qui dubii videbuntur, non meam magis, quam aliorum opinionem secutum constet.

At in numis, in quibus ne regis quidem caput exstat, et quos per epigraphen ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. constat esse alicujus Antiochi, desperata sane omnia, quibus ne ipsa quidem Salus, si velit, medeatur. Id unum per fabricam aliasque causas licet colligere, esse alicujus ex primis tribus Antiochis. Reliqua ad ipsos numos monebimus.

Numi Antiochi I.

Caput regis diadematum. Ꝟ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Apollo nudus cortinae insidens, d. telum, s. arcum.* AR. I. (Frölich. Pellerin Suppl. IV. p. 115.)

Caput regis diadematum. Ꝟ ΣΩΤΗΡΟΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Ancora, et pilei Dioscurorum.* AE. III. (Frölich.)

Non alios habemus magis certos hujus Antiochi numos. Fuisse illi cognomen *Soteris*, diserte testatur Appianus [a]), et Lucianus [b]), nimirum quod relata insigni de Gallis victoria, de qua mox, Asiam praesente metu liberavit. Majore fastu in decreto Smyrnaeorum dicitur ὁ θεος και σωτης Αντιοχος [c]).

a) Bell. Syr. b) in Zeuxide. c) Marm. Oxon. num. 2. v. 100.

Digitized by Google

Apollo partis aversae nunc novus, deinceps in tetradrachmis usque ad Antiochum IV. obvius. Ejus in numis Seleucidarum toties recurrentis causam, ut et ancorae in numo altero, ex iis pete, quae supra in Seleuco de Apolline gentis Seleucidarum auctore diximus. Insidet Apollo cortinae, quam tapetis quoddam genus operit, de quo vide, quae dixi in moneta Mamertinorum Siciliae.

* * *

Caput Herculis imberbe leonis exuviis tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Iuppiter sedens d. aquilam, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Hunc quoque numum Antiocho I. tuto tribuendum puto, quia monetam Alexandri M. imitatur, et cujus similes pater quoque Seleucus feriundos curavit. Et erat Antiocho peculiaris observandi Alexandri causa, nam praelium cum Gallis conserturus visus sibi est adstantem in somniis videre Alexandrum, monentemque, ut tesseram militi daret ὑγιαίνειν, *valere* [a]). Numum hunc Antiocho II. tribuit Frölichius, quia caput anticae non Herculem, sed regem referre putavit.

* * *

Caput regis diadematum alatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum, infra equus pascens.* AR. I.

Vaillantius et Pellerinius [b]) numum hunc largiti sunt Antiocho I., sed Frölichius Antiocho II., qui praeterea existimat, esse aut caput Victoriae, aut Mercurii, aut Antiochi Hieracis. Qua ratione vir praestans in Victoriam potuerit propendere, non possum satis mirari, nisi nobis Victoriam virilem regio more diadematam, et viriliter comatam possit statuere. Esse potius hujus Antiochi opinor, additamque alam exemplo patris, ut diximus in hujus numis. Sigillum equi in imo pascentis suspicionem movet, esse forte id genus numos signatos apud Alexandriam Troadem, nam equus pascens solitum est ejus urbis symbolum, et ex eadem causa huc referimus tetradrachma Alexandri M., quae simile in imo sigillum efferunt. Constat enimvero ex psephismate Sigeorum apud Chishull [c]), Antiochum I. cum uxore fuisse in Troade, et a Sigeis inter summos honores exceptum.

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Elephas, in area monogramma* ΜΙ. AR. III. (Mus. M. Ducis.)

Caput Apollinis. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Tripus, in area* ΜΙΛ. *et ancora.* AE. III. (Pellerin.)

Scuta Macedonica in orbem disposita, intra quae ancora. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Elephas.* AE. III. (Haym.)

His adde, si lubet, numos alios similiter inscriptos, et typo elephanti.

Numum priorem propter elephantum partis aversae jam olim Antiocho I. tribueram [d]). Consilio enim Theodotae Rhodii et ope XVI. elephantorum insignem de Gallis retulit victoriam, quo factum, ut tropaeo nihil praeter elephantum insculpendum curaret. Vide

a) Lucian. pro laps. int. salut. b) Rois p. 63. c) Ant. Asiat. p. 49. d) Num. vet. p. 277.

Digitized by Google

istud fuse narrantem Lucianum a). A gratis igitur Asiae populis eum appellatum Σωτηρα supra diximus, numumque hunc ejus honori signatum in Asia minore, et quidem Mileti, verisimile facit monogramma MI., quod plerosque ejus urbis numos distinguit, inserto praeterea elephanto ejus victoriae praecipua causa. Vt hunc numum certius Milesium probarem, conjunxi alterum inscriptum MIΛ., etsi nolim contentius adfirmare, esse eum hujus Antiochi. In Antiocho III. occurret numus a Samiis signatus. Numus III. ex eadem opinor causa elephantum sistit. In antica sunt clypei Macedonici, insigne gentis, ex qua Syriae reges ducti, et ancora insigne gentilitium. Et vero Antiochi exercitum de Gallis victorem constitisse etiam Macedonibus, eodem loco refert Lucianus.

* * *

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. flagellum, pro pedibus clypeus.* ΑΥ. II. (Pellerin.)

Numum hunc commendat metallum auri in Syriae regum numis rarissimum. Pellerinio jure mirum visum id, quod, ut ex iconismo apparet, speciem habet ejus flagelli, quod saepe Osiris in monumentis Aegyptiorum praefert. Numum hunc tribui Antiocho I. unius secutus Pellerinii mentem.

ANTIOCHVS II. *Deus.*

Antiochi I. et Stratonices F. Θεος dictus est a Milesiis, postquam Timarchum eorum tyrannum evertit. Haec Appianus b), sed et Deum appellat Eusebius, ejusque interpres Hieronymus. Eo bellis Aegyptiis distento Theodotus Bactrianorum satrapa a Syris deficit. Ejus exemplum secuti Parthi ducibus Arsace et Tiridate caeso Antiochi satrapa regnum ipsi quoque constituunt. Ab uxore Laodice veneno tollitur V. C. 507.

Vxor I. *Laodice* soror, ex qua nati Seleucus II. et Antiochus Hierax, et filiae aliquot. Vxor II. *Berenice* Ptolemaei Philadelphi F., quam pacis cupidus repudiata Laodice duxit, sed mortuo Ptolemaeo repudiavit quoque revocata Laodice malo suo fato, ut dictum.

Numi:

Caput regis diadematum, cui superne astrum imminet. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Apollo nudus cortinae insidens d. jaculum, s. arcum, in imo* ΙΑ., *omnia intra lauream.* ΑΡ. I. (Pellerin Mel. I. p. 133.)

Astri causa numum hunc huic Antiocho tribuit Pellerinius, quia illud ad cognomen Θεου adludere putat. Dixi supra in criterio trium Antiochorum, ex eadem causa, tum et aliis verisimilius mihi videri, esse tribuendum Antiocho IV., qui et ipse *Deus*, et quidem insania magis canora vocabatur. Nihil tamen decido. Esse astrum in hoc numo apotheoseos insigne, nullus dubito,

a) in Zeuxide. b) in Syriac.

Digitized by Google

nam et istud imitati Romani divo suo Iulio astrum praefixere.

* * *

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Hercules saxo insidens d. clavam humi attinet, per aream varia sigilla et monogrammata.* AR. I. (Mus. Caes.)

Frölichius in hoc numo certum videt Antiochi II. caput, at causae, quas adfert, sunt exiles. Ejus sententiae Pellerinius in suo de Regibus opere non contradixit, at cum serius eundem nummum iconismo expressum restitueret in postremo suo opere, quod *Additions* inscripsit, sic confidenter Antiocho III. tribuit, ut jam dubitandi locum nullum reliquum putaret [a]). Sitne vultus in his numis expressus Antiochi III., non magnopere laborat, nam secundum ejus legem, quam supra proposui, quamque is hoc loco repetit, fuit hic rex omnium lineamentorum capax. Sed potiores illi causae, cur Antiochi III. putet, ex fabrica et typo, sed quae me judice ne tenuis quidem conjecturae meritum habent, novo iterum argumento, quam vaga sit doctrina ex primorum Syriae regum imaginibus capta.

* * *

Numi alii, quos praeterea huic regi a viris eruditis adscribi video, omni penitus certo criterio carent.

SELEVCVS II. *Callinicus, Pogon.*

Antiochi II. et Laodices F. Ob caesam cum filio novercam Berenicen bello a Ptolemaeo Evergete Berenices fratre impetitur, et magna ditionis avitae parte multatur. Subinde fratrem Antiochum Hieracem hostem expertus magna ab eo incommoda accipit, sed illo in Mesopotamia internecione victo superbum *Callinici* titulum sibi adscivit. Moto in Parthos, qui desciverant, bello victus captusque, et tolerato novem circiter annorum carcere in regnum remissus paullo post equo excussus obit V. C. 528.

Vxor *Laodice*, unde nati Seleucus III. et Antiochus III.

Numi:

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Apollo nudus stans d. telum, s. tripodi innixus.* AR. I.

Id genus numos passim Seleuco II. tribuunt antiquarii.

* * *

Caput regis diadematum prolixe barbatum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Pegasus volans.* AE. (Haym, Frölich.)

Vnus hic hujus Seleuci numus certus propter mentum barbatum. Sane Polybius eum Πωγωνα, *barbam*, appellatum diserte tradit. Causam non addit, cur barbam promiserit. At verisimile, factum istud, quia apud Parthos captivus haesit, ex qua eadem causa verisimile etiam, Demetrium II. aluisse barbam, ut dicetur. Causa Pegasi mihi ignota.

* * *

Caput regis diadematum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Rex eques.* AE. I.

a) p. 104.

Digitized by Google

in alio: *Equus gradiens.* AE. II. *in utroque infra* $\frac{\Delta}{1A}$ (Frölich, Pellerin,)

ANTIOCHVS *Hierax.*

Seleuci II. frater, subinde hostis, primum victor, deinde victus ad Ptolemaeum Evergetem fugit, a quo arcte servatus, sed elapsus a latronum globo perimitur. Dictus Ἱέραξ, quia *accipitris* ritu in alienis rapiendis vitam sectabatur, ut ait Iustinus [a]).

Ei homini tetradrachmum tribuit Pellerinius: *Caput regis diadematum.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Apollo cultu solito sedens.* AR. I. Causa illi una, quod vultus, qui est in hoc numo, vultum fratris Seleuci II. referat. Quam sententiam teneat, cui iusta ea videbitur.

SELEVCVS III. *Ceraunus.*

Seleuci II. et Laodices F., dictus Κεραυνός, *Fulmen*, incertum, ex qua causa. Adversus Attalum Pergamenum ereptas provincias repetiturus bellum suscipit, sed interea suorum insidiis veneno e medio tollitur V. C. 530. De uxore et liberis non constat.

Numi:

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Apollo sedens cultu solito.* AR. I.

Ex vultus lineamentis huius sibi regis numum reperisse visi sunt eruditi. Similibus conjecturis debemus numos alios, quos iidem huic regi non parce admensi sunt, quos describere non vacat.

ANTIOCHVS III. MAGNVS.

Seleuci III. frater annos natus XV. regnare coepit, per totum regni tempus, quod diuturnum fuit, bellis exercitus partim quaesitis, partim illatis. Bello trans Euphratem promoto Arsacem Parthum impetit, mox inita cum hoc pace Euthydemum Bactrianorum regem adortus ad mitiora eum consilia compellit, multisque per eum tractum fortiter gestis *Magni* cognomen aufert. Phoenicen, Coelesyriam, Iudaeam sibi pridem quaesitas tandem Ptolemaeo Epiphani extorquet, sed quae prima illi simultatum cum Romanis causa exstitit, qui iuvenis Aegyptii regis tutores patris testamento constituti petiere, ut ereptae pupillo provinciae restituerentur. Huc accessere causae propiores, quod Hannibali perfugium praebuit, et cum Aetolis adversum Romanos foedus inivit. Orto igitur bello in Graeciam transgressus primum ab Acilio Glabrione ad Thermopylas, deinde a C. Livio Salinatore praelio maritimo ad Coricum Ciliciae, denique V. C. 564. a L. Scipione ad Magnesiam Sipyli victus oblata tota cis Taurum Asia pacem redemit. Gravi etiam pecuniae multa imperata, quam per annos continuos XII. solveret, ad spoliandum Iovis Elymaei templum in Mediam profectus, sed patefacto consilio ab incolis oppressus morte sacrilegii poenas luit V. C. 567.

a) L. XXVII. c. 2.

Digitized by Google

Vxor *Laodice* Mithridatis IV. Ponti regis F., ex qua filii illustriores, quique successerunt, *Seleucus IV.* et *Antiochus IV.* Addit Livius *Ardyen*, et *Mithridatem* aliis ignotos, et forte ex pellice alienigena natos.

Numi:

Ad hos praemonendum, unanimem esse sententiam Vaillantii, Haymii, Frölichii, Antiochum III. dignosci ex naso oblongo et acuminato. Primum in hoc majorum judicio acquievit Pellerinius [a]), at serius ejus criterii nullam habuit rationem, statuto tantum, Antiochi III. lineamenta necessario multum variare, quod puer regnum adeptus illud annis XXXVII. obtinuit, ut diximus supra in prolegomenis ad numos Antiochi I. Secundum hanc legem inter Antiochi III. numos recepit non invitus illos quoque, qui nasum modestius promittunt, qualis est is, quem pictum stitit in suis *Additions* [b]), et quem certum esse hujus regis numum adfirmat. Video praeterea, ab aliis quoque antiquariis, etsi in productiore hoc vultus membro hujus Antiochi numorum criterium constituerint, huic tamen regi tribui numos, in quibus contractior est nasus, et Antiochis I. et II., in quibus magis porrigitur. Ex quo patet, quam parum hactenus in hac vultuum doctrina profecerimus.

* * *

Caput regis diadematum. Ϟ ANTIOXOT. ΜΕΓΑΛ - - *Palma.* AE. III. (Haym.)

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ANTIOXOT. *Palma.* AE. III. (Pellerin.)

Numum priorem esse hujus Antiochi, certum est ex addito titulo ΜΕΓΑΛΟΥ, *Magni*, quo eum fuisse insignem, docet Polybius [c]), aliique propter causas, quas in ejus vita exposuimus. Signatum in Phoenice vel Iudaea dubitari nequit, quia palma utriusque regionis fuit symbolum. Ex eadem causa huic etiam Antiocho tribuo numum alterum, quem Pellerinius Antiocho II. adsignavit, immemor, huic regi nunquam aut Phoenicen aut Iudaeam paruisse. Conjunxi utrumque numum motus conjectura Pellerinii, qui utrumque unum eundemque putat, et ab Haymio pro ΒΑΣΙΛΕΩΣ lectum perperam ΜΕΓΑΛΟΥ suspicatur [d]).

* * *

Sphinx sedens d. coronam, infra: ΘΗΣ -- Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ANTIOXOT. *Diota, infra:* ΔΩΡΟ - - *omnia intra lauream.* AR. III. (Caylus Rec. d'Antiq. T. II. p. 144.)

Fabrica, typi, metallum singularem hunc numum Chio insulae invicte vindicant. Ex sententia Barthelemyi is erit Antiochi III., sed jam monui in moneta Chii, idem in hunc numum jus esse Antiocho I. vel II.

* * *

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ANTIOXOT. *Apollo cortinae insidens.* AV. m. m. (Haym, Pembrock.)

Vtrique auctori nasus productior causa idonea visa fuerit, cur insignes hos a metalli pretio numos Antiocho III. tribuerunt.

a) Rois pag. 71. b) p. 106. c) Hist. L. IV. c. 2. d) Rois p. 67.

Digitized by Google

* * *

Vtrum numi alii, quos antiquarii Antiocho III. tribuunt, ad eum vere pertineant, non satis causae reperio, ut colligi potest ex hactenus dictis.

Sunt in hac regum Syriae classe aenei non pauci, qui oram habent serratam, vel denticulatam. Hunc modum sub Antiocho III. et Seleuco IV. inductum, neque antea, censet Pellerinius a), sed et istud incertum. Oram sic formatam Pellerinius putat propterea, ut impostoribus difficilior efficeretur ars numos adulterandi. Verum si istud spectasset officina monetaria, ea potius cautio, ut in Romanis familiarum numis, ad argenteos pertinuisset, quos tamen in Syriae regibus dentatos non videmus. Ornamenti potius istud causa factum eum Vaillantio conjicio.

Incipiunt anni aerae Seleucidarum.

Anni aerae a Seleuco I. ductae sub Antiocho III. in numis signari incipiunt ab urbibus, quae Syriae regibus obnoxiae fuerunt, quod institutum continuatum fuit usque ad Demetrium III., multumque ad collocandos deinceps rite horum regum numos valet. Hujus aerae initium duci ab autumno V. C. 442., probavimus alias.

Caput Antiochi III. diadematum. Ɪ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Navis et anni* ΡΙΒ. ΡΙΕ. ΡΙΖ. AE. III. (Frölich, Pellerin.)

Anni citati respondent annis V. C. 553. 556. 558. Signati sunt hi numi in urbe aliqua maritima, Sidone, Tyri, aut alibi.

ACHAEVS.

Frater Laodices Seleuci II. uxoris, et regum Seleuci III. et Antiochi III. avunculus, favore reginae sororis in aula regia conspectus praeclaram primum ac fidelem operam utrique nepoti praestitit, qua probata eum Antiochus regendae cis Taurum Asiae praefecit. Suasit serius ambitio, ut a rege cognato deficeret, et regem sese in commissa sibi provincia palam ferret. Ergo ab Antiocho bello petitus captis Sardibus, quibus se incluserat, amputatis extremis membris in crucem agitur V. C. 539. (Frölich Annal.)

Numi:

Caput muliebre cincinnatum. Ɪ ΒΑ-ΣΙΛΕΩΣ. ΑΧΑΙΟΥ. *Aquila stans cum palmae ramo juxta alam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput leonis exuviis tectum. Ɪ ΒΑ-ΣΙΛΕΩΣ. ΑΧΑΙΟΥ. *Aquila stans lauream unguibus stringit.* AE. III. (Vaill.)

SELEVCVS IV. PHILOPATOR.

Antiochi III. filius, fratrem Antiochum detentum Romae obsidem misso filio Demetrio redimit, nullo alio illustriore facto commendatus post XI. regni annos suorum insidiis tollitur V. C. 578.

Ex uxore et sorore Laodice habuit

a) Rois pag. 72.

Digitized by Google

Demetrium I., filiam *Laodicen* nuptam Perseo Macedoniae regi.

Numi:

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Lyra, annus:* ϛΛΡ. AE. III. (Haym.)

Seleuci numerum hic maxime illustris, quia praeter certum regis vultum de indito illi quoque *Philopatoris* nomine nos edocet, quod jam ex Hieronymo didicit Vaillantius [a]). Perperam ergo eum *Soterem* appellavit Iosephus, quod fuit cognomen filii Demetrii.

* * *

Caput regis diadematum, in aliis: *Caput muliebre.* Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Navis, anni:* ΡΛϛ. ΡΛΖ. AE. II. III. (Frölich.)

* * *

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. *Apollo solito cultu sedens.* AR. I. (Pellerin.)

Binos numos similes Pellerinius huic Seleuco tribuit, quia, ut ait, in his vultus cognitum ejus vultum plane refert. At enim parum hic conspirat cum vultu numi Haymiani, qui, ut diximus, certe est hujus Seleuci.

ANTIOCHVS IV, DEVS, EPIPHANES, NICEPHORVS.

Antiochi III. filius alter, a patre obses Romam missus, sed a fratre Seleuco IV. revocatus suffecto in ejus locum filio Demetrio, intellecta per iter fratris caede in Syriam appulsus continuo regnum adivit. Suscepto Coelesyriae causa adversus Ptolemaeum Philometorem bello, cum aliquoties victor suas augeret vires, et in ipsam ingressus Aegyptum hostem premere non desisteret, miserunt Romani C. Popillium Laenatem, qui senatus nomine late grassantem cohiberet. Is cum senatus mandata exponeret, quibus rex jubebatur abstinere Aegypto, hunc tergiversantem, ac quid responderet, incertum vite circumscripsit, vetito, ne prius exiret circulo, quam mentem aperuisset. Qua ille constantia perculsus exercitum in Syriam reduxit. At gravissimae regi irae in Iudaeos, quos non modo pontificibus, ut libuit, loco motis, direptis templi thesauris, caesa infinita hominum multitudine supra quam credi potest, adflixit, sed multo irritavit gravius proposito edicto, ut Graecorum sacra omnes sequerentur, et erecto in aede Hierosolymitana Iovis Olympii signo. Quod cum Iudaeis intolerandum videretur, Mattathias vir manu ac consilio promptus, atque hoc defuncto Iudas Macchabaeus collecta suorum manu ad vim conversi Antiochi praefectos multis praeliis vincunt et ejiciunt, receptisque Hierosolymis, et purgato peregrina superstitione templo veterem cultum et sacrificia revocant. Quibus auditis cladibus rex, qui tum in Perside ad colligendas pecunias aberat, dolore amens, dum vindictam totus spirat, accedente viscerum dolore prope urbem Tabas a vermibus misere exesus perit V. C. 590.

a) In. Cap. II. Daniclis.

Digitized by Google

Filios habuit *Antiochum V.* et *Alexandrum I.*, etsi de posteriore hoc non satis constet.

Numi:

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΤ. *Victoria in citis bigis.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nunc primum regis Syri caput radiatum occurrit. Ejus causa nomen ΘΕΟΤ, quod ipsum numis inscriptum mox intuebimur. Esse radiatum caput divinitatis signum jam docuit Plinius [a]): *Horum unum si praestitisset alius, illi jam dudum radiatum caput, et media inter deos sedes auro staret aut ebore etc:* Vide etiam, quae huc pertinentia ad numos Oetaeorum Thessaliae notavimus. Insanum hunc morem imitatus deinde est unus ex Aegypti regibus, et nonnulli alii Syriae reges, et imitati sunt etiam Romani, qui Augustum, sed jam vita functum, radiatum in numis proposuere. Ex vivis primus Nero radiatus comparet, qui deinde mos in legem abiit. Adverto praeterea, quemadmodum reges Syriae nunquam caput radiatum habent in argenteis, demptis Antiochi VI. tertiae formae, sed aeneis tantum, sic et principes Romani vivi usque ad declinans imperium nunquam in auro et argento, sed in aere tantum hunc cultum praeferunt. In Romanis causam probabilem dabo ad monetam Neronis, quae tamen ad Syriacos valere non potest. In numis Antiochi II. descripsi numum, in quo exhibetur caput, cui astrum imminet. Dixi ibi contra Pellerinium, eum quoque Antiocho IV. tribuendum videri. Ceterum tum tantum in urbium Syriae numis caput regium proponitur, quando coronae radiatae jungitur diadema, nimirum radiis honorem divinum, diademate regium indicantibus. Istud cum abest, erit caput Solis.

Typum aversae libenter cum Frölichio refero ad ludorum non tam magnificentiam, qua omnes ante se reges superaverat, quam insaniam, quam, nisi fastidis, legere potes apud Athenaeum [b]).

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum.* AR. III. (Mus. Caes.)

Additur nunc etiam titulus ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ huic regi saepe delatus tam a numis, quam historicis. Latine vertas *illustris*, aut commodius *nobilis*. Sic ubi Macchabaeorum L. II. c. 4. v. 7. legitur Αντιοχω Επιφανης, interpres reddit: *Antiochus, qui NOBILIS appellabatur.* Adde Macchab. L. I. c. 10. v. 1. Certius istud apparet ex Philostorgio narrante [c]), Ioviani Aug. filium dictum Επιφανεστατον, quod esse ait apud Romanos τον Νοβελισσιμον. Quare Licinius Seloninus Romano more dictus *Nobilissimus Caesar* recte in marmore Graeco apud Sponium dicitur ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΟΣ ΚΑΙΣΑΡ [d]). Et est hic titulus non modo in regibus Syriae, sed et Aegypti, Bithyniae, Commagenes, Parthiae obvius. Antiochum IV. propter perpetua insaniae argumenta pro Επιφανης dictum Επιμανης, testatur Athenaeus [e]).

a) In Panegyr. b) L. V. p. m. 193. c) L. VIII. c. 8. d) Miscell. p. 355. e) l. c.

Digitized by Google

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *addito in aliis:* ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AV. (Catal. mus. d'Ennery.) AR. I. (Mus. Caes. Pellerin.)

Accedit jam et tertius titulus ΘΕΟΥ, cujus appellationis indicium jam habuimus in corona radiata, de qua supra. Antiochum II. quoque appellatum Θεον diximus, sed hic titulus, quod hactenus novimus, numis illatus non est. Multo indulgentioris insaniae bonus noster Antiochus, qui communes sibi cum diis honores in monumentis etiam publicis, et suo quidem nomine, ostentavit, sic etiam compellatus publice, ceu in literis, quas ad eum Samaritae dedere, quarum exordium plane secundum numos: Βασιλει Αντιοχῳ Θεῳ Επιφανει [a]).

Habes in eodem numo et titulum IV. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, qui sacer quoque est adludens ad Iovem Νικηφορον, *Victoriam gestantem*, cujus et imago aversae typum facit. Sibi ergo propter iteratas de Aegyptiis victorias addidisse videtur nomen, quod Iovis fuit proprium. Sed de Iove Nicephoro apud Antiochenses culto, et saepe in eorum numis conspicuo vide, quae notabimus in moneta Antiochiae. Istud tantum commemorare hoc loco juvat, quoniam Iovem hoc cultu in nullo regum praecedentium numo vidimus, deinceps autem frequenter, dubium non est, signum istud esse illud ipsum, de quo Ammianus [b]): *amplissimum Daphnaei Apollinis fanum, quod Epiphanes Antiochus rex ille condidit iracundus et saevus, et simulacrum in eo Olympiaci Iovis imitamenti aequiparans magnitudinem etc.* Eodem *Nicephori* cognomine usum etiam videbimus Alexandrum I. filium.

Vaillantius et Frölichius numos inscriptos ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. Antiochi XII. numis miscuere, sed quem errorem feliciter correxere Pellerinius [c]), et Belleyus [d]).

* * *

Caput regis radiatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Ornamentum singularis formae, cujus imaginem vide expressam apud Haymium.* (T. I. tab. IV. n. 8.) AE. III.

Haymius huic dare typo nomen ausus non est. At conjecit Frölichius, indicari fibulam auream, qua Syriae reges viros meritis illustres donare consueverunt teste auctore Macchab. L. I. c. XI. v. 58.

* * *

Caput Iovis laur. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Aquila fulmini insistens.* AE. m. m.

Caput Isidis cum flore loti. ℞ *Eadem aversa.* AE. III. crassior.

Numi hi praeclare juvant historiam, quae docet, captam armis ab Antiocho Aegyptum, et aliquamdiu dejecto Philometore retentam [e]). Et vero fabrica, typi, et auctius pondus Aegyptium hos numos opus palam eloquuntur. Similis argumenti sunt etiam sequentes.

---

a) Ios. Ant. L. XII. c. 5. b) in Iulian. L. XXII. c) Rois p. 75. d) B. L. T. XXIX. hist. p. 209. e) L. II. Macchab. Diodorus in Excerpt. p. m. 579.

Digitized by Google

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Aquila fulmini insistens.* AR. III. (Frölich.)

Caput regis radiatum. ℞ *Eadem aversa.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput simile. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Isis capite tutulato sedens d. sigillum, pro pedibus ibis, vel accipiter.* In aliis: *Isis capite velato et tutulato stans d. hastam.* AE. III. (Mus. Caes.)

Numi hi fabricae quidem sunt Syriacae, sed typos habent Aegyptios propter causam, quam dixi.

* * *

Huc accedunt urbes variae subjectae, quae Antiochi IV. nomine, vel imagine numos cuderunt, *Antiochia Ciliciae ad Sarum*, *Sidon*, *Tripolis*, *Tyrus*, *Ascalon*, *Seleucia Pieriae*, et aliae ignotae, quos in singularum urbium moneta descripsi. Pleraeque hae urbes annos aerae Seleucidarum inscripserunt, quorum primus est: L. ΗΛΡ. (Mus. Caes. Frölich Annal. in praef. p. 3.) postremus: L. ΗΜΡ. (Pellerin Rois p. 78.) Numos *Antiochensium ad Daphnen*, *Ptolemaiden*, *Callirhoen* recitabo post numos Antiochiae Syriae.

ANTIOCHVS V. EVPATOR.

Antiochi IV. filius novem natus annos regnum auspicatur. Ex procerum adeo arbitrio pendens patris exemplo Iudaeos graviter affligit. Interea Demetrius Seleuci IV. F. Romae obses a senatu postulat, ut capere paternum, sibique prae consobrino debitum regnum liceret. Quo recusante, quoniam malebat Syriam a rege puero, quam adultiore Demetrio teneri, clam urbe elapsus in Syriam appellit, et deficientibus ad eum certatim urbibus Antiochum tertio regni anno e medio tollit V. C. 592.

Numi:

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. I. (Frölich.)

Caput regis diadematum. ℞ *Eadem epigraphe. Fulmen.* AE. II. (Pellerin.)

Rarissimi sunt hujus regis numi, neque alii hactenus cogniti. Dictus a Syris Ευπατωρ propter virtutem patris, ut explicat Appianus [a]). Eundem etiam illi titulum confert auctor Macchab. L. II. c. 10. v. 10. Patet, typum paternum a filio fuisse continuatum.

DEMETRIVS I. SOTER.

Seleuci IV. Philopatoris F. elapsus Roma, caede Antiochi V. consobrini regnum, ut diximus, invadit. Bellum cum Iuda ac subinde Ionathane Iudaeorum ducibus varia fortuna gerit. At Syri regis sui luxum exosi Alexandrum praetensum Antiochi IV. filium Romam mittunt cum precibus, ut eum sibi pro Demetrio regem senatus praeficeret. Quo a patribus impetrato, Demetrio iratis, quod se invitis urbe fugisset, Ale-

a) Bell. Syr.

Digitized by Google

xander in Syriam proficiscitur, et primo praelio inferior, mox regum Aegypti et Pergami viribus adjutus aemulum vincit, qui in acie occumbit V. C. 603.

Filii *Antiochus VII.* et *Demetrius II.*

Numi:

Caput regis diadematum, in nonnullis intra lauream. Ʇ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Apollo veste muliebri sedens d. jaculum, s. cornucopiae, anni:* ΗΝΡ. ΑΞΡ. ΒΞΡ. AR. I. (Vaill. Frölich.) In alio: *Mulier sedens d. bacillum, s. cornucopiae, et annus* ΞΡ. AR. I. (Pellerin.) In alio, qui simillimus est Pellerinniano, sed anima subaerati, est annus ΘΝΡ. (Mus. Caes.)

Alii similes, sed sine ΣΩΤΗΡΟΣ. AV. I. (Mus. Flor.) AR. I. (Mus. Caes.)

Teste Appiano [a]) Demetrius dictus est ΣΩΤΗΡ facto a Babyloniis initio, quod Timarchum occidit, qui Babylonis praefecturam male administravit. De typo nihil adfirmavero, nisi quod Apollo vix sit putandus, sed mulier potius allegoriam continens.

* * *

Caput regis diadematum. Ʇ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Cornucopiae, anni:* ΓΝΡ. ΘΝΡ. ΑΞΡ. AR. III. (Mus. Caes. Frölich.)

* * *

Caput Apollinis laur. Ʇ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Tripus.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Dianae, pone arcus et pharetra. Ʇ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Arcus et pharetra.* AE. III. (Mus. Caes.)

Caput regis diadematum. Ʇ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

Caput leonis hiante rictu. Ʇ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Caput apri.* AE. II. (Mus. Caes.)

Caput gryphi. Ʇ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Caput cervi.* AE. III. (Haym.)

Caput equi. Ʇ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Caput elephanti.* AE. (Mus. Caes.)

Difficile, de his typis certi aliquid statuere, et ignorare se professus est Haymius. Forte numus prior per leonem et aprum Herculis cultum spectat, alter per gryphum Apollinis, per cervum Dianae, quod utrumque numen a Demetrio observatum in praecedentibus vidimus. Equus et elephas videntur vires bellicas indicare. Nicanorem praepositum elephantorum ducem sub Demetrio memorat auctor Macchab. [b]).

* * *

Numos Tyri et Sidonis hujus regis capite et epochae annis insignes vide in harum urbium numis.

Ex epochae annis in Demetrii I. moneta notatis primus certus est ΓΝΡ., postremus ΒΞΡ.

* * *

Corrigendi nonnulli eruditorum lapsus. Qui inscribuntur: ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

a) Bell. Syr. b) L. II. c. 14. v. 12.

Digitized by Google

ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ., esse Demetrii III., in hujus numis probabitur.

Tetradrachma cum epigraphe: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. esse autonomos Antiochiae Cariae, in hujus item urbis moneta diximus.

ALEXANDER I.

THEOPATOR, EVERGETES, EPIPHANES, NICEPHORVS, *vulgo* Bala.

Homo ignotus, et incertae stirpis, sed odio Demetrii creditus Antiochi IV. filius, illo in acie caeso regnum occupat. Cleopatram filiam Ptolemaei Philometoris, quo adjutore regnum obtinuit, uxorem ducit. Interea Demetrius Demetrii I. filius cognito Syrorum in novum regem odio, quod per intemperantiam meruerat, cum exercitu e Creta in Ciliciam proficiscitur. Orto igitur bello Ptolemaeus Philometor specie ferendi genero auxilii Syriam ingressus, cum foederis obtentu plerasque urbes praesidiis occupasset, posita jam persona Cleopatram Alexandro ablatam Demetrio despondet, Philometorem Antiocheni Syriae regem proclamant. Quo intellecto Alexander e Cilicia propere redux conserto praelio victus a suis mox interficitur V. C. 608. anno regni VII. in parte provinciae inchoati, ipse Philometor paullo post ex vulnere obit.

Ex Cleopatra natus Antiochus VI. Dionysus.

Numi:

Alexandri I. et II. numos commode distinguunt anni epochae, tituli regii, tum et lineamenta utriusque satis dissona. Haec cum absunt, incertum erit, cui sint tribuendi. Vtrum Alexander I. corona radiata usus sit, ambigo.

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, anni:* ΒΞΡ. ΔΞΡ. ΕΞΡ. AR. I. (Mus. Caes. Frölich, Catal. d'Enery.)

Capita duo jugata, Cleopatrae uxoris velatum diadematum imminente capiti modio: et Alexandri diadematum. ℞ *Eadem aversa.* AR. I. (Vaill.)

Θεοπατορα, id est: *deo patre natum*, se appellat Alexander, ut fidem faceret, se Antiocho IV. natum, qui *Dei* cognomen tulit. Sed Livius [a]), et Iustinus [b]) hominem ignotum, et incertae stirpis, sortis extremae juvenem dixere, eique, ne quid contumeliae deesset, nomen Alexandri inditum, genitumque ab Antiocho rege dictum. Ejus verum et vile cognomen fuisse *Balae*, discimus ex Strabone [c]), et Iustino [d]). De titulo Ευεργετης nihil ex historicis constat. Arreptus haud dubie captandae causa benevolentiae.

Numus alter conjunctum Cleopatrae caput exhibet, de qua nobis deinceps adhuc frequens sermo. Impotentiam muliebrem caput modio divinitatis indice oneratum arguit, et quod nobiliore loco

a) Epit. L. LII. b) L. XXXV. c. 1. c) L. XVI. p. m. 1090. d) l. c.

Digitized by Google

collocatur. Ferendum istud marito sordido et ignavo, qui soceri artibus et armis regnum praecarium debuerat.

* * *

Caput regis galeatum diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. *Tripus.* AE. III. (ex Mus. Pellerin B. L. T. XXIX. p. 209.)

En in númo hoc unico bines alios Alexandri titulos ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ et ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ, quos jam Antiocho IV. tributos vidimus, quosque velut haereditario jure sibi debitos resuscitavit rex, ut sordidae stirpis ignaris fucum faceret. Parcum tamen in eorum usu fuisse patet, quia in unico hoc numo illi occurrunt. Επιφανης etiam nomen illi tribuit auctor libri I. Macchab [a]).

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum.* AR. II. III. (Mus. Caes. Frölich.) In alio infra Apollinem: ΓΞΡ. AR. III. (Mus. Duane.)

* * *

Caput regis leonis exuviis tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Apollo nudus stans d. telum, s. arcum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Nomen Alexandri admonuerit ineptum regem, ut et magni ejus Macedoniae regis cultu gloriaretur adplicatis capiti leonis exuviis.

* * *

Caput muliebre elephanti exuviis tectum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Acrostolium.* AE. III. (Haym.)

Caput anticae referre uxorem Cleopatram Aegyptiam Aegyptio more ornatam non inique conjicit Haymius, consentiente etiam Pellerinio.

* * *

Caput Medusae intra clypeum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Pegasus volans.* AE. III. (Pellerin.)

Facile quidem cum Medusa componitur Pegasus, quem constat natum ex cruore, qui de Medusae capite stillabat, sed cur is lectus typus, ignoramus, nisi forte Palladis cultum respicit.

* * *

Vrbes non paucae huic regi numos dedicavere additis frequenter aerae annis, Apamea, Cyrrhus, Hieropolis, Laodicea, Sidon, Tyrus, quos vide in singularum urbium moneta descriptos.

Ex annis ejus monetae inscriptis primus est ΒΞΡ., postremus ϛΞΡ.

ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. Numos cum hac epigraphe vide sub initium numorum Seleucidos.

Sunt, qui Alexandri I. nomen inscriptum numo Iudaico credidere. At mihi verisimilius videtur, tribuendum eum Alexandro Iudaeae regi, ut dicetur in numis principum Iudaeae.

DEMETRIVS II.

DEVS, PHILADELPHVS, NICATOR.

Demetrii I. filius, Ptolemaei Philometoris, ut dictum, beneficio in Syriam revocatus, ejusque per Cleopatram Alexandro ademptam factus gener, hoc

a) Cap. 10. v. 1.

Digitized by Google

post acceptam cladem caeso, ac mortuo paullo post ex vulneribus Philometore in universa Syria rex agnoscitur V. C. 608. Militibus Iudaeis in Antiochenses sibi suspectos immissis ad centum millia civium interficit. Propter haec crudelitatis argumenta cum suorum odium incurrisset, Tryphon praefectus regius Antiochum Alexandri I. filium puerum ex Arabia, ubi Demetrii II. metu delituerat, evocatum V. C. 610. regem proclamat additis nominibus Epiphanis Dionysi, ad quem continuo pars exercitus, et urbes Syriae complures sueta genti levitate deficiunt. Sed novum regem ipse, qui constituerat, Tryphon interimit, et sceptrum ipse in Syriae parte capessit. Demetrius, ut amicos sibi adversus aemulum praepotentem pararet, V. C. 612. Simoni Iudaeo pontificatum et principatum confirmat, et libertatem genti impertit, ex quo Iudaei coepere in monumentis publicis scribere: *anno I. sub Simone summo sacerdote.* Mote subinde adversus Arsacem Parthum bello capitur V. C. 613., et in Hyrcaniam mittitur. At Cleopatra Tryphonis vim extimescens captivi mariti fratrem Antiochum arcessit, et ad regnum simul, torumque invitat, qui continuo Syriam ingressus utrumque acceptat V. C. 615. adscito sibi *Evergetae* nomine, victumque Tryphonem ad necem adigit. Interea Demetrius, etsi eum Arsaces liberaliter haberet, sic ut generum etiam adsciscceret, redeundi tamen in regnum cupidus, sed bis tentata fuga bis retractus, tandem adnitente fratre Antiocho, qui Parthiam ingressus gravibus Parthos damnis adfecerat, liber dimittitur circa annum V. C. 624. Demetrius in regnum redux, et ad veterem morum insolentiam reversus ita brevi Syrorum a se animos avertit, ut missis ad Ptolemaeum Physconem legatis regem peterent, a quo in Syriae regnum intrusus Alexander quidam Zebina Demetrium gravi clade attrivit, qui subinde Tyrum profugus urgente uxore Cleopatra ibi occisus est V. C. 628.

Ex Cleopatra Ptolemaei Philometoris F. suscepit Seleucum V., et Antiochum VIII.

Numi:

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Apollo nudus sedens d. sagittam, s. arcum.* AR. I. (Frölich.) *In alio insuper* ΗΞΡ. AR. I. (Mus. Duane.)

En conjunctos omnes Demetrii II. titulos. Θεὸς ratio ex nota regum Syrorum vanitate satis aperta. Φιλαδελφος dictus ob amorem fratris Antiochi VII., cujus hic specimen insigne dedit, quo tempore frater apud Parthos captivus detinebatur, ut diximus. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, *Victoris*, causam suggerit Appianus a): *et quia vicit alienum a sua familia,* (Alexandrum I.) *Nicatorem Syri cognominarunt, secundum post Seleucum, a quo descenderunt Syriae reges.*

Typus aversae in regum Syriae moneta obvius.

* * *

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙ-

a) Bell. Syr.

Digitized by Google

ΑΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Mulier sedens d. bacillum, s. cornucopiae.* AR. I.

Similis aversae tetradrachma jam vidimus in numis Demetrii I. patris.

* * *

Caput Iovis laur. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Pallas alata stans d. Victoriolam, s. hastam et clypeum, annus* ΗΞΡ., *in area* ΣΙ. AE. II. (Haym.)

Caput Apollinis. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Cornucopiae, annus* ΗΞΡ. AE. III. (Haym.)

Caput muliebri ornatu decorum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Forceps.* AE. III. (Mus. Caes. Frölich.)

Numus I. sistit Palladem cum alis. Est haec Minerva Νίκη, *Victoria*, de qua copiose egi in numis Atheniensium. Numus II. probat, non semper Syros omnes regum suorum titulos numis inscripsisse, quod cumprimis elucescit in numis Demetrii II., praecipue qui Tyri cusi sunt. Numi III. typus forceps insolens. Si caput anticae est Iunonis, nequaquam desperata ejus explicatio. Iunonis simulacro apud Argos secundum testimonia veterum addita fuit forficula, de quo vide, quae disseram in numis Treboniani Aug.

* * *

Caput regis diadematum, retro M. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Mulier stolata adversa stans d. thyrsum, s. pomum, capite ornato corona radiata, (in simili musei Caes. videtur caput galeatum) duobus pini strobilis ex utraque parte dependentibus, sub quibus duo astra, ex figura ipsa a medio ad imum phalli hinc et inde prostant.* AR. I. (Haym, Mus. Caes.)

Caput regis radiatum. ℞ ΒΑ. ΔΗ. *Bacchus barbatus et togatus stans d. diotam, s. thyrsum.* AR. III. (Pellerin.)

Numi prioris typus plane singularis, at simul aenigma iis, qui explicationem tentabunt. Haymio Pantheon videtur compositum ex omnibus Syrorum diis, quorum praecipua Astarte. Vide, quo modo reliqua cum hoc simulacro connexa explicet, sed unis nixus conjecturis. Ex littera M partis anticae suspicatur, numum cusum Marathi Phoeniciae. Sed si M est *δέχατσσα* urbis, magis crederem indicari Mallum Ciliciae, cujus numus cum capite Antonini Pii simillimam habet aversam.

Numum alterum descripsi propter insolentiorem Bacchi imaginem. Ceterum nolim adfirmare, numum hunc esse certo hujus Demetrii.

* * *

Caput regis diadematum barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, in nonnullis anni:* ΔΠΡ. ϛΠΡ. AR. I. (Frölich, Pellerin.)

Caput simile. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. *Aquila stans, annus:* ΕΠΡ. AR. I. (Pellerin.)

Demetrium II., quem imberbem hactenus vidimus, nunc liberaliter barbatum ostentant numi. Novi cultus causa verisimilis, quod volebat toleratae apud Parthos captivitatis memoriam conservare. Ex eadem causa etiam Seleucum II. ex Parthorum vinculis reducem promisisse barbam verisimile diximus. Sed observandum, Demetrium

Digitized by Google

non in omnibus numis, qui signati sunt, ex quo in libertatem adsertus est, barbatum proponi. Nam cum in regnum rediverit anno Seleucidarum ΓΠΡ. seu 183., habemus numos cum annis ejusdem aerae ΕΠΡ. ϛΠΡ. ΖΠΡ., in quorum aliis barbatus, in aliis solito more imberbis sistitur. Video, in numis Antiochenis, qualis est, quem primo loco dedi, a tempore captivitatis barbatum illum semper proponi, at imberbem semper in numis Tyri. Ex quo colligo, urbium istud arbitrio permissum, utro vellent modo principem proponere.

* * *

Caput regis diadematum barbatum. ꝳ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Animal, cui figura d. sertum, s. craterem protendens insistit.* AR. III. (Haym.)

Aversa haec obvia est in autonomis Tarsensium, in quorum catalogo de insolente quoque hoc typo egimus. Dubitari adeo non potest, numum hunc Tarsi Ciliciae signatum.

* * *

Caput muliebre. ꝳ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΟΡ. *Palma arbor.* AE. IV. mixt. arg. (Mus. Caes.)

Vide numum hunc a me olim vulgatum [a]).

* * *

Tyri et Sidonis illustria exstant tetradrachma Demetrii II. nomen praeferentia, tum et aenei complures Tyri, quos in harum urbium moneta recitabimus.

Ex annis aerae Seleucidarum primus est ΖΞΡ. postremus ΖΠΡ. Numi, quia annos offerunt medios inter ΒΟΡ. et ΓΠΡ., cusi sunt Demetrio apud Parthos absente ab urbibus, quae illum, etsi captum, regem tamen suum agnovere.

Demetrius II. intra XX. annos, quibus, si captivitatis tempus adnumeres, regno praefuit, vidit intrusos, aut arcessitos Antiochum VI., Tryphonem, et Antiochum VII., et eosdem etiam exstinctos, quos modo persequar.

ANTIOCHVS VI.

EPIPHANES, DIONYSVS.

Alexandri I. et Cleopatrae filius. Patre a Demetrio II. V. C. 608. victo caesoque in Arabiam deportatus exitium evasit. At Tryphon, cui Alexander I. Antiochiae praefectaram crediderat, cum videret, aversos a Demetrio II. Syrorum animos, puerum ex Arabia accitum regem promulgat, eique, victo armis Demetrio, Antiochiam et regni partem subjicit eodem anno V. C. 608. Sed enim praecarium hunc regem Tryphon ipse tutor captus regnandi cupidine corruptis medicis, dum secandi calculi causa praetenditur, e medio tollit V. C. 611., vel proxime sequente, ut dicetur.

Numi:

Caput regis diadematum. ꝳ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam, annus* ΖΞΡ. AR. I. (Pellerin.)

Sitne praeclarus hic numus revera hujus Antiochi, non pauca videntur in dubium vocare. I. Annus ΖΞΡ., qui respondet anno V. C. 608. inde ab autumno,

a) Sylloge I. p. 87.

Digitized by Google

at videntur innuere scriptores, Antiochum VI. nonnisi anno sequente HΞP. ex Arabiae latibulo protractum, et Syriae regem praepositum. II. Vultum in hoc numo exstantem praeferre adultiorem aetatem, quam qui puello tribui possit. III. Omittitur in hoc titulus ΔIONTΣOT, qui in aliis ejus omnibus numis abesse non solet. Haec dubia in hunc modum amolitur Pellerinius: I. Verisimile videri, Antiochum nostrum, etsi in Arabia absentem, Tryphone agente, quem Alexander I. Antiochiae praefectum constituerat, mox audita Alexandri I. nece V. C. 608. ab Antiochenis proclamatum regem, et continuo cum ejus imagine signatum numum, quem revera esse Antiochenum aversae typus manifeste docet. Et poterat intempestivus hic Antiochenorum in puerum regem affectus esse causa, quae Demetrium II. Alexandri I. victorem impulit, ut immisso milite peregrino centum eorum millia trucidaret, ut in ejus Demetrii vita diximus. Quod si scriptores aliqui ejus regnum ab anno sequente inchoant, intelligunt tempus, quo ex Arabia evocatus regnum revera adiit. Hanc sententiam praeclare confirmat Iosephus, cum Antiochum VI. quarto regni anno caesum scribit [a]), quot ille annos conficere nunquam potuisset, nisi Antiochi regnum ab anno Seleucidarum ZΞP. V. C. 608. auspicatus esset, ut dicetur infra. II. Obvia esse exempla in numis regum Syriae et Aegypti, puerorum regum aetatem promoveri solitam, addo etiam, saepe Caesarum in numis Romanis, ceu Philippi junioris. Quod si lineamenta non conspirant cum iis, quae comparent in moneta annis proximis signata, in causa esse, quod, quo tempore signatus est hic numus, Antiochus in Arabia absens, neque adeo Antiochiae satis cognitus ejus vultus fuit. III. Iam saepius fuisse monitum, non semper numis omnes regum titulos inscribi solites, et esse probabile, Antiocho VI. aliquanto serius *Dionysi* nomen accessisse.

ΕΠIΦANOTΣ nomen verisimile est fuisse inditum ex nomine Antiochi IV. Epiphanis, qui ejus avus ferebatur.

* * *

Caput regis puerile diadematum radiatum. Ɪ ΒΑΣIΛΕΩΣ. ΑΝΤIOXOT. ΕΠIΦANOTΣ. ΔIONTΣOT. *Dioscuri hastati in citatis equis, annus* ΘΞP. *in area* TPT. In alio: *annus* OP *in area* TPT. ΣTA. AR. I. (Pellerin, Frölich.)

Alius, sed: *Apollo nudus cortinae insidens d. telum, s. arcum, in imo anni* HΞP. OP. *et* ΣTA. AR. III. (Mus. Duane et Caesar.)

Caput diadematum radiatum intextis hederae foliis. Ɪ *Eadem epigraphe. Elephas facem proboscide praeferens, in area* ΣTA. *et variantia sigilla.* AE. III. (Mus. Caes.)

In his numis caput Antiochi VI. est radiatum, quo firmatur testimonium Iosephi, qui eum *Deum* appellatum testatur [b]), etsi hoc titulo in numis usum non videamus. Iosephus nempe generatim dixit *Deum*, cum revera talis esset per nomen ΔIONTΣOT, *Bacchi*, inditum haud dubie puero causa venustatis. Vt ergo corona radiata ad nomen DEI, sic hedera, quae in numis loco III. descriptis radios ambit, ad nomen ΔIONTΣOT pertinet.

a) Ant. L. XIII. c. 7. b) Ant. L. XIII. c. 7.

Digitized by Google

Dioscuri numi I. praecipua Tripolitarum Phoenices numina fuere, unde verisimile est, ab his hos numos signatos. Elephas δαδουχος, seu *facem gestans* solennem aliquam pompam videtur indicare, ad quam adhibitum animal istud ad praegestandam taedam condocefactum. De I. Caesare Suetonius [a]): *adscenditque Capitolium ad lumina, quadraginta elephantis dextra atque sinistra lychnuchos gestantibus.* Adde Dionem [b]).

Verba TPT. ΣTA. ambiguum habent explicatum. Ad expediendam vocem ΣTA. multa ἀπερισδιονυσα a nonnullis adlata fuere, quae quia jam refutavit Frölichius, commemorare piget. Si το TPT. indicat Tryphonem primae tum in regno potentiae, poterit το ΣTA. indicare eum, qui secundas tenuit. De annis epochae infra.

* * *

Bos dimidius saliens. In alio: *Leo dimidius.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *intra coronam hederaceam.* AE. III. (Mus. Caes. Duane.)

Caput pileo Phrygio innexis stellis tectum, et lunae impositum. Ϟ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *Bos gibbosus.* AE. III. (Liebe p. 119.)

Numus alter utrum inter Syriae reges locum habeat, videtur posse dubitari. Antica certum proponit dei Mensis caput. Numen istud in nullo urbis Syriae, Phoenices, Coelesyriae numo video exstare, dempta Laodicea ad Libanum, at frequens est in numis Asiae minoris, perinde ac bos partis aversae sic gibbosus. Et si numus est Antiochi VI., mirum sane, omissos titulos ΒΑΣΙΛΕΩΣ, et ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, qui in nullo ejus regis numo certo absunt. Videri igitur potest numus esse urbis Asiae minoris, et Antiochus Dionysi F. magistratus.

* * *

Epochae annos in numis Antiochi VI. habemus ΖΞΡ. ΗΞΡ. ΘΞ. ΟΡ. Horum tres in praecedentibus indicavimus, et annum ΗΞΡ. testatur Vaillantius sibi alias conspectum [c]), aliumque cum eodem anno dedimus supra ex museo Duane. Nimium ergo parcus fuit Frölichius, qui duos tantum illi annos, eosque vix expletos tribuit [d]). Neque adeo hallucinatus dici potest Iosephus, quod eodem loco censet Frölichius, dum quatuor regni annos eum regno praefuisse adserit, praecipue si incompletos intelligas. Vide, quae supra ad numum I. dixi, tum et Belleyum [e]).

TRYPHON AVTOCRATOR.

Tryphon, qui et Theodotus [f]), natus in Secoanis Apamensium castello, Alexandro I. commendatus, ab hoc Antiochiae praefecturam aufert. Hoc V. C. 608. caeso, continuo ejus filiolum Antiochum, tum in Arabia Demetrii II. metu absentem, regem Antiochiae edixit, ac post ab exilio revocatum in regnum intrusit, ipse tutorio nomine rege per aetatem invalido remp. admini-

a) Cap. 37. b) L. XLIII. §. 22. c) Hist. Ptol. p. 100. d) Ann. p. 74. e) B. L. T. XXIX. p. 214. f) Strabo, Appian.

Digitized by Google

stravit. Verum patuit triennio post meditatum animo facinus. Nam caeso perfide puero rege Antiocho VI. V. C. 611., aut sequente ipse regnum invadit, illudque multarum urbium accessione adversus Demetrium II. confirmat, quo interea a Parthis capto ipse sui securus ad ingenium redit, cumque per repetita ferociae exempla omnium odium incurreret, repente Antiochus Demetrii II. frater, deinceps a nobis dictus VII., in Syria adest, ductaque Cleopatra fratris Demetrii uxore regem se agnosci jubet, ad quem cum urbes et Tryphonis copiae certatim deficerent, ipse per regnum vagus palansque, tandem Apameae captus ad mortem adigitur V. C. 616.

Numi:

Caput regis diadematum. Ϫ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΡΥΦΩΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. *Galea adfixo animalis cornu conspicua, in area* ΑΣ. ΑΣΚ., *vel pilei Dioscurorum etc.* AE. III.

Caput regis diadematum. Ϫ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΡΥΦΩΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΔΩΡ. ΙΕ. Κ. Α. *Iuppiter stans d. porrecta coronam.* AE. II. (Pellerin Lettres p. 1.)

Titulus ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, id est, *propria potestate regentis*, a nullo hactenus et deinceps rege dempto Arsacidarum uno adscriptus, a Tryphone, quocunque consilio, cum regis titulo conjunctus est. Lege Spanhemium in eo illustrando copiosum [a]). In parte aversa observandum cornu galeae adfixum. In typo galeae Vaillantius adlusionem ad nomen Tryphonis videt, quod τευθαλεια Homero et Hesiodo galea est, sed quae causa nimis longe arcessita videtur. Cornu, quod hircino simile est, seu indicat regum Macedoniae galeam hircinis cornibus horridam, de qua egi in numis Antigoni I. Macedoniae regis, dicti Gonatae, seu in genere variorum morem populorum, qui galeis cornua praefixere, de quo lege iterum disserentem Spanhemium [b]). Forte istud privatae religionis causa factum, quemadmodum Libyes causa Iovis Ammonis cornu galeae addidere, cujus moris meminit Silius Italicus [c]):

Tu quoque futidicis Garamanticus accola lucis
Insignis flexo galeam per tempora cornu.

Et infra de Nabi Ammonis cultore [d]):

Casside cornigera dependens infula.

Numus alter longe illustrior, quia forte unicus. Signatum se profitetur Dorae Phoenices urbe. Et vero hanc fuisse Tryphoni ad extremum fidelem, docet auctor libri I. Macchab. [e]). Quo loco refert, Tryphonem huc profugum, et ab Antiocho VII. clausum aliquamdiu obsidionem tolerasse. Typo aversae Pellerinius victoriam aliquam a Tryphone de Demetrio II. relatam putat significari. Sed hic typus in urbium Syriae numis obvius, nempe Apameae, Cyrrhi, Antiochensium apud Ptolemaiden, Hieropolis etc.

---

a) Tom. I. p. 443. b) Tom. I. p. 399. c) Pun. I. 14. d) L. XV. 682. e) Cap. XV. 25.

Digitized by Google

ANTIOCHVS VII. EVERGETES, *vulgo* Sidetes.

Demetrii I. filius, capto a Parthis Demetrio II. fratre ab hujus uxore Cleopatra adversus Tryphonem ex insulis, in quibus tum degebat, ad regnum et tori societatem evocatur. Quibus is legibus acceptis V. C. 615. bellum in Tryphonem movet, eumque expugnata Apamea captum interimit. Solus jam Syriae rex fratri e vinculis liberando intentus cum magno exercitu Parthiam ingressus, ternisque praeliis victor fratri libertatem peperit quidem, sed ipse paullo post turpem a victis cladem accipit. De mortis genere et anno magnus est inter veteres scriptores dissensus. Plerique in ipsa ea clade caesum adfirmant illata circa annum V. C. 623., alii sibi ipsi vim intulisse, alii aliter caesum, quorum varias sententias enarrat Frölichius [a]). Sed numis praeeuntibus vixit adhuc V. C. 627., ut dicetur infra. Videtur ergo Demetrius II. V. C. 624. fratris Antiochi VII. ope ab exilio restitutus amicum fratrem in regni communionem vocasse, aut saltem in parte Syriae regem constituisse, donec V. C. 627. diem obiit caesus a sacerdotibus Naneae in Perside, cujus thesauris inhiabat, ut refert auctor Libri II. Macchab. [b]).

Vxor Cleopatra Ptolemaei Philometoris F., ex qua natus *Antiochus IX.*

Numi:

Caput juvenile hedera coronatum. ꝳ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Ancora, annus* ΒΞΡ. *omnia intra laurcam.* AE. III. (Haym.)

Singularis hic numus cum primum sese offerret Haymio, inquirendum primum duxit, cujus esset Antiochi. Annus ΒΞΡ. 162., qui respondet anno V. C. 603. inde ab autumno, fuit postremus Demetrii I., qui fuit pater Demetrii II. et Antiochi VII., et primus Alexandri I. Balae. Numus hic Antiochi V. esse nequit, qui ante annos omnino XI., nempe V. C. 592. mortuus est; neque esse potest Antiochi VI., qui, ut multum tribuamus, anno V. C. 603., quo signatus est numus, bimus fuit, et certe nondum rex. Cum ergo de alio illa aetate Antiocho non constet, necesse est, tribuendum Antiocho VII. Demetrii I. filio. At cum constet, eodem anno Seleucidarum ΒΞΡ. simul caesum Demetrium I., simul Alexandrum I. in regno successisse, existimat Haymius, Demetrii I. filios mox intellecta patris morte in Syriam advolasse, (nam eos pater ob belli intemperiem ex regno dimiserat) et occupata Syriae parte in hac reges agnitos, ac tum utriusque nomine signatos, numos, ex quorum numero esse praesentem Antiochi Evergetae, statim caeso patre percussum. Atque hanc viri praestantis explicationem admittendam duxere eruditi, etsi nulla alia adjutam veterum auctoritate, quod alium eo nomine regem non repererunt, cui cimelium istud tribuendum putarent.

Idem Haymius cum ex hoc numo videret, Antiochum Evergeten jam anno Seleucidarum ΒΞΡ. seu V. C. 603. dici regem, et Antiochum Dionysum non-

a) Annal. proleg. p. 45. et p. 84. in notis. b) c. 1. v. 10.

Digitized by Google

nisi anno ΖΞΡ., seu V. C. 608, non dubitavit, Evergeten appellare Antiochum VI., et Dionysum Antiochum VII. contra Vaillantium, qui ordinem contrarium tenuit. Sed plerique, qui Haymio successere, veterem legem sequendam censuerunt; nam istud Evergetis regnum circa annum V. C. 603. temporarium tantum fuit, et radices non egit, neque nisi V. C. 615. rex Syriae vere dici potuit, Antiocho Dionyso tum pridem exstincto.

* * *

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam, et clypeum, in nonnullis adscripti anni* ϛΟΡ. ΑΠΡ. ΒΠΡ. AR. I. (Catal. d'Ennery p. 25. Mus. Caes. Frölich, Pellerin.)

ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ titulum sumpserit Antiochus, ut adversari se ostenderet moribus Tryphonis, Syris propter crudelitatem exosi. Eum constanter jactant numi, sed aliis nominibus eum compellant scriptores. Iosephus *Pium* et *Soterem* dixit, vulgus *Sideten* a Side Pamphyliae, unde in Syriam profectus est.

* * *

Protome Cupidinis. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. *Flos loti. Anni* ΔΟΡ. *et proxime sequentes, quorum postremi* ΕΠΡ. ϛΠΡ. AE. III.

Flos forte mali Punici. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. *Ancora, anni* ΒΠΡ. ΔΠΡ. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Caput leonis. ℞ *Eadem epigraphe. Clava, anni:* ΕΟΡ. ΖΟΡ. AE. III. (Frölich, Pellerin.)

Hos numos descripsi, magis ut modus monetae hujus regis appareat, quam ut animadversiones admetiar. Cupidinis causa incerta, at non loti, quam dubium non est in his consitam areolis Cleopatrae uxoris gratia ex Aegypto advecta, et quamdiu vixit, in Syria praepotentis. Pellerinii sententia, qui Spanhemium secutus, non lotum, sed herbam dictam Commagenen putat, magis videtur speciosa, quam verisimilis. De epochae annis continuo.

* * *

Tyrus, Sidon, Seleucia Pieriae numos hujus regis capite et epochae annis insignes cuderunt, quos in earum moneta recitavi.

Ex annis epochae primus est ΒΞΡ., sed quem supra dixi per temporarium tantum ejus regnum signatum. Sed hoc serius stabilito annus I. in numis est ΔΟΡ. Postremi ΓΠΡ. ΔΠΡ. ΕΠΡ. ϛΠΡ. animadversione digni. Annus ΓΠΡ. exstat in tetradrachmo Tyrio musei Caesarei, ΔΠΡ. in aeneo Pellerinii. Eundem annum vidit etiam Frölichius in didrachmo Tyrio musei Caesarei; sed verius in eo videtur legendum ΒΠΡ. Annus ΕΠΡ. exstat in aeneis duobus, quos serius post scriptos suos annales vulgavit Frölichius [a]). Denique annus ϛΠΡ. in aeneo, quem haud ita pridem museo Caesareo intuli, postea vulgavi [b]). Ex his numis refellitur sententia eorum, qui Antiochum VII. jam anno Seleucidarum ΒΠΡ. caesum dixere,

a) Ad Num. reg. vet. access. nova p. 69.

b) Sylloge I. p. 87.

Digitized by Google

quod satis aperte innuunt scriptores veteres. Ergo is testibus his numis in annum usque ϛΠΡ., seu V. C. 626. regnum porrexit, cui tempori favet etiam auctor Libri II. Macchab., de quo vide, quae paucis disseruere Frölichius [a]), et serius ego ad numum citatum.

ALEXANDER II. *vulgo* Zebina.

Syriae aliquot urbes Demetrii II. superbiam exosi, tum regem sibi a Ptolemaeo Physcone deposcunt, ab hoc juvenem quemdam Aegyptium, Protarchi negotiatoris filium, cui vulgus *Zebinae* vel *Zabinae* nomen indidit, obtinent, et ne non Syrus haberetur, indito Alexandri nomine fingebatur ab Antiocho VII. adoptatus, ut refert Iustinus [b]). In parte Syriae rex agnitus V. C. 626. cum justas tandem vires collegisset, Demetrium ad Damascum V. C. 628. aggressus vincit, regnumque firmat. Sed destitutus Ptolemaei auxiliis, qui mutata voluntate Antiocho VIII. Demetrii II. filio faverat, ab hoc victus, cum deessent militibus stipendia, ad rapinam templi Antiocheni conversus, sed facto multitudinis concursu pulsus, deinde a suis desertus captusque Antiochi VIII. jussu interficitur V. C. 632. Haec Iustinus [c]).

Numi:

Caput regis diadematum. ꝳ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam, in nonnullis anni* ΘΠΡ. qP. AR. I. (Pellerin.)

Typus in regum Syriae numis inde ab Antiocho IV. obvius, exhibens simulacrum Iovis Antiocheni. Erga hunc ipsum deum fuisse regem nostrum sacrilege facetum, commemorat Iustinus [d]). Nam deficientibus in stipendia numis solidum ejus ex auro Victoriae signum abstulit, dicto, Victoriam sibi a Iove commodatam. Verum cum paullo post ipsius Iovis aureum simulacrum infiniti ponderis tentaret moliri, a concurrentibus Antiochenis templo et urbe ejectus est.

* * *

Numi reliqui obvia habent argumenta, *Bacchum*, *Victoriam*, *Fortunam*, *cornucopiae etc.* Caput regis jam diadematum, jam radiatum, rarius leonis spoliis opertum.

Vrbium numus nullus cum hujus regis capite compertus. Illud quidem vidit Frölichius in numo Alexandriae Ciliciae ad Issum, quia in eo annum ZΠΡ. legerat. Verum in hoc exhiberi caput postremi Antiochi Commageni, et epochae annum ΙΡ., dicetur in numis regum Commagenes.

Annus epochae primus ΔΠΡ. in aeneis obviis, postremi ΘΠΡ. qP. in tetradrachmis rarissimis, quae descripsi.

SELEVCVS V.

Demetrii II. ex Cleopatra filius natu major, patre minis Alexandri II. et fraude uxoris Cleopatrae Tyri caeso V. C. 628. regem sese professus, sed

a) l. c. b) L. XXXIX. c. 1. c) l. c. d) l. c.

Digitized by Google

anno sequente a matre, cujus studia in Antiochum VIII. filiorum alterum inclinabant, interfectus est.

Numi:

Neque Vaillantius, neque Haymius certum hujus regis numum nacti sunt. Horum tamen quinque aeneos auctor catalogi musei Theupoli Seleuco V. tribuere non dubitavit. Sed utrum hujus judicio standum sit, dubitant Frölichius, et Pellerinius. Causa igitur in medio relicta, nullus ex his numis describendus videbatur. Vna citato auctori ratio in capite muliebri velato reposita est, quod esse Cleopatrae matris putavit, sed quod criterium valde est ambiguum.

ANTIOCHVS VIII. EPIPHANES *vulgo* Grypus.

Demetrii II. et Cleopatrae filius natu minor, caeso patre, et fratre Seleuco V. matris insidiis perempto V. C. 629. a matre rex appellatus, et favente Ptolemaeo Aegypti rege Alexandro II. oppositus est, quo V. C. 632. victo caesoque ipse solus regnavit. Hactenus matri obnoxius, ex cujus tum nutu res omnis publica pendebat, cum impotentis mulieris jugum amplius ferre non posset, et eam denique producto teste parati sibi veneni convinceret, illa per vim ad hauriendum illud adacta sese molesto imperio exemit. Et vero quiete aliquamdiu regnum tenuit, donec Antiochus IX. frater uterinus, nempe Antiochi VII. Evergetae patrui, et Cleopatrae filius partem Syriae repetitum veniret. Dum fratres inter se litigant, et per vices vincunt, et vincuntur, et jam regnum inter se partiuntur, jam rupta pace eripiunt, pars urbium Syriae libertatem sibi extorquent. Inter hanc Antiochus VIII. fraude Heracleonis occiditur V. C. 657. aetatis anno XLV.

Ex *Cleopatra Tryphaene* Ptolemaei Physconis F. filios habuit *Seleucum VI.*, *Antiochum XI.*, *Philippum*, qui duo gemelli fuerunt, *Demetrium III.*, *et Antiochum XII.* infelices omnes et temporarios futuros reges. Vxor altera *Cleopatra Selene* prioris soror.

Numus:

Cleopatrae matris, et Antiochi VIII.

Capita jugata Cleopatrae velatum diadematum, Antiochi VIII. diadematum. Ϡ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Aquila insistens fulmini, annus* ΗΠΡ. AR. I. (Vaill.)

Eadem capita. Ϡ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. (*addito in nonnullis* ΘΕΑΣ.) ΚΑΙ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. aquilam, s. hastam. Anni:* ΘΠΡ. BqP. AR. I. (Mus. Caes. Catal. d'Ennery.)

Alius, sed: Victoria gradiens. AE. III. (Frölich.)

Eadem capita. Ϡ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣ. *Aquila stans, pone palmae ramus, annus* AqP. AR. I. (Pellerin.)

Caput regis diadematum. Ϡ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΚΑΙ. ΒΑ-

Digitized by Google

ΣΙΛΕΩΣ. ANTIOXOT. *Flos loti cum palmae ramo, anni* ΗΠΡ. ΘΠΡ. AE. III. (Frölich.)

Caput regis radiatum. ℞ *Eadem epigraphe. Noctua amphorae insistens, anni* qP. AqP. AE. III. (Frölich.)

Quod memoriae proditum a scriptoribus, fuisse Cleopatram mulierem projectae audaciae, regnandi avidam, et pro libidine reges et praeficientem, et dejicientem, et in quam jure cadit Euripideum illud: ἀλλ' ὑδεν ὑτω δεινον ὡς γυνη κακον, praeclare numorum testimonio stabilitur. Non enim contenta, suam monetae inscripsisse imaginem, etsi ab Nilo profectae nullum in Syriae regnum jus fuit, ausa est etiam, non modo imaginem suam cum filii regis imagine jugatam, sed et nomen nobiliore loco proponere, patienter istud aliquamdiu ferente filio, quod regnum matri debuerat. Similis impudentiae argumentum in Iulia Augusta perstringit Tacitus, ausa, cum effigiem D. Augusto dicaret, Tiberii nomen suo postscribere a). Ne vero etiam qua in re Syriae regibus concederet, non neglexit more a pluribus recepto se Θεαν compellare. Numis testibus eodem anno, quo Syriae regnum adivit filius, nempe ZΠP., nomen suum et effigiem numis intulit. Annus postremus est BqP., qui incipit ab autumno V. C. 633., quo anno per Alexandri II. interitum solus Syriae rex, et jam ad amoliendum jugum audentior videtur matrem ad mortem compulisse. Fuit haec Cleopatra filia Ptolemaei Philometoris, trium regum Syriae uxor, et regum quatuor mater; ex marito Alexandro I. peperit Antiochum VI., ex Demetrio II. Seleucum V. et Antiochum VIII., ex Antiocho VII. Antiochum IX., eadem mariti Demetrii II., et filii Seleuci V. carnifex.

* * *

Liebeus et Frölichius huic etiam Cleopatrae tribuerunt numos, in quibus; *Caput muliebre velatum.* ℞ *Bos currens addito epochae anno.* Sunt aenei omnes III. formae. Sed eos esse Aradi Phoenices, et caput esse non posse hujus reginae, dicetur in ejus insulae moneta.

Numi Antiochi VIII. solius.

Caput regis diadematum. ℞ BAΣIΛΕΩΣ. ANTIOXOT. *Aquila insistens fulmini, anni* ϛqP. HqP. AR. I. (Pellerin.)

Caput regis diadematum. ℞ BAΣIΛΕΩΣ. ANTIOXOT. ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ. *Vir totus nudus, in aliis seminudus stans d. extenta astrum, s. hastam, capiti imminet luna, in nonnullis anni* ΓqP. ΔqP. ZqP. ΘqP. *omnia intra lauream.* AV. max. mod. elegantissimus. (Mus. Caes.) AR. I. (Frölich, Duane.)

Titulum ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ in plerisque Antiochi VIII. numis additum videas, at non, quod censuit Vaillantius, post mortem demum Cleopatrae adscitum, nam is jam comparet in numo musei Caesarei cum anno qP., quo certe adhuc vixit Cleopatra, etsi hactenus nondum comparuerit in numis, qui matris et filii conjunctos vultus et nomina sistunt. Dictum quoque *Philometora*,

a) Annal. III. c. 64.

Digitized by Google

Frölichius ex fragmentis Porphyrii docet. Numi, si Goltzianum excipias, hunc titulum reticent, sed ejus justas causas suppeditat historia. Sed obvium ejus apud scriptores cognomen est *Grypus*, quod illi inditum propter nasi magnitudinem refert Iustinus [a]), mallem, propter nasum aduncum secundum naturam gryphi animalis, quae etiam nasi adunci forma certissimum ejus numorum criterium facit.

Typus aversae in numis alteris prorsus ἀνεγματωδης, et quod sequitur, in mille conjecturas patet. Vaillantius, qui figuram stantem in numis suis capite barbato et laureato vidit, dixit esse Iovem, et astris solis et lunae indicari, in ejus dei nutu esse dies et annos. In ejus etiam sententiam propendet Frölichius. Mihi in veram hujus figurae explicationem inquirere non est animus, quia ejus attributa, ex quibus tamen unis omnis causa pendet, nimiam variant. Illa in aliis est tota nuda, in aliis instar Iovis superiore tantum corporis parte nuda, reliqua decore tecta. In numis Vaillantii habet barbam et lauream; in numo musei Caesarei, qui est aureus maximi moduli, idemque quaquaversum illaesus, utraque caret. Quid igitur? an varium esse numen putemus? an unum idemque, sed varie effictum? An fallit Vaillantii descriptio, qui barbam laureamque semper addit, in uno etiam totum nudum pronunciat? Istud ut adserere difficile, ita veritatis examen oppido impeditum efficit. Ceterum indubitatum, typum esse ex astrologicis unum, cujus generis copiosos in numis habemus, eoque proponi numen quomodocunque in Syria observatum, quo praeside solis et lunae cursus ad constituendam anni temporumque rationem regeretur.

* * *

Caput Dianae cum pharetra. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Apollo nudus stans d. sagittam, s. arcum, annus* qP. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput regis radiatum diadematum. Ꝟ *Eadem epigraphe. Apollo nudus stans d. sagittam, s. arcum, anni:* qP. BqP. ΓqP. AE. III. (Frölich.)

Numus primus cum proxime praecedentibus aliquid habet adfine; nam ut in iis exhibentur astra solis et lunae, sic in hoc Apollo et Diana utrumque astrum significantes.

* * *

Ex urbibus eum regis hujus capite signavere numos Sidon, Seleucia, et Tyrus, et forte etiam Antiochia ad Daphnen, Callirhoen, Ptolemaidem. Haymius et Pellerinius hujus etiam regis caput radiatum vident in nonnullis numis Laodiceae ad mare. Sed judicium istud dubium, nam fatente ipso Pellerinio vultus in his numis non commode Antiochum VIII. refert, et horum unus inscribitur ΙΟΤΑΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. certo indicio, ejus numi caput radiatum hujus Antiochi esse non posse, sed esse potius Solis, quia numus nomen offert a Iulio Caesare tractum. Quare mirandum, eum a Pellerinio cum hujus regis numis permixtum.

Ex epochae annis primus est ΖΠΡ., postremus ΒΙΣ.

a) L. XXXIX. c. 1.

Digitized by Google

CLEOPATRA SELENE.

Ptolemaei Physconis F., primum fratris Ptolemaei Lathuri uxor, sed eam subinde mater Cleopatra, postea, quam Lathurum ex Aegypto ejecit, Antiocho VIII. uxorem dedit.

Numi:

Protome juvenilis humero alato, seu Victoriae, seu Cupidinis. Ꝟ - ΕΛΕΝ - - *Flos loti cum astro.* AE. III. (Mus. Caes.)

ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΣΗΛΗΝΗΣ. *(sic) Caput reginae collectis in nodum crinibus.* Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ. *Aquila stans.* AE. II. (Vaill.)

Pro more recepto scribendum fuerat ΣΕΛΗΝΗΣ, a quo recedit utriusque numi epigraphe, quod ut excusent Vaillantius et Frölichius, effugia a dialectis, et simili aliarum urbium scribendi modo petunt. Numus alter certe in Aegypto cusus est, cum adhuc Ptolemaei, ut dixi, uxor esset.

ANTIOCHVS IX. PHILOPATOR *vulgo Cyzicenus.*

Antiochi VII. Evergetae, et Cleopatrae F., Antiochi VIII. ex patre consobrinus, ex matre frater, puer a matre Cysicum educandus missus *Cyziceni* propterea cognomen tulit. Regnum fratri extorturus circa annum V. C. 640. Syriam invadit, Antiochiam occupat, et fratrem per vim adigit, ut parte Syriae decederet. Non tamen diuturna pax fuit, fratribusque inter se misere digladiantibus concussa penitus Syria, donec Antiocho VIII. insidiis caeso hujus filius Seleucus VI. victum praelio Antiochum IX. regno vitaque privaret V. C. 658., de quo mortis anno vide, quae notamus in numis Demetrii III.

Ex Cleopatra Ptolemaei Physconis primogenita nascitur *Antiochus X.*

Numi:

Caput regis diadematum modice barbatum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam et clypeum, annus* ΑΣ., *omnia intra lauream.* AR I. (Frölich.)

Antiochus IX. in plerisque suis numis modeste barbatus proponitur. Existimat Frölichius, id factum propterea, quia aliquamdiu Cyzici velut exul vixit. Sed istud sane incertum. Numi alii eum imberbem sistunt. Sic et variatum in fingendo Demetrio II., in hujus moneta diximus. In ejus numis constans titulus ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, quem reticent scriptores. Palladis sic stantis typum habent etiam tetradrachma paterna.

* * *

Numi Antiochi IX. reliqui offerunt caput diadematum jam imberbe, jam modice barbatum, etiam radiatum imberbe, in aversa praeter constantem titulum *Philopatoris* fulmen, Victoriam, aquilam etc. additis plerumque annis aerae Seleucidarum.

* * *

Ex urbibus unam Sidonem cum hujus regis capite reperio signasse numos.

Digitized by Google

ex quibus insignem unum recitat Frölichius:

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam, annus* Ε. AR. I. Sunt et similes bini in museo Duane.

Annus Ε. in hoc numo est annus epochae novae, quam a Sidoniis V. C. 643. inductam in horum numis probabimus. Signatus est ergo hic numus ab autumno V. C. 647.

Aliud ejusdem urbis tetradrachmum edidit Pellerinius, in cujus aversa: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. *Aquila gubernaculo insistens, annus* Σ. qui est adhuc Seleucidarum, et signatus adeo numus V. C. 641.

SELEVCVS VI. EPIPHANES NICATOR.

Antiochi VIII. et Cleopatrae Tryphaenes F., caeso ex insidiis patri succedit, victumque praelio V. C. 658. aemulum Antiochum IX. e medio tollit, idem paullo post ab Antiocho X. Antiochi IX. filio dejectus Mopsuestiam fugit, ubi cum tributa severius exigeret, ab iratis oppidanis injecta domui, in qua habitabat, flamma vivus exustus est V. C. 661.

Numi:

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam et clypeum humi attinet, in area* ΑΛΕΔΗ. *vel* ΝΕΙΣΙ. *vel* ΖΗ. *vel* ΤΩΔΑ. AR. I. (Mus. Caes. Catal. d'Ennery.)

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. (*omisso in aliis* ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ.) *Duplex cornucopiae.* AR. III. (Frölich.)

Victoria stans. AR. III. (Pellerin.) *Apollo stans d. sagittam, s. columellae innixus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Titulum ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ cepit a patre, ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ ab avo Demetrio II., aut forte ex victoria de Antiocho IX. relata, qua de causa et Victoriam nonnullis ejus numis insertam conspicimus. Adstitutae voces ΑΛΕΔΗ et ΝΕΙΣΙ. varie fuere lectae, varie explicatae, quos modos non repeto, quia a veri specie longe aberrant, et videri possunt apud Frölichium. Pellerinius in simili suo numo legit ΛΛΕΔΗ., et putat, ΛΛ scriptum pro Μ, cujus exemplum habemus in numo Edesseno, in quo scribitur ΛΛΑΝΝΟC pro ΜΑΝΝΟC. At in numo integerrimo musei Caesarei prima litera est indubitatum Α. Spanhemio certum videtur, το ΝΕΙΣΙ indicare Nisibin Mesopotamiae urbem, atque in hac cusos numos sic inscriptos [a]). Sed istud vix credibile. Referendum potius vocabulum hoc, aliaque mox descripta inter similia alia decurtata, quae non raro in area regiae hujus monetae, at incerto quidem sensu occurrunt. Begerus in simili tetradrachmo videre sibi visus est annum ΕΙΣ. [b]), sed vereor, ut satis integer sit hic nu-

a) Tom. I. p. 607. b) Thes. Br. T. I. p. 258.

Digitized by Google

mus, neque ipso Begero ex parte vitium dissimulante. Videtur sane esse idem cum supra citato, in quo dixeram legi ΝΕΙΣΙ. Non igitur satis causae, cur mors Antiochi VIII. uno anno anticipanda sit, ut censuit ex hoc numo Belleyus [a]). Credo, ex eadem ratione, quam proposui, numum hunc a Frölichio in annalibus fuisse neglectum.

* * *

Ex urbium numis unicum citari video apud Haymium: (Tom II. p. m. 24.)

Caput juvenile diadematum. Ϟ-ΕΛΕ--ΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΤΡΑΜΩ - *Diana gradiens d. telum ex pharetra promit, s. arcum.* AE. III.

Vir eruditus epigraphen mancam explet: ΕΛΕΤΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ. Et fuit in Cilicia natio, quae se *Eleutherocilicas* appellabat. Nominis originem Diodorus Siculus a fabulis petit, quod a Perseo heroe libertatem essent adepti [b]), verius Cicero, quod ne regibus quidem unquam paruissent [c]). Idem illos eorumque oppidum Pindenissum ad Amanum M. constituit. Verum haec ipsa Ciceronis testimonia his, quos coram habemus, Cilicibus praesentem numum adimunt; nam repugnare videtur primum memoratus in numo Pyramus, qui magis erat in occasum, deinde an verisimile, eos cum regis capite signasse numos, quos nulli unquam regi paruisse idem refert? Videntur repugnantia haec argumenta Haymio non fuisse ignota. Quare cum in numo mentio fiat Pyrami fluvii, et Mopsuestia huic adsita fuerit, conjicit, Mopsuestenos se dixisse Eleutherocilicas, cumque constet, Seleucum VI., ut supra diximus, ex clade Mopsuestiam evasisse, putat, hujus caput ab oppidanis fuisse monetae insertum. En quot in hac oratione ambigua, sed quae neque ipse inficiatur Haymius. Ante omnia stabiliendam esse puto veram epigraphes lectionem. Quo minus inscriptum putem ΕΛΕΤΘΕΡΟΚΙΛΙΚΩΝ, videtur obstare arctius spatium, quam quod hunc literarum numerum capere possit. Verius videtur legendum: ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩΙ. ΠΤΡΑΜΩΙ. Esto, de nulla ad Pyramum Seleucia constare, sed neque ex geographis constat de Nicopoli Seleucidis, aut Antiochia Ciliciae ad Sarum, quas adstruunt numi. Certum est, urbes complures dictas Seleucias, et certum etiam, urbes complures regia nomina sumpsisse resuscitatis subinde veteribus cessante adulationis causa, quod facere sane potuit urbs aliqua Pyramo adsita, et forte haec ipsa Mopsuestia. Atqui et istud dubium, utrum caput hujus numi revera sit Seleuci VI. Fracta jam tum regum Syriae potentia tanto minus verisimile in Ciliciae urbibus cum horum capite signatos numos, quando florentibus maxime eorum rebus nullum habemus numum certum, quem ejus regionis urbes cum regio Syriae capite feriissent. Haymius ad oris lineamenta provocat, ambiguo criterio. Forte caput illud est reguli cujuspiam Cilicis, quales plures everso Syriae regno Ciliciae partem tenuere.

---

a) B. L. T. XXIX. hist. p. 223. b) L. III. c. 55. c) ad Famil. L. XV. ep. 4.

Digitized by Google

ANTIOCHVS X. EVSEBES PHILOPATOR.

Antiochi IX. filius, paternam caedem dejecto Seleuco VI. egregie ultus regnum adit V. C. 658., sed idem mox fraternae calamitatis ultores expertus est Antiochum XI. et Philippum. Ergo recrudescente bello ipse victus a Philippo Syria ejicitur V. C. 662.

Ex uxore Cleopatra Selene primum Ptolemaei Lathuri, deinde Antiochi VIII. vidua filium habuit *Antiochum XIII.* Appianus eam etiam patris Antiochi IX. uxorem statuit.

Numi:

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. I. (Vaill.)

Caput regis diadematum, in aliis modice barbatum, in aliis imberbe. Ꝟ *Eadem epigraphe. Victoria gradiens, vel: Pilei Dioscurorum, vel: Fortuna stans.* AR. AE. III. (Frölich, Mus. Caes.)

Titulos ΕΥΣΕΒΟΥΣ, et ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ ex merito suscipit, quia paternae caedis vindex *pium* sese liberaliter comprobavit. Ευσεβη vocat etiam Appianus, sed datum illi istud nomen putat κατ' ἀντιφρασιν, quia Selenen duxerat, quae antea Antiochi VIII. patrui, et Antiochi IX. patris uxor fuit. Sed utut istud verum foret, satis compertum, vulgi dicteriis locum in monumentis publicis non permissum.

ANTIOCHVS XI. EPIPHANES PHILADELPHVS.

Antiochi VIII. filius, una cum fratre Philippo gemello Antiochum X. illatae fratri Seleuco VI. injuriae causa bello petit, et sese Syriae regem fert. Sed collatis signis ipse in Orontem praeceps actus perit V. C. 659., ut colligitur ex numis Demetrii III.

Numi:

Caput regis diadematum modice barbatum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Frölich.)

Hujus regis numos rarissimos, quod tribuendum vix annuo ejus regno, cum primis distinguunt tituli ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. et ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. Priorem traxit a patre, alterum a mutuo amore fratris gemelli Philippi, quem mox iisdem nominibus usum videbimus.

PHILIPPVS EPIPHANES PHILADELPHVS.

Antiochi VIII. filius, Antiochi XI. geminus, hoc Orontis vorticibus hausto inita cum fratre Demetrio III. societate Antiochum X. vincit, et in Parthos ejicit V. C. 662. capta Antiochia non jam dubius etiam inter aemulos Syriae rex. Ejus deinceps exigua mentio, et creditus interiisse armis Tigranis ad Syriae regnum vocati, de quo mox.

Digitized by Google

Numi:

Caput regis diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. I.

Parabilia sunt haec Philippi tetradrachma, ex quo colligi potest, satis diu eum parti Syriae praefuisse. Typi in his Antiocheni comprobant, Philippum, quod mox innui, Antiochiam in sua habuisse potestate. Nominum epithetorum eadem in Philippo ratio, quae in fratre gemello Antiocho XI.

* * *

Frölichius numos aeneos, in quorum antica est *caput diadematum radiatum*, in aversa: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΦΙΛΙΠΠΟΥ. *Fulmen intra coronam*, huic Philippo tribuit. Verum judice Pellerinio videntur Philippo V. Macedoniae regi redonandi.

DEMETRIVS III. DEVS, PHILOPATOR, SOTER, PHILOMETOR, EVSEBES, CALLINICVS, EVERGETES.

Antiochi VIII. filius adversus Antiochum X. Cnido evocatus, et Damasci rex constitutus cum Philippo fratre adversus Antiochum X. conspirat, eumque regno deturbat. Moto deinde contra Philippum bello ab ejus foederatis Parthis capitur, et in Parthiam abducitur, ubi non multo post ex morbo perit. Regnavit in Syria testibus numis ab autumno V. C. 659. usque post autumnum V. C. 665., et videtur in Parthia excessisse V. C. 666. vel sequente.

Numi:

Caput regis barbatum radiatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Victoria gradiens, et annus* ΗΙΣ. AE. II. (Pellerin, Belley B. L. T. XXIX. p. 216.)

Caput simile. ℞ *Eadem epigraphe. Diana Ephesia stans inter duas aristas, annus* ΔΚΣ. *omnia intra lauream.* AR. I. (Ibid.)

Insignes hi numi hactenus ignoti fuere, dum eos Belleyus ex museo Pellerinii vulgaret [a]), post ipse possessor restitueret [b]). In his non modo redivivos habemus annos epochae inde ab Antiocho IX. ex moneta extorres, sed etiam ab ipsis his annis in historiae et chronologiae commodum hac aetate admodum implexae illustres fructus capimus, quos captos obtulit Belleyus in praeclara sua dissertatione, quam laudavimus. Discimus ergo primum, Demetrium jam coepisse regnare anno Seleucidarum 218., qui coepit in autumno V. C. 659., cum tamen Frölichius ejus regnum nonnisi ab anno ejusdem aerae 221. ordiatur; deinde, quod sequitur, initium regni Seleuci VI. et Antiochi X., tum et mortem Antiochi XI. anticipandam esse, contra quam visum antea eruditis, saltem suadente istud probabili historiae serie; denique Demetrium III. regnasse adhuc in Syria ab autumno V. C. 665., quo incipit annus ΔΚΣ. numi alterius.

* * *

Caput regis diadematum barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙ-

a) l. c. b) Rois p. 108.

Digitized by Google

ΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Iuppiter seminudus sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AR. I. (Vaill. et Frölich in numis Demetrii I.)

Caput simile. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Vaill. et Frölich ibid.)

Caput simile. ℞ *Eadem epigraphe. Mercurius stans.* AE. III. (Vaill. Frölich ibid. Mus. Caes.)

Numos hos Vaillantius, Frölichius, aliique Demetrio I. tribuerunt, inducti titulo ΣΩΤΗΡΟΣ, quo is praeditus fuit. Dignus venia error, quia illis ignoti fuere numi Pellerinii, quos priore loco descripsi, a quibus docemur, hunc quoque Demetrium *Soteris* cognomine gavisum. Et vero pridem Barthelemyus, etsi ignota illi tum adhuc fuissent Pelleriniana haec cimelia, tamen ex sola fabrica, literarum forma, et lineamentorum modo conjecerat, praesentes numos esse Demetrii III. a). Accedit, Demetrium I. barbam non aluisse, quam tamen in omnibus suis numis promittit Demetrius III.

* * *

Caput regis diadematum barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΦΙΛΟΜΗΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Mulier stans d. ancoram s. cornucopiae.* AE. (Mus. Caes.) In alio: *Fulmen supra sellam.* AE. III. (Frölich.)

Vaillantius et Frölichius hos solos numos Demetrio III. permisere, donec Barthelemyi et Pellerinii ingenio et curis ejus opes augerentur. Ex cognominibus, quae huic regi data videmus, nullum est, quod seorsim non jactaverint reges, qui praecessere, sed eorum nullus fuit, qui eos sic cumulasset. Eorum causas adscitorum facile tibi hominis vanitas, tum temporis causae suppeditabunt.

* * *

Ex urbibus una Sidon cum regis hujus capite addito aerae, sed propriae, anno AK. numum feriit, quem descripsi in ejus urbis numis.

ANTIOCHVS XII. DIONYSVS EPIPHANES PHILOPATOR CALLINICVS.

Antiochi VIII. filius natu minimus, audita fratris Demetrii III. apud Parthos captivitate Damascum occupat, sed suscepta in Arabas expeditione perit V. C. 969.

Numi:

Caput regis diadematum barbatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Iuppiter stans d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Frölich.)

Frölichius numum hunc tribuit Antiocho XIII. successori, at repugnat Pellerinius, eumque largitur Antiocho XII., quia huic cognomen *Dionysi* fuisse testatur Iosephus. Malim sequi sententiam Pellerinii, cum aliqua saltem auctoritate nitatur, qualem non facile in his historiae Syriacae tenebris repudiare oportet.

a) B. L. T. XXVI. p. 541.

Digitized by Google

* * *

Lapsum eruditorum, qui tetradrachma inscripta: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΝΙΚΗΦΟΡΟΥ. ad Antiochum XII. transtulerunt, in Antiocho IV., cujus illi revera sunt, indicavi.

TIGRANES REX REGVM, DEVS, MAGNVS.

Syri perpetua ac cruenta fratrum dissidia pertaesi in evocando denique in regnum suum Tigrane Armeniae rege conspirant. Oriundus hic erat ab Artaxia Antiochi III. duce, qui Armeniae majori praefectus primum, subinde provinciam per regum Syriae sive languorem, sive impotentiam sibi retinuit, posterisque suis adseruit. Ingressus ergo Syriam, et plerisque ejus provinciis occupatis V. C. 671. Magadatem pro se regioni praeficit. Eam quiete complures annos tenuit, donec a Mithridate VI. Ponti rege, cujus filiam Cleopatram uxorem duxit, tractus in armorum societatem victus primum a Lucullo, deinde Pompejo M. coactus est Syria excedere V. C. 688. Deinceps in Armenia sibi a Pompejo permissa imperavit.

Numi:

Caput regis tiara radiata et diademata ornatum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. *Mulier velata et turrita rupi insidens et d. palmae ramum protendens, subtus fluvius emergens, omnia intra lauream.* In aliis: *Mulier turrita seminuda rupi insidens d. extenta, s. cornucopiae, reliqua, ut in praecedente.* AR. I. (Pellerin, Frölich.)

Eadem adversa. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ΘΕΟΥ. *Mulier turrita seminuda rupi insidens d. extenta, s. cornucopiae.* AE. III. (Pellerin.)

Eadem adversa. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ΘΕΟΥ. *Equus gradiens.* AE. III. (Pellerin.)

Eadem adversa. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΤΙΓΡΑΝΟΥ. *Mulier velata turrita rupi insidens d. palmae ramum, subtus fluvius emergens, annus:* ϛΛΣ. AR. III. (Pellerin.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. *Caput idem.* ℞ ΤΙΓΡΑΝΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. *Victoria gradiens, annus.* ΑΜΣ. AE. III. (Pellerin.)

Superbum Tigranis animum jam ex historicis cognitum hi numi eloquuntur. Habes in his titulos ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. *Regis regum*, et ΜΕΓΑΛΟΥ. *Magni*, in regum Parthiae numis pro nativo fastu obvios. De Tigrane haec refert Plutarchus [a]), ei reges serviisse multos, et eorum quatuor satellitum loco habuisse, jussos juxta tunicatos currere, cum equo ipse veheretur. Fuisse praeterea Lucullo infensum, quod sese *regem* tantum, et non *regem regum* in epistola salutavisset. Addit idem, adeo illum ex rerum prospero cursu extulisse animos, ut, quidquid mortales optant, id esse in arbitrio suo putaret. Ex quo apparet, facile illum admisisse appellationem ΘΕΟΥ jam pridem Syriae regibus familiarem. In postremo numo tituli in utramque superficiem di-

a) In Lucullo p. m. 505.

Digitized by Google

visi insolentius sunt spectaculum. Plerique hi numi exhibent mulierem velatam rupi insidentem enatante subtus fluvii imagine, qui obvius est Antiochiae typus, et praeterea veram horum numorum patriam nos edocet. At typus mulieris turritae seminudae, et cornucopiae tenentis Damascum haud dubie pertinet, ut docent numi Aretae Damasci reguli, et obvii Augustorum numi apud Damascum signati. Ea urbs regnante in Syria Tigrane per vices paruit dicto Aretae, Ptolemaeo Mennaeo, Alexandrae Iudaeorum reginae. Verisimile est, urbem, quae toties dominos mutaverit, etiam aliquo tempore paruisse Tigrani, quod dissimularunt historici, sed docent numi.

* * *

Epochae annos bini ex citatis sistunt omnibus retro antiquariis ante Pellerinium ignoti.

ANTIOCHVS XIII. EPIPHANES, PHILOPATOR, CALLINICVS, vulgo *Asiaticus*.

Antiochi X. filius, dum Philippus, ac deinde Tigranes regno praefuere, exul, deinde favente Lucullo Tigranis victore V. C. 685. in avitum regnum restitutus quidem fuit, sed a Pompejo M., qui Luculli acta omnia rescidit, excedere jubetur, cui ad preces converso acerbe responsum, injuste petere patrium regnum, qui annos XVIII. in angulo Ciliciae latuisset, et modo alieni operis praemia postulet, neque accepturum, quod tueri nesciat. Impetravit tamen a Pompejo, ut in Commagene et parte Mesopotamiae rex agnosceretur, reliqua Syria V. C. 690. in provinciam redacta.

Numi:

Caput regis diadematum, in aliis modice barbatum, in aliis imberbe. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΝΙΚΟΥ. *Iuppiter stans d. Victoriolam, s. hastam.* In aliis: *Victoria gradiens.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

Hi numi similes sunt iis, quos in Antiocho XII. descripsimus, nisi quod in praesentibus abest cognomen ΘΕΟΥ, quod unum utrosque numos distinguit, si modo hic defectus certum potest criterium constituere. Vide Pellerinium.

ANTIOCHI INCERTI.

Caput imberbe diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Fulmen.* AE. II.

Caput Iovis laureatum. Ꝟ ΒΑCΙΛЄ -- ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Aliquid instar metae, in area* ΩC. AE. II.

Vtrumque edidit Frölichius in praefatione ad alteram Annalium Syriae editionem, suntque similes in museo Caesareo. Cujus sint Antiochi, statuere non ausim. Reges Antiochi nomine habuere, quod constet, Syria et Commagene. Sed quo minus horum cuipiam tribui possint, vetat fabrica nonnihil barbara, et longe ab utriusque regionis cognito modo abludens. At enim poterant in quopiam Ciliciae angulo, aut alibi adhaerere ejus nominis reguli, quales fuere Tarcondimoti, Philopator, aliique, sed quorum memoriam aevum obliteravit.

Digitized by Google

* * *

Caput senile barbatum ☧ ΒΑΣΙ - - - ΠΙΦΑΝ. *Victoria gradiens.* AE. III. (Neumann Num. pop.)

An et hic numus regis Syriae? et cujus Epiphanis?

SYRIA IN GENERE.

Communi Syriae nomine, ex quo haec a Romanis in provinciam redacta fuit, pauci numi cogniti. *Autonomi*, quos Frölichius citat inscriptos KOINON. ΣΤΡΙΑΣ. vel ΣΤΡΙΩΝ. typo *palmae arboris* a), verius Tripolin Phoenices pertinent, legendumque et in his videtur ΘΕΩΝ. ΚΑΒΙΡΩΝ. ΣΤΡΙΩΝ., ut dicemus in hujus urbis moneta.

Imperatorii:

Binos memorat Vaillantius, qui Syriam prodant, urbem dissimulant:

KOINON. CTPIAC. *Caput muliebre turritum*, Trajani. Est etiam in museo Caesareo.

KOINON. CTPIAC. *Caput Domnae*, Caracallae.

* * *

Castigandus Vaillantius, qui in M. Aurelio produxit numum: K. A. CTPIΩN., in quo legendum ΚΑΒΙΡΩΝ. CTPIΩN., quosque verisimilius item esse tribuendos Tripoli Phoenices in hac observabimus.

AE. RRR.

COMMAGENE.

Ex omnibus provinciis Syriae contributis haec maxime in Aquilonem posita, a qua ergo more nostro initium ducimus.

Totius provinciae nomine signati sequentes:

Autonomi:

ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Tiara Armeniaca.* ☧ *Capricornus, superne astrum* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΠΙΣΤΙΣ. *Duae dexterae junctae*

a) Not. elem. p. 114.

Digitized by Google

caduceum tenent. Ꝛ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Ancora.* AE. III. (Mus. Caes.)

Pellerinius jure conjicit, numum ex his priorem signatum sub Antiocho IV. ultimo Commagenes rege, qui partem Armeniae possedit, qua de causa tiara illi Armeniaca illata. De typis capricorni et ancorae agemus in numis regum Commagenes. Quam *fidem* indicet vox ΠΙΣΤΙΣ, incertum.

* * *

ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ saepe etiam regum numis inscriptum legitur, de quibus infra.

AE. RR.

ANTIOCHIA AD EVPHRATEM.

Hanc prodit unus Plinius: *oppida adluuntur Epiphania, et Antiochia, quae ad Euphratem vocantur.* Vnus item Ptolemaeus in hoc tractu *Antiochiam ad Taurum M.* constituit. Fueritne urbs utraque reipsa una, sed vario nomine, geographi viderint. Antiochiam ad Euphratem confirmant

Imperatorii

Severi: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΠΡΟC. ΕΥΦΡΑΤΗΝ. *Protome Palladis.* (Vaill. Theup.)

AE. RRRR.

CAESAREA.

Vide Germanicia.

DOLICHE.

Imperatorii

Tantum cogniti.

ΔΟΛΙΧΑΙΩΝ. *intra coronam*, Aurelii, Commodi, Caracallae. (Vaill. Theup. Arig.)

Notae arithmeticae: A. B. Δ. in numis Aurelii, A in numo Commodi, de quibus vide numos Beroeae Cyrrhesticae.

AE. RR.

GERMANICIA CAESAREA.

Ad Amanum M. A quo haec urbs utrumque Caesareae gentis nomen tulerit, dicetur infra in *Epocha.*

Imperatorii:

Citantur ab Augusto, (Arigoni) sed de cujus numo dubitem, ut dicetur infra in epocha, Hadriano, (Pellerin) et inde frequentiores usque ad Valerianum, cujus numi sunt apud Arigonium, et Pellerinium. Numi Graeci Pescenii Nigri, qui circumferuntur, plerique se apud hanc Caesaream signatos profitentur. Vide meum de his judicium in moneta hujus imperatoris.

Epigraphe: ΚΑΙCΑΡΕΙΑC. ΓΕΡΜΑΝΙΚΗC. In Arigoniano Augusti numo, et M. Aurelii apud Vaillantiam est ΓΕΡΜΑΝΙΚΕΩΝ. tantum. ΚΑΙCΑΡ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΕΩΝ. in numo Aurelii. (Mus. Caes.) ΚΑΙC. ΓΕΡΜ. in numo Commodi. (Theup.) Insolens est ΚΑΙC. ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ. in numo Commodi. (Vaill.)

Typi: *Mulier rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens, Aesculapius, aut ejus serpens, Venus cum Cupidine, Hercules, Victoria, templum.*

Navis cum velis et remis, infra quod animal jacens, quod *bovem* dicit Vail-

Digitized by Google

lantius, (in Domna.) Pellerinius *capram*, (in Valerian. sen.) Arigonius *instar equi jacentis* pinxit. (in numis Severi et Valeriani.) Insolens certe typus in moneta urbis, et a mari, et a fluvio, in quo velis navigari possit, remotioris.

* * *

Mentio situs: a Commagene: KAICAP. ΓΕΡΜΑΝΙΚΕΩΝ. ΚΟΜ. in numo Aurelii. (Mus. Caes.) ΚΑΙC. ΓΕΡΜ. ΚΟΜ. in numo Commodi. (Theup.) A numo M. Aurelii, qui ignotus fuit Harduino, hujus viri sententia etiam ceteris partibus infirma plane evertitur, qui numos omnes Caesareae Germaniciae nomine inscriptos Caesaream Palaestinae derivavit, praetexens, το ΚΟΜ. indicare ΚΟΜΟΔΙΑΝΑ, quoniam, ut putabat, ante Commodum haec inscriptio non obtinet.

* * *

Epocha, quam ex binis numis deducit Norisius: (Epoch. Syrom. p. 476.)

ΚΑΙCΑΡΕ. ΓΕΡΜΑΝΙΚ. ΕΚΡ. M. Aurelii, cujus numi descriptionem secum communicaverat Vaillantius, credo serius, nam in ejus opere deest.

ΚΑΙC. ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ. Θ - Ρ. Commodi, quem citat ex museo Dronii. Vaillantius eundem Dronii numum recitat, sed legit: ΚΑΙC. ΓΕΡΜΑΝΙΚΑΙΩΝ. L. Θ. et ex hac nota annum imperii conficit. Norisius ex prioris numi anno alterum Commodi mancum restituit ΘΜΡ.

Vir hic eruditus initium epochae figit ad annum V. C., quo Caligula Antiocho paternum Commagenes regnum reddidit, quo facto gratus Antiochus urbi intra Commagenen de agnominibus Caligulae nomen *Caesareae Germaniciae* indidit, quae ab hoc tempore annos suos computare coepit. At observandum, ab Arigonio memorari Augusti numum cum Germaniciae inscriptione. Istud si verum, fallit Norisius, a Caligula primum urbi nomen inditum adfirmans. Sed typis Arigonianis non omnis est fides habenda.

* * *

Notae arithmeticae: A. in numo Aurelii. (Neronis.) item in numo Veri. (Pellerin in epistola MS. ad Khellium.)

AE. R.

SAMOSATA.

Ad Euphratem, regionis caput, et sedes regum Commagenorum, celeberrimi a satyrarum lepore Luciani patria.

Autonomi:

Caput Apollinis. Ϟ ΣΑΜΟΣΑΤΗΝΩ. *Leo gradiens.* AE. III. (Pellerin.)

Caput Iovis Ϟ ΣΑΜΟΣΕΑΤΩΝ. *Leo gradiens.* AE. II. (Hunter.)

Leo gradiens. ΣΑΜΟΣΑΤΩ. ΠΟΛΕΩΣ. *Mulier turrita rupi insidens d. ramum.* (Pellerin, Theup.)

Pellerinius horum numorum leonem ad Zodiacum refert [a]), cujus multa in hoc tractu habemus exempla.

* * *

Caput nudum barbatum. Ϟ ΣΑΜΟ.

a) Rec. II. p. 179.

Digitized by Google

(retrograde.) Planta in formam loti. AE. III. (Pellerin.)

Scriptura est retrograda, etsi numus remotum aevum non testetur. Pellerinius hanc plantam post Spanhemium herbam Commagenen putat.

* * *

Aquila stans expansis alis. Ϟ ΣΑΜΟΣΑΤΩΝ. *Figura sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. III. (Hunter.)

* * *

Teste Pellerinio plerique hujus urbis numi rudis sunt fabricae, quod monendum duxi, ne quis malit huc revocare numos inscriptos ΣΑΜΟ., qui eximii sunt operis, et quos cum propterea, tum ob alias causas Samothraciae tribueram.

AE. RR.

Imperatorii.

Ab Hadriano usque ad Decium.

Epigraphe: CA. CAM. CAMO. CAMOCATЄΩN. additis variis honorum titulis et privilegiis.

TTXH. CAMO. *Mulier turrita insidens scopulis d. aquilam, in imo fluvius emergens*, Elagabali. (Vaill.)

Hic typus, at non inscriptio, frequens est in hujus urbis numis. Verum inde a Caracalla inferne pro fluvio emergente frequentior Pegasus volans incerto explicatu.

Caduceus alatus., vel: *sola epigraphe intra coronam quernam*, Hadriani. (Vaill. Pellerin.)

* * *

Nomen ab imperatore: Φ. | ΦΛ. *Flavia*, a Vespasiano. Ratio dabitur infra in epocha. Hoc praenomine plerumque utitur, et inde ab Hadriano.

* * *

Metropolis: MHT. MHTPOΠ. addito saepe KOM. frequenter inde ab Hadriano, ad hunc honorem evecta haud dubie a Vespasiano. Vide infra in *Epocha.*

* * *

Sacra, asylum, autonoma. ΙЄΡ. ACTΛ. ATTON. Haec epitheta semper conjunguntur, sed tantum leguntur in numis Antonini, Aurelii, Veri.

* * *

Epocha:

CA. ЄT. NH. *Caduceus alatus*, Hadriani. (Pellerin.) Perperam in simili Vaillantius legit: CAIT. L. IA., eumque tribuit nomo Saiti Aegypti [a]).

ΦΛ. CA. ЄT. NΘ. *Caduceus alatus*, Hadriani. Pellerinius, qui numum hunc dedit, feliciter et vidit, a Vaillantio in numo simili male lectum CAЄTΩN, et inique adeo tributum Saettenis Lydiae [b]).

ЄT. Ξ. Hadriani. (Vaill. Pellerin.)

ЄT. q. Aurelii. (Pellerin Mel. II. p. 325.)

ЄT. Aq. Veri. (Theup. Arigoni.)

ЄT. Bq. Veri. (Vaill.)

ЄT. Δq. Veri. (Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 326.)

a) Num. Graec. p. 36. b) Mel. II. p. 70.

Digitized by Google

Anno V. C. 825. P. X. 72. Cesennius Paetus Syriae praeses jubente Vespasiano invasit Commagenen, atque inde Antiochum postremum regem cum filiis Epiphane et Callinico expulit [a]). Commagene anno sequente in provinciam redacta est. Inde factum, ut Samosatis, quae jam antea regum sedes fuere, metropoleos jura, ac Flaviae nomen, aliaque privilegia accederent. Testibus Chronicis Eusebii et Alexandrino Samosateni et Commageni coeperunt computare annos suos ab anno V. C. 824. P. X. 71. Revera huic principio numi citati non adversantur, atque etsi Paetus anno demum 825. dicatur invasisse Commagenen, tamen Samosateni sumendo annum incompletum pro completo, quod in orientis urbibus persaepe factum, initium novae suae aerae προλήπτικως retulere ad autumnum V. C. 824., et in autumno 825. inchoavere secundum, in quo calculo video mihi egregie convenire cum Norisio [b]).

Malim igitur accedente binorum chronicorum auctoritate, et non refragantibus numis aerae initium defigere ad autumnum V. C. 824., etsi Vaillantius annum sequentem maluerit. Harduinus autumnum V. C. 823. praetulit, cui principio adversatur numus Aurelii citatus ex Pellerinio cum anno Ϛ. 90., in quo non dubitem Aurelium dici Augustum, quod secus monere vir adcuratus non neglexisset. Inito calculo ex mente Harduini annus 90. Samosatenorum incideret in eam aetatem, qua Augustus nondum fuit Aurelius.

AE. C.

ZEVGMA.

Ad Euphratem, quo loco is ponte junctus fuit, unde urbi nomen.

Imperatorii:

Ab Antonino usque ad Philippum jun. observantur.

Epigraphe: ZЄTΓMATЄΩN. *inscriptum laureae.* Alter adhuc typus: *Templum in vertice montis cum gradibus.* Inde a Caracalla infra montem constanter comparet *capricornus.* Observandum, in numis urbium Commagenes a tempore Caracallae in imo varia observari animalia, in numis Germaniciae, seu bos is est, seu capra, seu equus, ut dictum, in numis Samosatorum Pegasum, Zeugmatis capricornum.

* * *

Notae arithmeticae:

Antonini: A. B. (Vaill. Mus. Caes.) ϛ. (Arigoni.) H. (Theupoli.)

Aurelii: B.

Veri: B. Γ. Δ.

Commodi. B. (Pellerin.)

AE. C.

a) Ioseph. B. I. L. VII. cap. 7. b) Epoch. Syr. p. 118.

Digitized by Google

REGES COMMAGENES.

Horum numos primus Haymius majore numero collegit, et Thesauro suo Britannico inseruit [a]). At quod maximum ejus fuit meritum, ad eorum calcem subjecit insignes sane animadversiones, quibus doctissimus Masson Anglus horum regum monetam illustravit. Hujus ergo viri ornatissimi ingenio posterorum industriam occupante aliud non restat, quam ut, quae praeclare, sed copiosius dictaverat, contrahamus, insertis per intervalla numis Haymii aetate nondum compertis.

Numos regis *Sami*, quem nonnulli Commagenis regibus accensent, in Armeniae regum moneta produximus.

* * *

Quamdiu Seleucidae Syriae regnum tenuere, iis et Commagene subjecta fuit. Lucullo Tigranem Armeniae et Syriae regem urgente a Dione ad annum V. C. 685. memoratur Commagenes rex

ANTIOCHVS I.

Quem Lucullus victo Tigrane, captisque Tigranocertis in fidem recepit. Appianus hunc Antiochum primum a Pompejo petitum bello, deinde inter amicos receptum et parte Mesopotamiae donatum scribit [b]). Is Vaillantio idem creditur cum Antiocho XIII. postremo Syriae rege, sed cujus istud historici fide possit stabiliri, non reperit Massonus. Idem videtur hic fuisse Antiochus Commagenus, qui Pompejo ad Pharsalum auxilia adduxit [c]). Serius a M. Antonio Samosatis obsessus mox in fidem receptus est V. C. 718. [d]). Quid eo deinceps factum, incompertum.

Hujus Antiochi et sequentium duorum hoc nomine Commagenes regum numi incerti, et forte ad hos pertinent aliqui, qui in Antiocho IV. describentur.

MITHRIDATES I.

Inter reges socios M. Antonii in bello Actiaco proditur a Plutarcho. De ejus reliqua fortuna non constat.

Huic Mithridati Massonus numum tribuendum putat, quem nos rectius Mithridati Armeniae regi restituendum conjicimus, ut dictum.

ANTIOCHVS II.

Ejus meminit Dio [e]). Octavianus Romam accitum occidi jussit V. C. 725.,

a) Tom. I. p. 113. ed. Vind. b) in Mithr. c) Caesar B. C. L. III. c. 4. d) Dio L. XLIX. §. 22. e) L. LII. §. 43.

Digitized by Google

quod legatum fratris Romam missum ex insidiis interfecit.

Numi ejus certi non habentur.

MITHRIDATES II.

De hoc Dio ad annum V. C. 734., ab Augusto tum orientis res componente Mithridati cuidam Commagenen adhuc puero tributam, quod ejus rex patrem hujus Mithridatis occidisset.

ANTIOCHVS III.

Ejus tantum mortem memorat Tacitus ad annum V. C. 770., nimirum, Antiocho Commagenes rege mortuo Tiberium Commagenen in provinciam redegisse.

De ejus numis nihil certi tenemus.

ANTIOCHVS IV. EPIPHANES MAGNVS.

Antiochi III. filius, regno paterno caruit, quoad Tiberius vixit, quo mortuo ei Caligula Commagenen reddidit adjectis Ciliciae maritimis [a]), nempe in praemium, quod eum ad mores tyrannicos instituerat [b]), sed ab eodem iterum exutus regno, iterum restitutus a Claudio [c]). Armeniae etiam partem addidit Nero, quod se adversum Parthos subsidiis juverat. Eandem quoque operam Romanis in bello adversum Iudaeos locavit, et Vespasiano ad imperium aspiranti praesto fuit, quod esset vetustis opibus ingens, et inservientium regum ditissimus [d]). Verum quadriennio post accusatus a Paeto Syriae praeside, quod cum Parthis contra Romanos colluderet, regno exuitur V. C. 825., et primum Lacedaemonem, dein Romam transfertur, ubi habitus honorifice reliquam vitam exegit [e]).

De uxore Iotape, et duobus filiis agetur infra.

Numi:

ΒΑΣΙ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Caput regis diadematum.* Ɪ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Duplex cornucopiae decussatum.* AE. III. (Mus. Caes. Haym.)

ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΜΕΓΑΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Caput diadematum.* Ɪ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes. Haym.)

ΒΑΣΙ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΕΠΙ. in aliis: ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΕΠΙΦΑ. *Caput diadematum.* Ɪ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Capricornus, infra quem ancora, intra lauream.* In aliis: *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Haym.)

ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΜΕΓΑΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Caput diadematum.* Ɪ ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Haym.)

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Caput juvenile diadematum.* Ɪ ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. *Vir seminudus stans d. coronam.* AE. II. (Pellerin.)

Caput regis diadematum. Ɪ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΕΤ. ΙΡ. *Bacchus nudus stans d. cantharum, s. thyrsum, pro pedibus pantheriscus.* AE. II. (Mus. Caes.)

ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. *Caput*

---

a) Dio L. LIX. §. 8. b) l. c. §. 24. c) Dio L. LX. §. 8. d) Tacit. Hist. L. II. c. 81. e) Ios. Bell. Iud. L. VII. c. 7.

Digitized by Google

diadematum. ℞ ΑΤΚΑΟΝΩΝ. *Scorpius intra lauream.* ÆE. II. (Pellerin.)

De tribus numis prioribus cuinam Antiocho Commageno tribuendi sint, decidere veretur Massonus. Credo, Antiochi IV. esse omnes, nam quotquot ejus generis viderim, similis omnes sunt fabricae. Neque obest, variare in his oris lineamenta, nam et in iis, quos certo constat, esse Antiochi IV., multum variare vultus, fatetur quoque Pellerinius [a]). Haec si ita habent, tenemus, Antiochum IV. et *Magnum*, et *Epiphanem* dictum, quod jam constabat ex numo Iotapes, quem infra citabo.

Numos tres sequentes esse hujus Antiochi, quoniam in Cilicia se cusos profitentur, indubitatum, nam ante hunc alteri collatam Ciliciae partem non constat. Horum primus inscribitur ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. Fuit Lacanatis teste Ptolemaeo pars Ciliciae Tracheae, in qua sita Irenopolis. Ejus gentis autonomum edidit Pellerinius, quem in moneta Ciliciae recitavi. Qui sequitur nomine ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, signatus est in insula Ciliciae contigua olim dicta Elaeusa, sed quam Archelaus ejus tractus rex in Augusti honorem *Sebasten* appellavit, ut diximus in hujus insulae numis.

Numum inscriptum ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ jam edidit Frölichius [b]), et recte quidem agnovit signatum Alexandriae Ciliciae ad Issum sitae, sed cum annum inscriptum legeret ΖΠΡ., huncque annum esse Seleucidarum putaret, in ejus antica exhiberi caput Alexandri II. Syri censuit. Sed praeterquam quod non ΖΠΡ., sed ΕΤ. ΙΡ. in eo luculente legitur, certum est I., oris lineamenta nullo pacto referre Alexandrum II. ex numis satis cognitum, II. Nullo hactenus exemplo constat, Ciliciae urbes Seleucidarum epocha in numis suis usas. III. Caput hujus numi prorsus refert Antiochum IV. Commagenum, qualis in numis, quos descripsimus, proponitur, ut adeo dubitari non possit, ad eum numisma istud pertinere. Si non fallit Vaillantius, principium epochae Alexandrinae ducens ab anno V. C. 687., annus ΙΡ. ducetur ab autumno V. C. 796., quo ipso tempore constat Antiochum Ciliciae partem tenuisse.

Numus postremus per epigraphen ΑΤΚΑΟΝΩΝ docet, quod reticuere historici, Antiocho praeter Ciliciae maritima Lycaoniam quoque tributam. Iam et pridem antea Romanos victo Aristonico filiis Ariarathis dedisse Ciliciam et Lycaoniam, refert Instinus [c]).

Ad typos quod attinet, scorpium aut capricornum plerique sistunt, quos esse ex Zodiaco et causis astrologicis petitos, exempla Antiochiae, Samosatorum, aliarumque ejus viciniae urbium persuadent. Sane in Quadripartito, seu de judiciis astrorum olim Ptolemaeo tributis scorpius dicitur praeesse Commagenae [d]). Addita in nonnullis ancora verisimile facit, Antiochum aut revera a Seleucidis duxisse genus, aut istud in vulgus credi voluisse, nisi forte alia de causa proprium fuit Commagenorum symbolum.

* * *

Caput juvenile tiara Armeniaca radiata tectum et diadematum. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ.

a) Rois. p. 126. b) Annal. Syr. p. 89. c) L. XXXVII. c. 1. d) L. II.

Digitized by Google

ANTIOXOT. *Leo gradiens.* AE. II. (Pellerin Rois tab. XIV.)

- - - - ANTIOXOT. *Caput simile.* ℞ *Epigraphe extrita. Bos cornupeta.* AE. II. (Mus. Caes. editus in mea Sylloge I. p. 88.)

Priorem jam olim vulgavit Belleyus eumque in eo videret vultum abludentem ab iis, quos sistunt noti Commagenes numi, et typum praeterea Samosatenum in leone gradiente, conjecit, numum praesentem signatum apud Samosata ab Antiocho quopiam regis Sami successore, quem regnasse in Commagene et Samosata condidisse statuit [a]). Aliter visum Pellerinio, neganti; ex vultus similitudine in numis Antiochi IV. certam posse conjecturam capi. Atqui constat, Antiocho IV. a Nerone datam fuisse Armeniae partem, quo factum, ut eadem ratione ejus numi cum capite mitrato ferirentur in urbibus Commagenes, qua numi Tigranis cum simili capitis cultu signati sunt per urbes Syriae [b]). Meam si quis sententiam requirat, ajo, Belleyi doctrinam nimium infirmis conjecturis niti, quod amplius probavi in numis hujus Sami, quem in Armeniam rejeci. Pellerino illud obest, quod caput in his numis magis juvenem refert, quam ut Antiocho IV. commode possent tribui, etsi facile dem, in ejus ipsius numis vera ejus lineamenta nimium saepe differre. Quid si Antiochus hic esset unus ex binis ejus filiis, de quibus mox, cui pater ferentibus Romanis interea cesserit Armeniam, cujus adeo nomine apud Samosata et alibi uterque hic numus esset signatus? Certe filium dictum Antiochum memorat Iosephus, eumque jam spectatae virtutis in bello Titi contra Iudaeos [c]). Eidem Antiocho tribuo numum alterum musei Caesarei haud dubie in quapiam Armeniae urbe cusum, quod persuadent et fabrica plane barbara, et typus tauri, ad Armeniae montem Taurum, ut verisimile puto, adludens secundum numos Augusti, qui ad annum V. C. 734. recensebuntur. Inscriptio, quae est supra taurum, et forte urbis nomen continet, prorsus extrita est.

IOTAPE.

Seguinus [d]), et Frölichius [e]) quatuor hoc nomine illustres feminas ex veteribus elicuere. Quintam stabiliunt numi Antiochi IV. Commageni uxorem.

Ex his nati *Epiphanes* et *Callinicus*, quorum quoque dabimus numos, et *Iotape* nupta Alexandro ex stirpe Herodis, de quo lege copiosius disserentem Massonum apud Haymium.

Numi:

ΒΑΣΙΛ. ΜΕΓ. ΑΝΤΙΟΧΟΣ. ΕΠΙ. *Caput regis diadematum.* ℞ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΙΟΤΑΠΗ. ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. *Mulier sedens d. pateram.* AE. (Vaill. ad Seguin p. 402.) In alio simili intra sellae fulcra legitur ΕΡΟΑ. incertae significationis. (in meis Num. vet. p. 275.)

ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. ΙΟΤΑΠΗ. ΦΙΛΑ-

a) B. L. T. XXVI. p. 355. b) Rois p. 125. c) Bell. Iud. L. V. c. 11. §. 3. d) Num. sel. p. 72. e) Not. elem. p. 214.

Digitized by Google

ΔΕΛΦΟΣ. *Caput reginae radiatum.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *Scorpius intra lauream.* AE. II. (Haym, Mus. Caes.) Perperam Seguinus legit ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ.

Horum prior comprobat, fuisse Iotapen uxorem Antiochi cujuspiam dicti *Magni* et *Epiphanis*, quae fuisse nomina Antiochi IV. Commageni mox vidimus. Idem hic Antiochus colligitur ex inscripto ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ, nam huic tantum data fuit pars Ciliciae, cui contigua insula Sebaste, et citavimus in ejus moneta numum alium ejusdem insulae nomine insignem. Numus alter per aversae et inscriptionem et typum Iotapen fuisse Commagenes reginam luculente demonstrat. Quibus omnibus collatis ruit conjectura Seguini, qui propositam in posteriore hoc numo Iotapen tribuit illi, quam Alexandro Iudaeo fuisse nuptam supra diximus, quam sententiam jam refutavit Vaillantius [a]), et Massonus. Advertendum etiam additum nomen ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΣ, ex quo apparet, fuisse Iotapen Antiochi et sororem, et conjugem, qui mos obvius fuit in Aegypti et Cariae regibus, rarior in Syriacis.

EPIPHANES *et* CALLINICVS.

Patrem Antiochum IV. Caesenii Paeti, ut diximus, criminationibus exutum regno, et sese ad privatam conditionem redactos non ferentes filii generosi animi Epiphanes, qui nuper ad Bebriacum pro Othone fortiter dimicans vulnus accepit [b]), et Callinicus arma parant, consertoque praelio dum fortiter pugnant, non quidem inferiores, verum adlato in castra nuncio, patrem regno sponte excessisse, deserti a suis fuga et ipsi sibi consulunt. Epiphanes ad Vologesem Parthum elapsus, audito, patrem ab imperatore regie haberi, Romam proficiscitur, ipso etiam patre, qui interea Lacedaemone substitit, paullo post sequente. Haec ex Iosepho [c]). Reliquum utriusque fatum ignoratur.

Numi:

ΒΑCΙΛΕΩC. ΤΙΟΙ. *Duplex cornucopiae decussatum, quorum singulis insertum caput puerile, in medio ancora, superne astrum.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. *in aliis:* ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. *Tiara Armeniaca, in cujus medio scorpius, omnia intra lauream.* AE. II. (Pellerin.)

ΒΑCΙΛΕΩC. ΤΙΟΙ. *Vterque filius in equis pacate gradientibus.* ℞ ΚΟΜΜΑΓΗΝΩΝ. in aliis: ΛΑΚΑΝΑΤΩΝ. *Capricornus, superne astrum, inferne ancora, omnia intra lauream.* AE. II. (Pellerin, Mus. Caes.)

Sine epigraphe. Vterque filius eques. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *Caput arietis.* AE. II. (Panel le Bret.)

Numus prior utrumque filium infantem proponit capto typo ex numis Drusi Caesaris Tiberii F., in quibus hujus gemellos Tiberium, aliumque anonymum eodem modo propositos habemus, tum et numis Claudii apud Patrenses et Alexandrinos signatis. Numus alter eos adultiores, et jam in equis, et velut principes juventutis sistit. Tiara Armeniaca indicat spem successionis in par-

a) l. c. b) Tacit. Hist. II. 25. c) Bell. Iud. L. VII. c. 7.

Digitized by Google

tem Armeniae, qua donatum patrem a Nerone diximus. Exornat illam scorpius, quia cum Armenia unita fuit Commagene, cujus symbolum scorpius. Etiam Agrippam Agrippae I. Iudaeae regis F. equo vectum numus sistit scripto juxta TIOT BACIΛЄΩC. Reliqua horum numorum in moneta patris explicantur.

* * *

In numis patris Antiochi exhibui numos binos inscriptos BAΣIΛEΩΣ. ANTIOXOT. capite perquam juvenili, tecto tiara Armeniaca. Ajebam, eos esse posse filii Antiochi IV., quia revera horum unus Iosepho vocatur Antiochus, et *Epiphanes* et *Callinicus* reipsa nomina non fuere, sed cognomina. Denique eorum uni jure competet tiara, quia in eorum numis illa aversae typum constituit.

CYRRHESTICA.

BEROEA.

Aequo ab Antiochia et Hierapoli intervallo distans, creditur que hodiernum *Aleppo*.

Autonomus.

Caput muliebre velatum turritum. Ꝟ BЄPOIA. *intra lauream.* AE. III. (Hunter.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

A Trajano usque ad Antoninum.

Epigraphe constans: BЄPOIAIΩN. *intra lauream.* In nonnullis Hadriani typus est lauri ramus tractus ex numis Antiochenis, de quo numorum genere agetur infra in *Hieropoli*.

Notae arithmeticae.

Trajani: A. B. Γ. Δ. H.

Antonini: A. B.

Iuvat hoc loco in similium numerorum naturam inquirere. Observantur hi in numis variarum hujus tractus urbium, ac quidem Doliches, Germaniciae, Zeugmatis Commagenes urbium, Beroeae, Cyrrhi, Hieropolis Cyrrhesticae urbium, Chalcidis Chalcidenes, Seleuciae, Aradi, et reperiantur fere tantum in numis imperatorum inde a Trajano usque ad Commodum. Fere omnes hactenus antiquarii censuere, iis annos imperii indicari, prono judicio, cum eos tot aliarum regionum, urbiumque numis inscriptos videamus. Est tamen, quod sententiae huic non parum adversatur. Generatim hi numi numeros offerunt minutiores, quam ut anni imperii haberi possint. Postremum Tra-

Digitized by Google

jani reperi H, Hadriani Δ, Antonini H, Aurelii Δ, Commodi Γ, cum tamen horum omnium diuturnum, ut constat, fuerit imperium, et fere omnes in annum K et ultra jus habeant. Vnicum video in Hieropolis numo, eoque Veri annum Θ, quo is posteriorem adsecutus non est. Quare si anni imperii sunt, quaeri jure potest, cur nulli cum annis sequentibus numi reperiantur, cum tamen numi Alexandrini, Caesareae Cappadociae, Tyanorum etc.: annos posteriores perinde ac praecedentes offerant? Credibile non est, primis tantum imperantium annis in his urbibus fuisse signatam monetam, deinceps cessatum, aut omnes eos, qui posteriores annos inscribunt, fuisse deperditos, aut nondum ex museis promulgatos. Vt nolim plane negare, annos imperii esse non posse, sic cuperem, veram adferri rationem, quae proposita haec dubia expediat.

AE. C.

CYRRHVS.

A qua regioni nomen, inditum a Cyrrhestis Macedoniae. Vide Wesselingium [a]).

Regius.

Alexandri I. Syriae regis. (Haym T. I. p. m. 63.) Hujus aversa sistit Iovem stantem eo modo, ut is exhibetur in numis Antiochenorum apud Daphnen et Callirhoen, de quo copiosius agam in sequente Hieropoli.

Imperatorii:

A Trajano usque ad Philippos.

Epigraphe ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ, saepe intra lauream.

ΔΙΟΣ. ΚΑΤΑΙΒΑΤΟΥ. saepe ΚΑΤΕΒΑΤΟΥ. *Iuppiter sedens d. fulmen, s. hastam, pro pedibus aquila, etiam in templo. In numo Caracallae apud Vaillantium supra templum est aries, nempe signum Zodiaci, ut dicetur in numis Antiochiae.* Typus obvius in variorum impp. numis.

Ζευς καταιβατης, Iuppiter descendens, memoratus etiam Orpheo [b]), et cujus aram stetisse Olympiae refert Pausanias [c]). Eum sic dixere Athenienses a dejiciendis fulminibus, vel quod propter amorem mulierum e coelo descenderet, ut docet Suidas [d]), et enarrator Aristophanis [e]). Teste Apollodoro Athenis juxta Academiam fuit ara Iovis Καταιβατου, quem et dixere Μοριον, quod erat custos sacrarum olearum [f]). Iovi Καταιβατῃ Tarentinos publice sacrificasse, quod flagitiosos quosdam fulmine adflixerat, tradit Athenaeus [g]). Iovis exemplo Demetrium viribus suis stolide ferocem se dixisse Καταιβατην tradit Plutarchus [h]). Sed alibi hoc illi nomen inditum ab Atheniensibus narrat, qui locum, ubi primum descenderat de curru, consecraverunt, posita ara, quam Δημητρειω Καταιβατη appellavere [i]), consentiente etiam Clemente Alex. [k]). Apud Aeschylum est

a) Ad Diod. Sic. L. XVIII. c. 4. b) Hymn. XIV. c) Eliac. p. m. 413. d) in Καταιβατης. e) ad Ειρηνης v. 42. f) Schol. ad Sophocl. Oedip. Col. v. 737. g) L. XII. p. m. 522. h) de Fort. Alex. Orat. II. p. 338. i) in Demetr. cap. 10. k) in Protrept.

Digitized by Google

etiam καταιβατὴς κεραυνος [a]), et quod idem significat apud Lycophronem: καταιβατὴς σκηπτος [b]).

* * *

Epocha notatur in numis regum Syriae imagine insignibus, quae est Seleucidarum.

Notae Arithmethicae.

Antonini: A. B.

M. Aurelii: Δ.

L. Veri: A.

Commodi: Γ.

Vide, quae de his in numis proximae Beroeae notavi.

AE. C.

HIEROPOLIS.

A scriptoribus passim dicitur *Hierapolis*, sed *Hieropolin* constanter appellant numi, ut et Stephanus: *tertia Syriae, quae et Hieropolis vocatur per o.* Olim dicta *Bambyce*, Syris *Magog*. Novum nomen accepit a Seleuco teste Aeliano [c]), inditum certe a religione deae Syriae, de cujus in hac urbe cultu superstitioso, et templo omnibus opibus referto Lucianus libro singulari copiose. Vide et Plutarchum [d]).

Regii et Autonomi.

Caput radiatum Antiochi IV. Ϡ ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Iuppiter stans d. coronam protendens, pro pedibus bos turgente gibbo.* AE. III. (Pellerin Rec. II. p. 193.)

Caput Alexandri I. diadematum. Ϡ ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Iuppiter stans d. rapum protendens.* AE. III. (Haym. T. I. p. m. 63.)

ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput Apollinis laur.* Ϡ ЄΤΟΤ. ΖΜΤ. *Lyra, supra quam* A. (Beger Th. Br. T. III. p. 65.)

ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum.* Ϡ ЄΤ. ΖΝΤ. *Ara luculenta, juxta* Γ. AE. III. (Pellerin. l. c.)

ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Caput Apollinis laur.* Ϡ ΑΟΤ. *Lyra, juxta* A. AE. III. (Pellerin.)

Numi hi tam fabrica, quam typis adeo sunt similes numis Antiochensium, ut Pellerinius, etsi timide suspicaretur, Antiochiae aliquanto tempore Hieropolis nomen adhaesisse. At vero hanc suspicionem, etsi probabili ratione haustam, esse supervacaneam, facile demonstrabo. Si cum numis hic loco I. et II. descriptis conferantur numi Antiochenorum ΠΡΟΣ. ΔΑΦΝΗΙ. et ΠΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΙ., videbimus, eos non modo capite regis, verum et typo aversae plane conspirare. Vt ergo fatente ipso Pellerinio hi numi non apud ipsam Antiochiam signati sunt, sed variis ac dissitis locis, ita etiam numi inscripti ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ possunt aliorsum, quam Antiochiam pertinere. Adde, quod Haymius numum numo secundo simillimum dedit, sed inscriptum ΚΤΡΡΗΣΤΩΝ [e]). Vt ergo hic Cyrrhum sine dubio pertinet, sic et illi Hieropolin.

Reliqui tres autonomi hic citati etsi cum moneta Antiochena mire conspirent, tamen certum est, Antiochiae esse non posse; nam notatur in iis aera Seleucidarum, sed a qua jam sub ipso

a) In Prometh. v. 359. b) v. 382. c) Nat. anim. L. XII. c. 2. d) in Crasso c. 17. e) Tom. I. p. m. 63.

Digitized by Google

Augusto discessere Antiocheni, deinceps tam in autonomis, quam imperatoriis inscripta aera Caesariana.

Quaeri hoc loco jure potest, quae causa fuerit, cur Hieropolitae tam diligenter typos Antiochensium imitarentur, quod dubium eo ingravescit magis, quod ii uno eodemque tempore duplicis generis videntur habuisse monetam, unam propriam suam cum imperatorum effigie jam inde a Trajano, scripto intra coronam ΘΕΑC. CΤΡΙΑC., ac multo diversa fabrica, alteram ad exemplar Antiochenum conformatam, nempe autonomos, de quibus nobis hic sermo, qui, ut inscripti aerae anni docent, signati sunt sub Hadriano, et Antonino, in quam quoque aetatem complures ejus generis autonomi Antiochenses incidunt. Videmus item, Samosatenses quoque, et Beroeenses nonnunquam a stabilitis apud se typis, fabrica, ipso adeo numorum volumine penitus discessisse, et Antiochensium caduceum, aut lauri ramum monetae suae intulisse, et quod observandum, omnes hi Syriae urbium typi monetae Antiochenae typos adfectantes incidunt in imperium Hadriani et Antonini. Quae fuerit ejus typorum concordiae ratio, utrum causa commercii, quod eruditi in numis Antiochenorum apud Ptolemaidem etc., suspicantur, aut alia quaecunque, diu adhuc, ac forte in perpetuum ignorabimus, ut adhuc forte veram causam ignoramus, cur Cretae urbes Athenienses typos, fabricam, ac totum monetae modum adfectarint.

AE. RRR.

Imperatorii:

Sunt a Trajano usque ad Philippos.

ΘΕΑC. CΤΡΙΑC. ΙЄΡΟΠΟ. ΙЄΡΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *intra lauream*, qui typus usque ad Caracallam fere unicus. Inde ab hoc plerumque *dea Syria insidens leoni*, dicta ab indigenis Atargatis, a Graecis Derceto, ut refert Plinius, et de qua Lucianus libro singulari. Sub hujus Atargatis simulacro fuisse leones docet Macrobius, eamque fuisse similis naturae cum magna matre Phrygum [a]). Sane et Apulejus deae Syriae eundem comitatum, eadem attributa addidit, quae scriptores alii, et monumenta Matri magnae addidere [b]) et mox infra [c]) eam Matris deorum sororem appellat. Sed propius ad hos numos Lucianus leone vectam dixit. Iam Nere deae Syriae cultui animum advertit aliarum religionum usquequaque contemptor, ut ait Suetonius [d]).

* * *

ΘЄΟΙ. CΤΡΙΑC. ΙЄΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sacellum, intra quod signum militare, hinc Iuppiter, inde Iuno, ambo cum modio in capite, d. hastam tenentes, ille sedens inter 2. tauros, haec inter 2. leones, inferne leo gradiens*, in numo Alexandri Sev. AE. I. (Neumann Num. pop. P. II. p. 74.)

Numus sane illustris. Adstitutum utrinque nomen praeclare explicat Lucianus [e]). Narrat, in adyto celebris ejus templi, quod est Hieropoli, *posita esse simulacra deorum, Iunonis videlicet et Iovis, quem alio nomine appellant; ambos esse aureos, et ambos sedere, sed Iunonem*

a) Sat. L. I. c. 23. b) Metam. L. VIII. c) L. IX. d) in Nerone cap. 56. e) De dea Syria.

Digitized by Google

portari leonibus, *Iovem insidere tauris*. Signum militare haud dubie ad eam legionem pertinet, cujus pars apud Hieropolin stationem habuerit, et cujus signum fuerit leo subtus gradiens. Haec omnia copiose et erudite exposita vide apud Neumannum, qui eximium istud cimelium et possidet et vulgavit. Pellerinius insigne tetratrachmum edidit, in quo eadem omnino est aversa, nisi quod pro leone inferne conspicitur aquila. Numum hunc plene describam infra in numis Antiochenis capite II., nam etsi argumentum ipsum certe Hieropolin pertinet, sic tamen certum etiam videtur, eum Antiochiae signatum, ut dicetur.

* * *

Notae arithmeticae. Hae in primis duobus supra citatis non comparent, verum hi sub regibus casi sunt. Comparent autem in tribus sequentibus autonomis, nempe A et Γ, quos per epochae annos constat sub Hadriano et Antonino signates. In imperatoriis vidi:

Trajani: A. Γ. E. ς.
Antonini: A. B. Γ. Ε. ς. Ζ.
Aurelii: Γ.
Veri: Γ. Δ. Η. Θ.
Commodi: A.
Caracallae: B. (Mus. Caes.)
Vide de his numos Beroeae vicinae.
AE. *C*.

CHALCIDENE.

Suos aliquando tetrarchas et reges habuit, numis etiam illustres.

PTOLEMAEVS *Mennaei* F. TETRARCHA.

Ejus primum meminit Strabo adserens [a]): Heliopolin et Chalcidem subjectas fuisse Ptolemaeo Mennaei F., ὑπὸ Πτολεμαίῳ τῷ Μεννάιου. Frequens deinde ejus apud Iosephum mentio. Eum primum gravem fuisse Damascenis vicinum adfirmat, tempus autem definit, quo Lucullus debellato Mithridate in Tigranem Armeniae et Syriae regem arma vertit [b]). Aliquot post annis a Pompejo M. Syriam ingresso in jus vocatum numeratis M. talentis absolutum [c]). Mortuum V. C. 714. succedente filio Lysania [d]). Hujus reliqua vide apud Iosephum.

Cl. Blondius mox citandus jure arguit Norisium, qui ex uno Ptolemaeo binos facit, Ptolemaeum Mennaeum, et hujus filium alterum Ptolemaeum. Addere potuisset Belleyum idem sentientem [e]). Sane ex Strabone et Iosepho, quorum testimoniis uterque utitur, istud

a) L. XVI. p. m. 1092. b) Ant. XIII. c. 16. §. 3. seq. c) L. XIV. c. 3. §. 2. d) B. I. L. I. c. 13. §. 1. e) B. L. T. XXVIII. p. 552.

Digitized by Google

non evincitur, apud quos nunquam legas Πτολεμαιος ὁ Μενναιος, sed semper: Πτολεμαιος ὁ Μεννατς.

Numi.

Caput barbatum, forte Iovis. ΣΠΤΟΛΟΜΗ - - ΤΕΤΡΑΡ. L. Δ. *Duo milites hastati stantes.* AE. III. (Mus. Savorgnan.)

Caput Iovis laur. ΣΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ. - - ΑΡΧΗ - *Aquila volans coronam rostro stringens.* AE. fere II. (Mus. M. Ducis.)

Numum priorem edidit Blondius misso Venetiis ectypo [a]), alterum ipse olim vulgaveram [b]). In his Ptolemaeus sese *tetrarcham* appellat, quod principatus nomen obvium fuit in hoc tractu, ut magis patebit ex numis principum Herodiadum. Plinius hujus viciniae tetrarchias XVII. Barbaris nominibus in regna descriptas memorat [c]), quarum principes jam reges, jam reguli, jam alio nomine a scriptoribus appellabantur. Iosepho noster hic Ptolomaeus dicitur dynasta Chalcidis, δυναστευων Χαλκιδος [d]). In numo Savorgnani ΠΤΟΛΟΜΗ. pro ΠΤΟΛΕΜΑΙ. vitiosum est, incertum, an culpa monetarii, an pictoris.

AE. RRRR.

HERODES *et* AGRIPPA II.

Hos Chalcidis reges eorumque numos vide in numis regum Iudaeae.

CHALCIS.

A qua circumsito agro nomen.

Autonomum, in quo caput Neptuni, conjicientis more huc vocavit Pellerinius. Dixi loco suo, eum verius Chalcidem Euboeae pertinere ipso Pellerinio serius non invito [e]). Pleraeque Syriae urbes hactenus memoratae magis inclaruere sub imperatoribus, atque adeo autonomos raro reperias.

Imperatorii:

Vulgati ab Augusto usque ad Severum, at certi sunt pro more vicinarum urbium a Trajano usque ad Commodum. Nam numos Augusti, Neronis, et nonnullorum aliorum, quos eruditi varii huc retulere, esse potius Chalcidis Euboeae, in hujus moneta probare sum conatus.

Certi ergo a Trajano usque ad Commodum inscribuntur ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. atque haec *scriptura intra coronam* more urbium ejus tractus solitum typum facit. Est tamen etiam in aliquibus *caput muliebre*. In compluribus sub Trajano, Hadriano, Vero, Commodo est *Vir capite radiato stans d. oblongum palmae ramum humi insistentem*, (in numo Commodi musei Christinae est tropaeum) *s. jaculum cum clypeo.* Ei in numo Trajani additur vox trunca - - - ΕΙΡΟΤ (Vaill.) Hadriani - - CΕΙΡΟΤ. (Arigoni) ut adeo de hac ferri judicium non possit.

Notae arithmeticae:
Trajani A. Δ.
Hadriani: B. Δ.
Aurelii: A.
Veri: A.

a) Observat. p. 59. b) Num. vet. p. 278. c) L. V. §. 19. d) Ant. L. XIV. c. 7. §. 4. e) Additions p. 74.

Digitized by Google

De his vide dicta in Beroea Cyrrhesticae.

Epocham in nonnullis Chalcidis numis detexit Norisius [a]).

$\overline{K\epsilon}$ in numis Trajani, qui dicitur ΔAK. ΠAP. (ex mus reg. Gall.)

$\overline{K\epsilon}$ in numo Adriani. (ex mus. reg. Gall. et M. ducis.)

q in numo Commodi. (ex mus. Dron.)

Ex binis numis prioribus initium aerae invicte figitur ad annum V. C. 845. Nam cum annus Kϵ reperiatur cum in nnmo Trajani, tum Hadriani, necesse est, eos signatos eo anno, quo imperium ille finiit, hic occoepit, quod factum mense Augusto V. C. 870. Quare annis XXV. hinc retrogradiendo devenimus ad annum V. C. 845.

Frölichius in numo Hadriani reperit annum Λ, eumque epochae subjecit, additque, tanto certius eam literam indicare epochae annum, quod Chalcidenses annos imperii in numis non signavere [b]). Numus is nunc est in Caesareo, et certe ambiguae lectionis inter Λ et Δ. Notas vero arithmeticas, quas passim imperii annos credunt antiquarii, revera a Chalcidensibus in numis fuisse signatas vel unum museum Caesareum luculente probat, et vidimus in tabella praecedente.

Causam constitutae epochae putat Norisius, quod hoc anno Chalcidene desinente regum dominio, quos huic tractui praefuisse usque ad Vespasianum saltem prodidere scriptores, Romanae ditioni Domitiano imperante accesserit, ex quo urbs *Flaviae* cognomen adoptavit.

AE. C.

PALMYRENE.

AMPHIPOLIS.

Numos inscriptos AMΦIΠOΛITΩN esse Amphipolis Macedoniae, non Palmyrenes, ut magni nominis antiquariis visum, dictum in illius numis.

PALMYRA.

Vrbs regionis princeps, et regibus suis, ac Zenobia, et quae hodieque restant, veteris magnificentiae argumentis nobilitata.

Autonomus.

Caput adversum radiatum barbatum cum modio inter duo capita muliebria radiata, quorum illud, quod ad dexteram est, modium insuper habet. Ꝟ ΠAΛ-

a) Epoch. Syrom. p. 270. b) IV. Tent. p. 186.

Digitized by Google

MTPA. *Victoria d. bilancem tenens super columella.* AE. III. (Pellerin.)

Pellerinius aversae typum allegoricum putat, tanquam Palmyrae in potestate fuisset aequilibrare res Romani, ac Parthici imperii. Facile damus, tantum virium fuisse Palmyrenis, sed nonnisi Gallieni et sequentium impp. aetate. At cum numus multo remotius aevum manifesto indicet, quo, praepotentibus Romanorum rebus, tantum fiduciae Palmyrenis inesse non potuit, ut auderent se utriusque imperii arbitros ferre, alius haud dubie hujus typi explicatus est inquirendus, quem non dubitem a zodiaci libra petendum, qui pluribus Syriae et Mesopotamiae urbibus typos dictavit.

Capita radiata certum Solis indicium faciunt, cujus celebre templum apud Palmyram stetisse testatur Vopiscus. Quod vero plura sunt, credo, iis proponi Adad et Atargatin, seu Solem, et Terram, quos effictos capite radiato, et per hunc tractum eximie cultos prolixe docet Macrobius [a]), nisi malis Aglibolum, et Malachbelum deos Palmyrenos, quorum et effigies et nomina videas in marmore apud Sponium [b]), aut simile quid placuit Palmyrenis in Solis cultu, quod de Edessenis narrat Iulianus [c]), in eorum urbe, quae ab aeterno Soli sacra fuit, Monimum et Azizum Solis contubernales constitutos, quorum ille esset Mercurius, hic Mars.

* * *

Numos binos aeneos Palmyrenis, ut visum, literis inscriptos ex museo Hunteriano edidit, et explicare tentavit eruditus Godofredus Woide Anglus [d]). Sitne inscriptio vere Palmyrena, adfirmare vereor. Istud certum, ejus explicationem ejusdem esse naturae cum ea, qua eruditos varios in explicandis numis Phoeniciis usos dicemus.

AE. RRRR.

Principes Palmyrae.

Horum numos quaere in moneta Augustorum, et Aegypti.

SELEVCIS ET PIERIA.

Fratres populi.

Nimirum ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *autonomis* inscriptum.

Caput Iovis laur. Ʒ ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. ΔΞΡ. *Fulmen, omnia intra lauream.* AE. III. (Haym T. I. p. m. 64.)

Alius typis Appollinis et tripodis. AE. III. (Hunter tab. 48.)

a) Saturn. L. I. c. 23. b) Miscell. p. 1. c) Orat. in Solem. d) Archaeologia Vol. VI. p. 130.

Digitized by Google

Alius, sed cum anno ΕΞΡ. (Mus. Caes. Pellerin.)

Alius typo Iovis Antiocheni sedentis. AE. III. (Hunter tab. 48.)

Caput Dianae. ℞ *Eadem epigraphe.* ΕΞΡ. *Tripus, omnia intra lauream.* (Mus. Caes. Haym. l. c.)

Alius, sed cum anno ΕΠΡ. *Mulier stans d. coronam, s. cornucopiae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Sunt adhuc alii his fere similes, sed nullo epochae anno insignes, apud Haymium et Pellerinium.

Horum epigraphen numorum eleganter explicat Strabo [a]), fuisse nimirum Seleucidem dictam Tetrapolin ob quatuor prae ceteris illustres urbes, *Antiochiam, Seleuciam, Apameam, Laodiceam, ἀπερ καὶ ἐλεγοντο ἀλλήλων* ΑΔΕΛΦΑΙ *διὰ τὴν ὁμοιοτητα, Σελευκου τοῦ Νικατορος κτισμα, quae inter se propter concordiam SORORES dicebantur, aedificatae quippe a Seleuco Nicatore*, nimirum Antiochia ex patris, Seleucia ex suo, Apamea ex uxoris, Laodicea ex matris nomine. Istud iisdem fere verbis persequitur Eustathius [a]). Eruditam hanc explicationem primus invexit Massonus, et majorum iniqua de his numis judicia correxit [b]). Ejusdem rationis est numus ΠΛΩΤΙΝΟΠΟΛΙC. ΔΟΜΗΝΟΠΟΛΙC. ΑΔΕΛΦΑΙ., quem vide in moneta Plotinopolis Thraciae. Alia exempla urbium sororum habes apud Spanhemium [c]).

Epocha in his numis est Seleucidarum ab anno V. C. 442.

AE. R.

ANTIOCHIA.

Condita Antiochia a Seleuco I. Nicatore, indita appellatione ex nomine patris Antiochi, ut visum Iustino [d]) Straboni [e]) et Libanio [f]). Tamen Iulianus imp. inditum nomen ab Antiocho filio adserit [g]), in qua opinione fuit etiam Malala, etsi Pausaniam citet idem cum prioribus sentientem, addita causa aeque inepta ac falsa, neminem conditorem opus suum ex nomine mortui appellasse [h]).

Cum plures essent Antiochiae, haec nostra dicta est vel Antiochia Syriae, vel *ἐπι Δαφνῃ*, Latinis *Antiochia Epidaphne*, quod vicina fuit silvae dictae *Daphne*, de qua infra, vel ad *Orontem* fluvium, vel *Antiochia magna*, propter nominis celebritatem. Sedes primum regum Syriae, deinde Romanorum praesidum, omnium orientis urbium facile princeps evasit, magni ea nominis in historia cum sacra, tum profana.

Cum opibus monetariis prae omnibus aliis urbibus abundet, eaeque multiplicis sint generis, ac modi, necesse visum, in plura eas capita dispescere, quorum I. continebit numos epocha notatos. II. Numos imperatorios argenteos sine annis epochae. III. Numos imperatorios aeneos inscripto S. C. IV. Numos Antiochiae coloniae. V. Numos Antiochiae inferioris aevi. VI. Numos Antiochenorum extra Antiochiam signatos.

Regum Syriae numis, quod hactenus constet, Antiochiae nomen inscriptum

a) Ad Dionys. v. 918. b) Haym. l. c. c) T. II. p. 617. d) L. XV. c. 4. e) L. XVI. p. m. 1087. f) in Antiochico T. II. p. 349. g) in Misopog. p. 347. h) Chronogr. L. VIII. p m. 86.

Digitized by Google

non exstat. Frölichius in annalibus regum Syriae binos numos proposuit, qui esse regii, et Antiochiae nomine notati videri possint, sed horum prior in quo legitur: ANTIOXEΩN. ΔHMHTPIOT. typo Pegasi [a]), est Antiochiae Cariae, in altero, qui notatur: ANTIOXEΩN. ΔHMHTPIOT. [b]) est vitium typothetae, cum pro ANTIOXEΩN. legendum sit BAΣIΛEΩΣ. Majorem partem numorum regis Tigranis esse in hac urbe signatam, etsi Antiochiae nomen absit, patet ex typo Antiocheno mulieris rupi insidentis.

CAPVT I.

Numi Antiochiae epocha notati.

Antiochenos variis per intervalla epochis usos cum numi, tum historici comprobant, et quidem I. *aera Seleucidarum* ab anno V. C. 442, quam statuunt numi. II. *Aera autonomiae*, quae et *Pompejana* dici potest. Pompejus V. C. 690. victo Tigrane Syriam ingressus multis ejus ac Phoeniciae urbibus ἀυτονομιαν impertiit. Eodem tunc beneficio adfectam Antiochiam probat Norisius ex Porphyrio, qui haec de Pompejo: ὁ δε λαβων παρ' Αντιοχεων χρηματα - - - ΑΥΤΟΝΟΜΟΝ την πολιν ἐιασε., *is vero accepta ab Antiochenis pecunia urbem SVIS LEGIBVS VTI permisit.* Inde ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ titulo saepe in numis usa est. Adhibitos nonnunquam a scriptoribus annos ab autonomia ductos probat Norisius ex Evagrio, terrae motum, qui imperante Trajano urbem evertit, ab hac supputante [c]). Vtrum numis quoque inscripta fuerit, incertum, ut dicetur. III. *Aera Caesariana* ob Pompejum a Caesare ad Pharsalum devictum. De ejus inductae tempore ac causa vide copiose et erudite disputantem Norisium [d]), et quae infra ad aeram Caesarianam notabuntur. Ductam fuisse ab autumno V. C. 705, probabitur ex numis. IV. *Aera Actiaca*, seu *aera Victoriae* ducta ab autumno V. C. 723. ob victum ab Octaviano ad Actium Antonium. Eam numi quoque stabiliunt.

Qua ratione variis his in moneta epochis usi fuerint Antiocheni, docebunt numi sequentes mixtis una autonomis et imperatoriis.

§. I. *Aera Seleucidarum.*

Caput Iovis. Ɪ ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, per aream varia sigilla, et anni:* AKΣ. ΓKΣ. ΔKΣ. EKΣ. ϛKΣ. ZKΣ. HKΣ. AΛΣ. ΓΛΣ. EΛΣ. ϛΛΣ. ZΛΣ. AE. II. (Mus. Caes. Hunter, Theupoli, Sestini.)

Caput muliebre velatum turritum. Ɪ ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. *Tripus, in area litterae solitariae, et anni:* EKΣ. ZKΣ. AΛΣ. MΣ. ΓMΣ. AE. II. (Hunter, Sestini.)

Caput Iovis Ɪ ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, et annus* BOΣ. AE. II. (Pellerin, Hunter.)

Fuere, qui negarent, inscriptam nu-

a) pag. 63. b) pag. 69. c) Epoch. Syromac. p. m. 135. d) L. c. Dissert. III. c. IV. et V.

Digitized by Google

mis Antiochenis aeram Seleucidarum, quos inter Bimardus [a]). Ergo numi hic descripti alteri erunt epochae adcommodandi. Statuatur ergo proxime sequens Pompejana vel autonomiae ab anno V. C. 690, addatur huic annus ϛΛΣ, erit numi hujus annus natalis V. C. 925 P. X. 172. qui respondet medio circiter M. Aurelii imperio. Enim vero exstant numi Antiochiae circum eadem haec tempora signati, sed hi, ut videbimus, aliis sunt typis, tum et fabricam habent et literarum formam aevo suo propriam. Et sane nullum habeo exemplum sigmatis imperante Aurelio adhuc forma Σ exarati. Multo ergo magis reluctabuntur anni MΣ. et BOΣ, quorum ille in extrema Aurelii, hic in extrema Severi tempora incideret. Ex quo consequitur, omnes, quos hoc loco descripsi, numos multo minus patientes fore aerae Caesarianae vel Actiacae, quae serius coepere, et unam adeo aeram Seleucidarum admittere.

In id genus numis annus primus est AKΣ., qui ad Seleucidarum aeram exactus respondet anno V. C. 662. Videntur Antiocheni in fatali illo regum indigenarum dissensu jus sibi feriundae monetae extorsisse. Sequuntur deinde anni exiguo inter nonnullos hiatu usque ad annum MΣ. qui in hac continua serie postremus cadit in annum V. C. 681. Postea Antiocheni plerosque numos cum capite regis Tigranis signaverint, qui tum Syriam tenuit, et cujus numi revera typum Antiochiae obvium, nempe genium urbis Oronti adsidentem, exhibent. Sed inde amplus hujus aerae hiatus usque ad annum BOΣ., qui ducitur ab autumno V. C. 713. A. X. 41. Nimirum interea Antiocheni induxere aeram Pompejanam et Caesarianam, illam ab anno V. C. 690, hanc ab anno 705. At cur iterum ad aeram Seleucidarum paullo post reditum? Credo, prudenter istud scitum Antiochenis, ne partibus offensionis causam praeberent. Enimvero orto V. C. 711. inter IIIviros, Brutumque ac Cassium bello, et occupata mox a Cassio Syria periculosum visum, per aerae Caesarianae usum addictos se Caesari profiteri; periculosum etiam aeram Pompejanam respicere incerto belli exitu; at carebat invidia, redire ad veterem et domesticam Seleucidarum aeram. Est hic in moneta Antiochiae postremus hujus aerae annus, et refellit praeterea Norisium adserentem, Antiochenos, cum aeras Romanas induxere, veterem Seleucidarum antiquasse [b]).

Typi in his: *Iuppiter Nicephorus*, et *Apollini sacer tripus*. Vtriusque numinis magna et explorata apud Antiochenos religio. Vetustissimus Iovis cultus fuit is, quem teste Libanio invexere Argivi, qui huc ad inquirendam Io appulsi desperato successu urbem condidere *Iones* nomine, erecto ibi Iovis seu Nemei seu Nomii templo [c]). Iam etiam Alexander M. eodem loco, quo deinde Antiochia surrexit, aram Iovi Bottiaeo, sic dicto a Macedoniae regione Bottiaea, in qua sita Pella ejus re-

a) Ad Iobert. T. II. p. 222. b) Ep. Syrom. Diss. III. c. 3. in fine. c) in Antiochico T. II. p. 241.

Digitized by Google

gis natalis, erexit, et ibidem postea monente per prodigium Iove Seleucus Antiochiam fundavit, et in ea templum Iovi Bottiaeo dedicavit, ut perhibent Libanius in Antiochico et Malala chronographus. Tenet dextera Victoriolam; nempe eodem modo fingitur etiam in argenteis Antiochi IV., quem haud dubie fuisse ipsius hujus signi architectum, in ejus regis moneta probavimus. Iovem hunc Antiochenum dextera protendisse Victoriam, constat ex Iustino, cum refert [a]), Alexandrum Zebinam *inopem pecuniae, cum stipendia militibus deessent, templo Iovis solidum ex auro Victoriae signum tolli jussisse, facetis jocis sacrilegium circumscribentem, nam Victoriam commodatam sibi ab Iove esse dicebat.* Addit, cum interjectis diebus ipsum Iovis aureum simulacrum infiniti ponderis evelli jussisset, a concurrente multitudine fuisse in fugam versum. Et tum quidem exitium vitavit deus altus cubitos XV., at serius ab Antiocho Cyziceno pecuniae quoque indigo ad furnum adactus est suffecto Iove vilioris materiae [b]). Iovis etiam Philii apud Pergamum quoque culti, magnos fuisse Antiochiae honores, ex Iuliano comprobat Norisius [c]).

Sed et Apollinis in hac urbe cultus eximius, jam conditori Seleuco venerandi, cujus mater Laodice sibi visa est per quietem ex concubitu Apollinis concepisse, quique propterea, cum Antiochiam condidit, campos urbi vicinos Apollini dicavit, ut refert Iustinus [d]), de quibus, dictis *Daphne*, ut et de cultu Apollinis, aliquoties infra redibit mentio. Pleraque haec jam commemoravit Norisius.

Metropolis in his numis dicitur Antiochia, mero tum honoris vocabulo, sed cum quo sub imperatoribus aliquam in alias urbes conjunctam fuisse jurisdictionem patebit ex iis, quae dicemus capite II. Quo tempore hic titulus collatus sit, nondum comperi. Iosephus eam jam tum, cum de rebus a Seleuco conditore gestis agit, metropolin appellat [e]), sed videtur locutus προλη πτικως. Ex sententia Libanii hunc illi honorem largiti sunt Romani, sed citati hoc loco numi docent, jam fuisse metropolin, antequam in horum leges ivisset. Lege de hoc argumento etiam Spanhemium [f]). Hoc elogio plus reliquis, quae adsciverat, in numis gloriatur, retento etiam in iis, quos inde a Caracalla coloniae nomine percussit. In similibus numis saltem certae fidei additum ΑΤΤΟΝΟΜΟΥ titulum nondum reperi. At enim hic collatus serius, anno, ut dixi, V. C. 690. Ajebam, in numis certae fidei, nam novi, Frölichium in annalibus ex Spanhemio et Harduino recitare numos: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΥ. ΖΣ. in alio: ΓΚΣ. [g]) verum constat etiam, eruditos hos IIviros alienis saepe oculis usus. Sane in nullo idoneo catalogo reperi hactenus numos, in quo titulus ΑΤΤΟΝΟΜΟΥ conjunctus esset cum aera Seleucidarum.

Sacra et asylum. Sic dicta haud du-

a) L. XXXIX. c. 2. b) Clem. Alex. in protr. c) Diss. III. c. 7. sub init. d) L. XV. c. 4. e) Ant. Iud. L. XII. c. 3. f) T. I. p. 584. g) pag. 105. 111.

Digitized by Google

bie Antiochia ob religionem vicini sacrique luci Daphnes, nam teste Strabone in hujus medio fuit ἀσυλον τεμενος, και νεως Απολλωνος και Αρτεμιδος, *delubrum asylo gaudens, et templum Apollinis et Dianae* [a]). Norisius aliquot recitat exempla hominum, qui adversum insidias salutem sibi in hoc Daphnes asylo quaesivere [b]).

§. II. *Aera incerta.*

Caput Iovis. ☧ ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam, in area anni:* Γ. IΓ. ΔI. ZI. IΘ. ΔK. N. ΘΠ. AE. II. (Mus. Caes. Hunter.)

Caput Iovis. ☧ *Eadem epigraphe. Mulier stans d. ancoram, s. cornucopiae, annus* Γ. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Iovis. ☧ ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛEΩΣ. ATTONOMOT. vel KAI. ATTONOMOT. *Iuppiter sedens, ut supra, anni:* H. IΔ. K. ΘK. AE. II. (Mus. Caes. Hunter.)

Caput Iovis. ☧ *Eadem epigraphe. Tripus, hinc et inde cornucopiae, anni:* BI. EK. ZK. AN. (Mus. Caes. Hunter, Sestini.)

Caput muliebre velatum turritum. ☧ *Eadem epigraphe. Duae spicae medio papavere et duobus botris, annus:* AI. In aliis: *Tripus, anni:* AK. EK. ZK. AE. III. (Mus. Caes. Hunter, Sestini.)

Caput Iovis. ☧ ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT. *Iuppiter, ut supra, annus* Γ. AE. II. (Mus. Caes.)

Caput Iovis. ☧ ANTIOXEΩN. THΣ. MHTPOΠOΛEΩΣ. THΣ. IEPAΣ. KAI. AΣTΛOT. ATTONOMOT. *Iuppiter sedens, ut supra, anni:* Γ. Δ. AE. II. (Mus. Caes. Hunter.)

Habes in his numis annorum numeros admodum minutos, quae ipsa causa est, cur ad Seleucidarum aeram exigi non possint, quae multo serius numis inscribi coepit. Sane primum regum Syriae numum reperit Frölichius notatum anno hujus aerae PIB. Sunt ergo aerae cujuspiam Romanae, seu Pompejanae, seu Caesarianae, seu Actiacae, sed cujus harum, definiri nequit. Istud certum ex ipsa typorum concordia, eos proxime successisse iis, quos Seleucidarum aera notatos supra recitavi.

Hi numi Antiochiam nostram *metropolin, sacram, asylum, autonomam* eloquuntur, et omnia haec elogia numus postremus solus collegit, et sic etiam Malala in edicto Iulii Caesaris, quod proponit [c]) ἐν Αντιοχειᾳ τῃ μητροπολει, ἱερᾳ και ἀσυλῳ και ἀυτονομῳ κ. τ. λ. De titulis *metropolis, sacrae, asyli* supra egimus. Restat titulus

ATTONOMOT. *legibus suis utentis*, quod jus concessum urbi a Pompejo diximus initio hujus capitis. Hic titulus in solis his, quos recitavi, numis reperitur, deinceps omittitur, credo, quod elogio metropolis satis sese prae aliis orientis urbibus ornatam putaverit, nam et titulis *sacrae et asyli* deinceps abstinuit. Hoc vocabulum in numis Antiochiae nunquam concurrere cum epocha Seleucidarum, paullo supra monuimus.

a) L. XVI. p. m. 1089. b) Diss. III. c. 3. sub fin. c) L. IX. sub init.

Digitized by Google

Ratio typorum aut ex praecedentibus est cognita, aut eorum explicatio nemini non parabilis.

§. III. *Aera Actiaca.*

Hac aera usos Antiochenos, nami sequentes invicte comprobant.

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti laureatum.* Ɪ ΕΤΟΥΣ. ϛΚ. *vel* ΖΚ. *vel* ΗΚ. *vel* ΘΚ. ΝΙΚΗΣ. ΤΠΑ. ΙΒ. *Mulier velata ac turrita rupi insidens d. palmae ramum, infra fluvius emergens, in area monogramma* ΤΑΧ. *vel* ΧΑΤ. AR. I. (Mus. Caes. Pellerin. Morelli.)

Alius, sed cum anno ΘΚ. *et* ΤΠΑ. ΙΓ. AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 175. Pembrock Part. III. tab. 40.)

Alius, sed cum anno Λ *et* ΤΠΑ. ΙΓ. AR. I. (Sestini Lett. IV. p. 10.)

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti laureatum.* Ɪ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Idem typus, in area conjuncti anni* ϛΛ. ΔΝ. *et monogramma* ΧΑΤ. AR. I. (Baldini ad Vaill. Theupoli, Pellerin Mel. I. p. 173.)

In praestantissimos hos numos commentati sunt viri eruditi varia fortuna. Vnus Pellerinius paucis, nitide, ac vere. Exponendum primo, quod numi hi verum continent, deinde et aliorum lapsus, ne fraudi sint, commemorabimus.

Numi primae, secundae, tertiae sedis epocham Actiacam exhibent, eamque indubitatam, nam anni inscripti palam dicuntur ΕΤΕΑ. ΝΙΚΗΣ. *anni Victoriae*, nempe ad Actium ineunte Septembri V. C. 723. ab Octaviano relatae. Addantur consulatus Augusti expressi litteris ΤΠΑ. sed monogrammate nexis, et quidem consulatus ΙΒ. seu XII. jungitur cum annis ϛΚ. ΖΚ. ΗΚ. ΘΚ., consulatus ΙΓ. seu XIII. cum anno ΘΚ. Λ. Vere haec ad historiam et chronologiam, ut patet ex hoc diagrammate:

Anni aerae Actiacae.

Anni urb. cond.	*Augustus Cos.*		*a Kal. Ian.*		*ab autumno.*	
748.	ΙΑ.	XI.	ΕΚ.	25.	ϛΚ.	26.
749.	ΙΒ.	XII.	ϛΚ.	26.	ΖΚ.	27.
750.	ΙΒ.	XII.	ΖΚ.	27.	ΗΚ.	28.
751.	ΙΒ.	XII.	ΗΚ.	28.	ΘΚ.	29.
752.	ΙΓ.	XIII.	ΘΚ.	29.	Λ.	30.

Digitized by Google

In his prioris loci numis nomen urbis Antiochiae non indicatur, esse tamen Antiochiae, certum est primum ex typo, qui exhibet genium muliebrem Antiochiae insidentem rupi, prae cuius pedibus emergit fluvius Orontes, quem typum alias quoque in certis Antiochiae numis videbimus, deinde quod praecipuum est, ex numo sequente cetera simili, et qui praeterea nomen ANTIOXEΩN. addit. Eximius hic numus eo etiam praestat, quod raro in numis exemplo duplicis epochae annos ϛΛ. et ΔN. 36. et 54. offerat. Iam vero utriusque anni fontes indagandi. Inter annos 36. et 54. intervallum est annorum 18. Hi ergo anni ad epochas pertinent, quae totidem inter se annis distant. Ex cognitis Antiochiae epochis habemus Caesarianam et Actiacam hac indole praeditas, quarum illa ducitur ab autumno V. C. 705, haec ab autumno V. C. 723, manifesto annorum 18 intervallo. Ergo certum est, annum auctiorem ΔN. esse vetustioris Caesarianae, minutiorem ϛΛ recentioris Actiacae. Vterque numerus conspirat in annum V. C. 758, a cujus autumno usque ad autumnum anni sequentis hic numus cusus. Istud etiam praeclare docet eximium hoc cimelium, aeram Actiacam Antiochenis revera ab anno V. C. 723 ductam, nam si ab anno sequente duceretur, non concurreret ad annum V. C. 758. cum anno ΔN aerae Caesarianae, cujus exordium ad autumnum V. C. 705. invicte figitur, ut infra dicetur.

Monogramma his numis inscriptum varie explicatum. Liberalissimus Baldinus tria illo designari docuit, primum ANT*iochiam*, secundum ATT*onomium*, tertium ATΓ*ustam*, quasi hoc nomen inditum fuisset urbi [a]). Habile igitur istud monogramma instar Protei omnes formas accipit, cum perinde legi patiatur ANT. et ATT. et ATΓ. Modi primus ac tertius absurdi sane sunt. In significatione ATT*onomiae* plerique acquievere, atque ipse etiam Pellerinius [b]), quod in hoc tanto magis mirum, cum ipse numum Philippi Syriae regis Antiochiae signatum produxerit eodem monogrammate notatum [c]), cum tamen constet, Antiochiam a Pompejo M. demum autonomiam abstulisse. Magnanus creditum istud ATT. conjunxit cum anno ΔN., et explicavit: *anno autonomiae seu Caesariano quinquagesimo quarto* [d]). Verum aera Caesariana nunquam dicta fuit aera autonomiae. At neque persuadere mihi possum, litteras ATT. illo monogrammate contineri; quod enim viris eruditis AT videtur, manifestum est AX., quod eadem forma occurrit in obviis Achaeorum argenteis. Praestat, in indagando monogrammatum sensu minus esse curiosum.

At commemoranda etiam admissa in recitandis his numis peccata, quae in his tanto sunt minus dissimulanda, quod illustria sunt tetradraehma, et male descripta historiam et chronologiam, quod et factum, impediunt.

Edidit Morellius numum similem inscriptum ETOTΣ. ϛK. NIKHΣ. TΠA.

a) Ad Vaill. T. II. p. 36. b) Mel. I. p. 176. c) Rois tab. XIII. d) Probl. de anno Chr. p. 363.

Digitized by Google

IB. eamque epigraphen secundum leges a me mox citatas praeclare explicat [a]). At idem infra in emendandis pag. 257. pro ETOTΣ. ϛK. legi jubet ETOTΣ. KE. Istud aperte falsum. Etenim labente apud Antiochenos anno Actiaco KE. seu 25. Augustus nondum fuit consul XII., ut patet ex inserto supra diagrammate.

Eodem loco narrat Morellius, reperisse se id genus unum, qui Augusti consulatum XIV. prodit, scripto adeo ΥΠΑ. ΙΔ. Hoc si certum et exploratum, non erat leviter et velut in transcursu commemorandum. Probi fasti obitos ab Augusto consulatus non noverunt plures XIII. Vnus index praefixus Dionis libro LV. consulatum Augusti XIV. obtrudit, sed quam licentiam adcurate et severe castigat Norisius [b]).

Alium idem promulgavit inscriptum ETOTΣ. ΘK. NIKHΣ. ΥΠΑ. IE [c]). Quoniam Augustus consul XV. nunquam processit, Havercampus commentator το IE. non ad consulatum Augusti, sed novam aliquam epocham ab Antiochenis inductam revocavit [d]). Necesse non est, ejus ratiocinio multum immorari, cum certum sit, pro IE. legendum vel IB. vel IΓ.

Idem Havercampus [e]) et Mazzolenus [f]) argentei tetradrachmi meminere editi primum ab Aenea Vico, restituti a Bellorio, et quod epigraphen praefert: ANTIOXEΩN, NEΩK. ϛΛ. ATT. ΔN. Hoc praeconio deceptus uterque vir eruditus quam absurda coactus fuerit comminisci, ex commentariis patet. Nemo non videt, esse hunc numum eundem cum illis, quos quarto loco adduxi. Inique etiam inseritur το NEΩK. quo *neocoratus* indicatur, quem nullus certus Antiochenorum numus praefert.

§. IV.

ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ. *Caput Augusti laur.* ℞ ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. *additis annis:* EK. ϛK. ZK. HK. ΘK. Λ. ΑΛ. *omnia intra coronam.* AE. II. (Mus. Caes. Magnan probl. nat. Chr. tab. VI. Morelli, Harduin.)

Hujus epigraphes et typi verum sensum primus reperit Norisius [g]). Nimirum Antiocheni audito, Augustum V. C. 742 vacuum Lepidi morte pontificatum maximum suscepisse, ut suam testarentur laetitiam, auream illi coronam dedicaverunt. De id genus muneribus, quae jam auro, jam corona aurea constabant, ac propterea *aurum coronarium* dicebantur, et imperatoribus a provinciis, si quid feliciter iis cessit, offerri consuevere, hic agere non instituo, cum super hoc argumento copiose disputem ad similes numos Antonini Pii anno V. C. 892 cusos. Ergo si utriusque partis epigraphen conjungas, habes facilem ejus sensum: ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΑΡΧΙΕΡΕΙ. ΑΡΧΙΕΡΑΤΙΚΟΝ. *στέφανον* ΑΝΤΙΟΧΕΙΣ. *ἀνέθηκαν. Caesari Augusto pontifici maximo ob susceptum pontificatum max.* coronam *Antiocheni* dedicaverunt. Addere *στέφανον coronam*

a) Specim. p. 49. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 13. c) Thes. impp. in Aug. tab. XIII. n. 16. d) impp. Morell. T. I. p. 264. e) l. c. f) de trib. pot. p. 87. g) Ep. Syrom. diss. III. c. 7.

Digitized by Google

necesse non fuit, cum ea ipsa typum faciat. Ex numis hoc typo insignibus annum primum habemus EK. qui ductus ab exordio 723 incipit in autumno 747. Insignis pretii fuisse hoc munus patet, quod eam largitionem per plures annos praedicaverunt. Ejusdem argumenti est numus, sed cum capite Tiberii, in cujus aversa est: APXIEPATIKON. ANTIOXEIΣ. A. teste Harduino [a]).

§. V.

Caput Iovis. Ϟ ANTIOXEΩN. ΕΠΙ. ΟΤΑΡΟΤ. *Mulier velata ac turrita rupi insidens d. palmae ramum, infra fluvius emergens, anni* EK. ϛK. ZK. AE. III. (Mus. Caes.)

Deinceps hominum Romanorum Syriae praesidum nomina frequenter in moneta Antiochena videbimus. Eorum catalogum ab anno V. C. 707. usque 822. jam olim edidit Norisius additis eruditis commentariis [b]).

In his numis habemus Varum, dictum plene *P. Quinctilium Varum.* Processit Consul V. C. 741. In Syriae praefectura datus successor Sentio Saturnino [c]). De eo Vellejus [d]): *Varus Quinctilius illustri magis quam nobili ortus familia, vir ingenio mitis, moribus quietus --- pecuniae vero quam non contemptor, Syria, cui praefuerat, declaravit, quam pauper divitem ingressus dives pauperem reliquit.* Ejus aliquoties meminit Iosephus. Legionibus Germanicis praefectus, dum incautius agit, ab Arminio cum tribus legionibus caeditur V. C. 763.

Varo Syriae praeside natum Christum, indubitatum est; nam extremo regnantis Herodis M. tempore, et mox eo mortuo fuisse eum Hierosolymis, testantur Iosephus et Tacitus, qui posterior refert etiam, post mortem Herodis nihil exspectato Caesare Simonem quendam regium nomen invasisse, sed a Quinctilio Varo obtinente Syriam punitum [e]).

Numi praesentes offerunt annos EK. ϛK. ZK. ducendos certe ab aera Actiaca. Coepit annus EK. in autumno V. C. 747. et annus postremus ZK. in autumno 749. exiturus in autumno 750. Praeclare igitur in tempore conspirant hi numi cum iis, quae historici a Varo in Iudaea gesta memorant paullo ante, ac mox post Herodis M. mortem, quae accidit in vere V. C. 750, quae omnia secundum hos Vari numos paucis ac nitide exponit Vaillantius [f]). Ex quo apparet, nondum fuisse hos numos cognitos Norisio, cum scripserat, Varum Syriae rectorem impositum V. C. 750, et paucis adeo mensibus ante obitum Herodis [g]). Sed et ducibus iisdem numis, quae scripserat, serius retractavit [h]). Quousque se porrexerit Vari in Syria praetura, neque numi, neque historici meminere.

§. VI.

Caput Iovis. Ϟ ANTIOXEΩN. ΕΠΙ. ΣΑΤΟΡΝΙΝΟΤ. ΟΤΟΛΟ. *Mulier ve-*

a) Opp. sel. p. 21. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. c) Ios. ant. Iud. L. XVII. c. 5. §. 2. d) L. II. c. 117. e) Hist. L. V. c. 9. f) Bell. lettr. T. II. p. 405. g) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 11. h) Ep. Syrom. diss. III. p. 213.

Digitized by Google

lata ac turrita rupi insidens d. palmae ramum, infra fluvius emergens, annus ΕΛ. AE. II. (Pellerin, Hunter, Vaill. in fam. Volusia.)

C. Sentium Saturninum Syriae praesidem ex Iosepho habemus, cui deinde successit Varus, ut in praecedentibus diximus. Sed ad hunc Saturninum hi numi pertinere non possunt propter inscriptum annum ΕΛ. 35, qui ductus ab anno 723 incipit in autumno V. C. 757. Alius igitur inquirendus Saturninus, qui tempori, quod numus praescribit, conveniat. Est inter Varum et Quirinium praesidum Syriae hiatus, quem eruditorum conatus nondum explevere. *Quare*, inquit Norisius [a]), *alius inter utrumque praeses Syriae ponendus est, quem Iosephus non nominavit, ac nobis nusquam ex aliis scriptoribus indicatur.* Hunc definiunt numi praesentes nempe Saturninum, addito ad tollendum ambiguum, ne gentis Sentiae, ut alter, putaretur, ΟΤΟΛΟ., quod est pro ΟΤΟΛΟΤΣΙΟΤ. Plures fuere prima imperatorum aetate Volusii cognomento Saturnini, quos vide in Glandorpio. L. Volusium Saturninum bis memorat Plinius [b]). Quem numus indicat, videtur esse is L. Volusius, quem Tacitus refert V. C. 773 mortuum, qui veteris familiae consulatum primus intulit, subinde censor, et opum, quibus domus illa immensum viguit, primus adcumulator [c]). Idem L. Volusius Saturninus legitur etiam in numo Achullae Byzacenes.

§. VII.

Caput Iovis. Ϟ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. *Aries saliens et astrum respiciens, annus* ΒΜ. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput Iovis. Ϟ ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΤ. *Aries saliens et astrum respicions, anni* ΒΜ. ΓΜ. ΔΜ. AE. III. (Morelli in fam. Iunia.)

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΤ. *Caput Tiberii nudum* Ϟ Α. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΤ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *anni:* ΓΜ. ΔΜ. ΕΜ. ΖΜ. *omnia intra coronam.* AE II. (Morelli impp. in Tiber. et in fam. Iunia.)

Eadem adversa. Ϟ Γ. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΤ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *vel* ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. *annus* ΖΜ. *omnia intra coronam.* AE. II. (Vaill. num. Graec. p. 8. 9. Noris ep. Syrom.)

Annos his inscriptos numis ducendos ab aera Actiaca V. C. 723., dubitari nequit, nam ducti a Caesariana V. C. 705. non inciderent in tempora, quibus aut Silanus Syriae, aut Tiberius imperio praefuere. Sed enim neque omnes hi anni possunt cum aera Actiaca componi, et quidem ΓΜ. et ΔΜ., qui teste Morellio reperiuntur in numis Tiberii jam ΣΕΒΑΣΤΟΤ. titulo praediti. Annus ΔΜ. deductus a principio anni V. C. 723 coepit mense Septembri 766, et exivit eodem mense 767, sed toto adhuc illo anno Antiocheno demptis paucis diebus superfuit adhuc Augustus, mortuus denique XIX. Augusti V. C. 767. Qua ergo ratione la-

a) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 11. b) L. VII. §. 12. et 49. c) Ann. III. 30.

Digitized by Google

bente hoc anno Antiochiae signari potuere numi nomine Tiberii jam Augusti? Si calculo huic repugnat annus ΔM., multo magis repugnabit annus ΓM. Havercampus in utrumque hunc Morellii numum commentatus difficultatem intactam reliquit, credo, quia nodus non erat vindice dignus. At eum sic expedire tentat Magnanus [a]). *Tiberius*, inquit, *in nonnullis Augustus appellatur etiam ante ipsius Octaviani Augusti mortem, ob scilicet aequalem omnino potestatem, quam a senatu postulante patre ejus teste Vellejo in Syria omnibusque provinciis obtinuerat anno Romano* 765. Haec cum scripserat vir eruditus, an satis videtur expendisse naturam tituli Augustei, ac praecipue qua is fuit vivente adhuc Augusto? Nolo lectorem refutanda hac sententia longius morari, cum magis videatur verisimile, utrumque numum Morellianum esse mendacem. Enimvero antequam explicare numum ordiar, quem certae antiquitatis scientiae manifeste video repugnare, primas meas partes puto, de numi antiquitate, et vera ejus lectione esse securum, atque istud confidenter monere lectorem, ne irreverenter videar ac velut per lusum gravissima vetustatis dogmata velle evertere. Quas, ut ajebam, primas meas partes puto, eas multis fuisse postremas, nimio certum, quibus gravius saepe piaculum visum, Goltzii aut Mediobarbi fidem et adcurationem in dubium vocare, quam omnem veterem historiam et chronologiam tot undique monumentis confirmatam loco movere. Quae non monstra parturivit vel unus Mazzolenus vir eruditus sane ac perspicax, sed hoc uno forte culpandus, quod in nullo numo, quem alieni catalogi obtulere, aut *νοθείαν*, aut occultum vitium est suspicatus? At numi, de quibus agimus, capti sunt ex operibus Morellii, viri si quis alius, adcurati ac fide digni. Novi praestantis viri merita, sed numos, quos ediderat, omnes esse rite promulgatos qui volet adserere, illi ego justum eorum, ac praecipue Graecorum, numerum possem repraesentare, in quibus describendis graviter offenderat. Quod si quis vicinum exemplum desiderat, is quaeso postremum Silani numum in eadem Tiberii tabula inspiciat, qui praeclarum nobis, si superis placet, epochae annum ΞM. offert. Et vero promulgandis epochae annis tanto pronius peccatum, quod, seu Γ legas, seu E, istud inscriptionis sensum non turbat, atque error tum primum deprehenditur, cum calculus subducitur. Multa etiam in iconismis deprehendi errata, sed quae non Morellio, sed chalcographo imputes, quae sane omnia abstersurus erat vir insignis, si per fortunam magis propitiam, ac deinde etiam valetudinem licuisset edere commentarios, quos in collectos a se numos paraverat. Haec cum maxime apud animum reputarem, e re visum, causae arbitrium Gothae Saxoniae permittere, in cujus locuplete museo, olim Schwarzburgico, servari numum Silani cum anno ΓM. adpositus a Morellio leo monet. Consultus a me amicissimus et mea laude major Schlaegerus rescripsit: numum ΓM. non modo non exi-

a) Probl. de ann. Chr. p. 125.

Digitized by Google

stere in Museo Gothano, sed secundum veteres ejus catalogos in illo ne quidem exstitisse unquam; qui ibi exstat, praeferre annum EM. jam alias satis cognitum. Me igitur judice ex catalogo numorum Tiberii expungentur ii, qui cum titulo ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. conjungunt annos ΓM. ΔM. et primus, quem in syllabum recipiemus, erit annus EM. incipiens in Septembri V. C. 767, quo ipso tempore Tiberius et imperium adiit, et ΣΕΒΑΣΤΟΥ titulum suscepit. Et vero peccatum a Morellio tanto certius licet suspicari, quod utrumque numum cum praetensis his annis in nullo alio catalogo reperire licuit, commemoratis solum annis EM. ZM.

Iudicium meum eximie confirmatur litteris A et Γ, quae in Tiberii numis inscriptioni partis aversae praefiguntur. Norisius cum videret, litteram A sociari cum anno EM., qui fuit Tiberii primus, et litteram Γ cum anno ZM., qui fuit Tiberii tertius, adfirmare non dubitavit, A et Γ notare annos imperii [a]), et poterat istud adfirmare, cum numi, in quibus A sociatur cum annis ΓM. et ΔM., usque ad praeconem Morellium omnibus essent ignoti. At enim istud profecto miramur, qua ratione Havercampus et hos potuerit Morellii numos, et una sententiam Norisii de annis imperii adprobare, cum tamen numi hi, si veri sunt, Norisii systema prorsus evertant [b]). Istud etiam miratus Mazzolenus, bonumque et ambidexterum Havercampum compellans, *rem*, inquit, *omnibus eruditis gratam fecisset, si explicasset, quomodo primus annus Tiberii cum annis* 43. 44. 45. *Antiochensium componi potuerit* [c]). Ergo cum Morellii numos veraces agnoverint Mazzolenus, et serius Magnanus [d]), non poterant sententiae Norisii non adversari. At facile cum Norisio convenit mihi, qui numos Morellii, litteram A cum annis ΓM. et ΔM. sociantes in censum non recipio, atque etiam cum Vaillantio idem sentiente [e]), quam nostram sententiam juvat etiam primum, quod in autonomis, quos descripsi, Silani numis nulla adhuc littera additur, at cum ventum est ad annum EM., qui fuit primus Tiberii, adstituitur A, et aequo deinde, intervallo jungitur Γ cum ZM., deinde ac quidem praecipue, quod in Neronis numis anni imperii cum annis epochae indubitate junguntur, ut videbimus infra §. XIII. Denique cum littera Γ tam in numo Antiochiae, quam Seleuciae jungatur cum anno ZM., apparet, elementum illud indicare aliquid, quod ad utramque urbem aeque pertinuit, quale sane est imperium Tiberii.

ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. in plerisque his numis scriptum. Ex qua gente fuerit hic Syriae rector Silanus, dissident eruditi. Glandorpius, Morellius, Vaillantius eum genti Iuniae inseruerunt, obviis nimirum in hac Silanis. Melius Pighius [f]) et Norisius [g]) genti Caeciliae. Nam fuit V. C. 760. consul Q. Caecilius Metellus Creticus Silanus, quadriennio post regendae Syriae admo-

a) Ep. Syrom. diss. III. c. 7. b) comment. in fam. Morell. p. 225. c) de trib. pot. p. 85. d) probl. de nat. Chr. p. 127. e) num. Graec. p. 8. f) Annal. ad ann. 764. g) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 18.

Digitized by Google

tus, eumque ipsum *Creticum Silanum* constanter appellat Tacitus. Docente numo BM. in Syria jam fuit inter autumnum 764. et autumnum 765. Numi postremum annum habent ZM., qui coepit in autumno V. C. 769. exiturus in autumno 770. Revera ad annum V. C. 770. refert Tacitus [a]), Tiberium, quando Germanicum orienti praefecerat, *demovisse Syria Creticum Silanum per adfinitatem connexum Germanico, quia Silani filia Neroni, vetustissimo liberorum ejus, pacta erat, praefecitque Cn. Pisonem etc.* Adeo plerumque belle numi veteres, sed probi et rite lecti cum veterum testimoniis conspirant. Idem hic Silanus memoratur etiam in numis coloniae Beryti Phoenices, scripto: PERM. SILANI.

Ratio arietis salientis dabitur infra §. XVII.

§. VIII. *Aera Caesariana.*

Postposui aeram Caesarianam Actiacae etsi ordine priorem, quod ante tempus, in quo nunc sumus, raro in numis Antiochenis usurpata, saltem quod certo constet, deinceps sola Antiochiae monetam occupat. Dixi, quod certo constet, raro usurpatam; nam ad eam forte exigendi numeri, quos supra §. II. in numis aerae incertae recensui. Hactenus habuimus certam aeram Caesarianam in anno ΔN. sed conjuncto cum anno Actiacae ϛΛ in numo, quem §. III. citavi, ex quo patet, eam etiam tum valuisse, cum maxime Actiacae fuit usus, sed praevaluisse Actiacam imperante Augusto, quod insignem ejus ad Actium victoriam testabatur, et adhuc inter initia Tiberii, ut mox ex numis Silani vidimus. Sed patet etiam ex numis, Caesarianam imperante Tiberio sic Antiochiae stabilitam, ut Actiacam ex moneta extruderet, et deinceps ipsa sola vigeret, et quotiescunque a scriptoribus inferioris aevi aerae Antiochenae fit mentio, sola haec aera Caesariana intelligeretur. Diximus, coepisse V. C. 705, quod et probabitur ex numis. Sed varia martyrum acta vi chronologicorum characterum exigunt pro aerae initio annum V. C. 706. Qua ratione haec conciliari possint, vide in Memoriis Paris. inscript. Tom. XXX. p. 231.

§. IX.

ΤΙΒΕΡΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Tiberii laur.* ☧ ΕΠΙ. ΦΛΑΚΚΟΤ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *annus* ΒΠ. *intra coronam.* AE. II. (Morelli fam. Pompon. Mus. Caes. Noris ep. Syrom. p. 141.)

Annus ΒΠ. ductus ab aera Actiaca V. C. 723. responderet anno V. C. 804. qui Tiberii imperium et vitam annis XIV. excedit. Ducendus ergo ab Epocha Caesariana V. C. 705. et ex hac lege signatus numus ab autumno V. C. 786.

Pomponius Flaccus Syriae praeses saepe a Iosepho, Suetonio, Tacito citatur. Suetonius [b]): *quorum alteri* (Flacco) *Syriam continuo dedit.* Factum istud colligit Norisius V. C. 775 [c]). Mortuum in Syria in magistratu tradit Ta-

a) Ann. II. c. 43. b) in Tib. c. 42. c) Cenot. Pis. diss. II c. 16. §. 13.

Digitized by Google

citus [a]), et quidem V. C. 786. in cujus autumno coepit annus BΠ. numo inscriptus, ut diximus. Necesse ergo est, Flaccum paullo post coeptum hunc annum mortuum, quia Tacitus in anni ejus gestis refert: *exin Flacco Pomponio Syriae propraetore defuncto recitantur Caesaris litterae etc.* sed et Tacitus istud memorat in rebus extremo ejus anni gestis. Istud ergo praeclarus hic numus docet, non posse initium epochae Caesarianae differri in annum V. C. 706., nam tum annus numi BΠ. ducendus foret ab autumno V. C. 787. Flacco jam anno praecedente Iuliano e vivis erepto. Sed epochae Caesarianae initium multo adhuc luculentius comprobabitur ex numis Muciani sub Galba et Othone Syriae praesidis.

§. X.

IMP. TI. CLAVDIVS. AVG. GER. *Caput Claudii laur.* Ɪ ΕΠΙ. ΠΕΤΡΟΝΙΟΤ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *annus* q, *intra coronam.* AE. II. (Noris ep. Syrom. p. 152. Morelli in fam. Petron.)

Annus q. nempe 90. coepit in autumno V. C. 794. P. Petronium in Syriam legatum missum a Caligula, testem habemus Iosephum, et quidem judice Norisio V. C. 792 [b]). Duravit in ipsum Claudii imperium teste praeter hunc numum etiam Iosepho, qui recitat litteras ad Dorienses datas, quae incipiunt: *P. Petronius legatus Tiberii Claudii Caesaris.* Vide de Petronio plura apud Norisium [c]).

§. XI.

IMP. TI. CLAVDIVS. AVG. GER. *Caput Claudii laur.* Ɪ ΕΠΙ. ΚΑΣΣΙΟΤ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ET. Δq. *in alio:* ET. ϛq. *intra coronam.* AE. II. (Morelli in fam. Cass. Noris.)

Anni Δq. et ϛq. 94. et 96. ducendi ab autumno V. C. 798. et 800. Cassius Longinus juris scientia inclytus, qui in Syriae regimine Vibio Marso successit. Veterum de eo testimonia collecta vide apud Norisium. (Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 13. et ep. Syrom. diss. III. c. 4.)

§. XII.

ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum.* Ɪ ΕΠΙ. ΚΟΤΑΔΡΑΤΟΤ. *Aries saliens lunulam et astrum respicit, infra:* ET. ΔP. — ET. EP. — ET. ϛP. — ET. ZP. — ET. HP. AE. III. (Mus. Caes. Harduin, Hunter.)

Ex his annus primus ΔP. ducitur ab autumno V. C. 808. postremus HP. ab autumno 812. qui omnes sunt Neronis. Fuit tamen C. Vmmidius Quadratus jam a Claudio in Syriam missus, nam eum Syriae praesidem jam laudat Tacitus ad annum V. C. 804 [d]). Eundem anno sequente seditionem in Iudaea composuisse refert [e]). Idem serius [f]): *Corbulo in Syriam abscessit morte Vmmidii legati vacuam, ac sibi permissam*, quod factum V. C. 813. Vera et omnia hujus praesidis nomina fuere: *C. Vmmidius Durmius Quadratus*, ut ex antiquo marmo-

a) Ann. VI. c. 27. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 13. c) l. c. d) Ann. XII. c. 45. e) l. c. c. 54. f) Ann. XIV. c. 26.

Digitized by Google

re praeclare eruit Norisius, cum in MSS. legeretur *Vinidius*, *Numidius* et aliter a).

§. XIII.

Sequuntur insignia tetradrachma Neronis, quae juvat adcuratius describere.

NEPΩN. - - ΣEB. *Caput Neronis laur.* ℞ AΓPIΠΠINHΣ. ΣEBAΣTHΣ. *Caput Agrippinae junioris, anni:* $\frac{\Gamma}{EP}$. AR. I. (Morelli impp. in Nerone tab. V. n. 6. Haym. th. Br. T. II. tab. 29.)

NEPΩN. KAICAP. CEBACTOC. *Caput laur.* ℞ *Aquila alis expansis fulmini insistit, in area palmae ramus, anni:* $\frac{E}{HP}$ (Noris ep. Syrom. p. 489.) $\frac{\varsigma}{HP}$ (Pellerin Mel. I. p. 178. Morelli l. c.) $\frac{Z}{\Theta P}$. (Mus. Caes.) ETOTΣ. AIP. Θ. (Mus. Caes.) ETOTΣ. AIP. I. (Cat. d'Ennery.) ETOTΣ. BIP. I. (Mus. Caes.) ETOTΣ. ΔIP. (Pellerin l. c.) ETOTΣ. EIP. ΓI. (Morelli l. c.) ETOTΣ. ⊏IP. (Pellerin l. c.) HIP. (Catal. d'Ennery.) sed pro quo verius legendum ΔIP. quoniam chronologiae repugnat.

Numi hi cum annis certis aerae Caesarianae conjungunt annos imperantis Neronis. Coepit hic regnare die XIII. Octobris V. C. 807, quo tempore inde ab initio Septembris currebat annus Antiochenus ΓP., qui adeo componitur cum anno Neronis A, et quod consequitur, annus Antiochenus EP. cum anno Neronis Γ, et sic deinceps. Annus Antiochenus HP. compositus cum binis annis E et ς, ut mox vidimus, legem nostram non turbat, sed stabilit. Nam inde ab ineunte Septembri V. C. 812. quo coepit Antiochiae annus HP., fuit Nero adhuc in anno V, seu E. usque ad diem XIII. sequentis Octobris, quo coepit ejus annus VE, seu ς. Igitur per illud intervallum cusus est numus HP. E et deinceps HP. ς. Idem sentiendum de anno AIP. composito cum annis Θ et I.

Ex his suapte fluit explicatio numi primi, qui Neronem filium cum matre Agrippina conjungit, nimirum littera Γ annum Neronis III. et litteris EP annum aerae Antiochenae CV indicantibus. Male ergo Haymius, dum ex conjunctis inique tribus his litteris syllabam ΓEP. conficit, iis indicari Aprippinam GERmanici filiam adserit. Minus ignoscimus Havercampo, qui, cum ex vulgatis a Morellio similibus Neronis numis verum eruere facile posset, ipse quoque, sed aliter peccavit. Placuit enim luculentum Γ in L mutare, et legere L. EP. *anno* 105 b), derivata nempe in monetarium negligentiae culpa, quae sua fuit.

§. XIV.

IMP. CAESAR. NERO. CLAV. *Caput laur.* ℞ EΠI. KEΣTIOT. ANTIOXEΩN. ET. ΔIP. *intra coronam.*

---

a) Ep. Syrom. diss. III. c. 4. b) ad Morellii impp. T. II. p. 76.

Digitized by Google

AE. II. (Morelli in fam. Cestia.) In alio: ΕΠΙ. ΓΑΙΟΥ. ΚΕCΤΙΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕ. ΕΤΟ. ΕΙΡ. *intra coronam.* AE. II. (Pembrock P. III. tab. 87.)

Annus ΔΙΡ. ducitur ab autumno V. C. 818. Refert Tacitus [a]), Neronem V. C. 816. ademptam Corbuloni Syriam alteri tradidisse, sed quem libri scripti varie enunciant, *Cinsio*, *Cicio*, etc. sed legendum *Cestio* docet non modo numus praesens, sed et Iosephus, qui circa idem tempus saepius *Cestium Gallum* Syriae legatum memorat. Vide de hoc plura apud Norisium [b]).

§. XV.

IMP. CAES. AVG. SER. GALBA. *Caput laur.* Ɪ ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. *intra coronam.* AE. II. (Morelli in fam. Licin.)

IMP. M. OTHO. CAE. AVG. *Caput Othonis.* Ɪ ΕΠΙ. ΜΟΥΚΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΖΙΡ. *intra coronam.* AE. I. (Theupoli T. II. p. 849.)

Annus ΖΙΡ. ducitur ab autumno V. C. 821., quo labente anno Antiocheno et Galba et Otho caesi. Iam Norisius collato numo praecedente Galbae, et altero Pomponii Flacci, quem §. IX. stitimus, praeclare evicit, aeram Caesarianam coepisse in Autumno V. C. 705. Quod praestitere numi duo, praestat solus numus Othonis. Nam cum Otho adiverit imperium XV. Ianuarii V. C. 822., caesusque sit post tres menses, necesse est, annum Antiochenum ΖΙΡ., qui est in numo Othonis, ducendum ab autumno praecedente V. C. 821., a quo si auferamus annos completos 116., erimus in autumno V. C. 705. P. Licinii Muciani, qui in Syriae regimine Cestio Gallo successit, et Vespasiano princeps auctor exstitit imperium Vitellio extorquendi, frequens mentio apud Tacitum, aliosque.

§. XVI.

- - - - IMP. PON. - - - *Caput Titi laureatum.* Ɪ ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΤ. ΕΚΡ. *intra coronam.* AE. (Spanheim T. II. p. 329. Pembrock Part. III. tab. 87.)

Perperam is, qui museum Pembrockianum edidit, caput anticae esse Domitiani sanxit, in quo errore serius fuit etiam Belleyus [c]). V. C. 829., quo anno hic numus cusus, Domitianus nondum imperatoris titulo insignis fuit, sed imperator jam fuit Titus inde ab anno V. C. 824. Trajanus hujus numi pater est ejus Trajani, qui subinde Augustus dictus est, quem propraetore rexisse Syriam, quod scriptoribus omnibus indictum, ex illustri hoc cimelio discimus. Sed de Trajano patre, quem mortuum Augusti filii pietas in superos retulit, et monetae honore adfecit, agam latius in numis Trajani Romanis.

§. XVII.

Autonomi reliqui aera Caesariana insignes.

Citatus mox Titi numus postremus est imperatorius epochae anno notatus. At deinceps adhuc copiosos habemus

a) Ann. XV. c. 25. b) Cenot. Pis. diss. II. c. 16. §. 13. c) Mem. B. L. Tom. XXX. p. 271.

Digitized by Google

autonomos aerae Caesarianae annis insignes, quos nunc ordine enumerabo, non magna chronologiae perturbatione, nam vetustissimi, quos dabimus, non multis ante Vespasianum annis signati sunt, quo imperante casus est, quem dixi, Titi numus.

Caput muliebre laureatum. ℞ ANTIOXEΩN. *Lauri ramus, annus* ΔP. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre laureatum. ℞ ANTIOXE. *Lyra,* ET. HP. AE. III. (Mus. Caes.)

ANTIOXEΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ *Ara luculenta,* ET. HP. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre laureatum. ℞ ANTIOXE. *Lyra.* ET. ΔIP. AE. III. (Mus. Caes.)

ANTIOXEΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ *Ara luculenta,* ET. ΔIP. AE. III. (Mus. Caes.)

Caput muliebre laureatum. ℞ ANTIOXE, *Lauri ramus:* ET. EIP. ET. ZIP. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. *Caput Iovis* ℞ *Mulier sedens d. calculum in adstitutum vas mittit,* ETO. EIP. HIP. AE. III. (Mus. Caes. Theupoli.)

ANTIOXEΩN. *Caput juvenile laur.* ℞ *Caduceus,* ETO. EIP, *in area* A. *vel* Γ. AE. III. (Pellerin.)

ANTIOXEΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ *Ara luculenta,* ET. EKP. ςKP. ZKP. AE. III. (Mus. Caes. Beger.)

ANTIOXEΩN. MHTPOΠ. *Caput juvenile laur.* ℞ *Lauri ramus,* ETOTC. ZOP. *in area* B *vel* Γ. AE. III. (Mus. Caes. Hunter.)

ANTIOXEΩN. MHTPO. *Caput muliebre* ℞ *Lyra,* ETO. ZOP. *superne* A. B. Γ. AE. III. (Mus. Caes. Hunter.)

ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛEΩΣ. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ *Aries saliens et astrum cum luna respiciens,* ET. ZOP. *per aream* A. B. Γ. AE. III. (ibid.)

ANTIOXEΩN. THC. MHTPOΠOΛEΩC. *Caput Iovis* ℞ *Mulier sedens d. calculum in adstitutum vas mittit,* ET. ZOP. *in area* B. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. THC. MHTPOΠOΛEΩC. *Caput muliebre velatum turritum* ℞ *Ara luculenta,* ET. ZOP, *in area* B. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. T. MH. *Caput juvenile laureatum* ℞ *Caduceus* ET. qP. *in arca* Θ. AE. III. (Mus. Caes.)

ANTIOXEΩN. - - - *Caput muliebre velat. turrit.* ℞ *Aries saliens et astrum lunamque respiciens,* ET. ΔqP. EqP. *in area* Γ. AE. III. (Pellerin Hunter.)

ANTIOXEΩN. THC. MHTPOΠOΛEΩC. *Caput muliebre velat. turritum* ℞ *Ara luculenta,* ETO. ΔqP. EqP. *in area* B. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. - - - *Caput juvenile laur.* ℞ *Lyra,* ETOTC. ΔqP. *superne* A. AE. IV. (Mus. Caes.)

ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛЄΩC. *Caput juvenile laur.* ℞ *Lauri ramus,* ETOTC. ΔqP. ЄqP. *arca* Θ. AE. III. (Hunter.)

ANTIOXEΩN. - - - *Cap. mul. velat. turr.* ℞ *Aries saliens et lunam astrumque respiciens,* ЄTOTC. ZC. *in area ramus lauri, vel* ET. ZC. *in area* A. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛ. *Caput juvenile laur.* ℞ *Lauri ramus,* ETOTC. BIC. *in arca* BA. AE. III. (Hunter.)

Digitized by Google

ANTIOXEΩN. *Caput Apollinis laur.* ℞ *Caduceus.* ЄTOTC. ϛKC. AE. III. (Sestini.)

Ex autonomis hic descriptis numus primus ΔP. cadit in annum V. C. 808. qui fuit secundus Neronis, postremus ϛKC. in annum V. C. 930., qui fuit decimus septimus M. Aurelii. Fuere, qui adpositas litteras solitarias A. B. Γ. Θ. alterius cujuspiam esse epochae annos putaverunt, sed fuisse vanam conjecturam, ipse hic catalogus luculente comprobat, in quo videmus, easdem litteras diversis annis adplicari. Similes etiam litteras habemus in numis Caesareae Germaniciae, Zeugmatis, Beroeae, Cyrrhi, Hieropolis, Chalcidis, Emisae, aliarumque ejus tractus urbium, item ab A usque ad Θ, rarius ultra, nondum explorato, quod hactenus norimus, earum sensu. In aliquibus tamen eas notare annos imperii, vidimus supra in numis Silani, et Neronis. Similes litteras seorsim positas habent etiam numi Antiochiae nostrae, quos capite II. et III. dabimus.

Ad typos quod attinet, ii, quos exhibent partes anticae, commemorari amplius non merentur. De aversis pauca.

Lyra, lauri ramus. Haec ex Apollinis penu cognita. De ejus dei apud Antiochiam cultu jam egi supra §. I. quo loco dixi, lucum juxta situm a Seleuco conditore dicatum Apollini et a lauro *Daphnen* appellatum. Nomen causam dedit Antiochenis, ut quae poetae de Daphne Ladonis Arcadiae fluvii filia in laurum mutata fabulati sunt, apud se accidisse putarent, ac propterea laurum arborem plurimum observarent, ut apud Philostratum testatur Apollonius [a]), ex Arriano Eustathius [b]), et Libanius [c]). Hinc etiam, observante jam Norisio, ab Ausonio dicitur *Phoebeae lauri domus Antiochia* [d]). Ob hanc causam lauri ramus in his numis frequens.

Ara luculenta. Est haec ara Iovis Bottiaei, quam ab Alexandro M. eo loco, quo postea condita Antiochia, statutam supra diximus §. I. Non absimilis formae aram dant numi Mopsi Ciliciae.

Mulier sedens in adstitutam urnam calculum mittit. Similem typum habemus in numis Anazarbi et Tarsi Ciliciae urbium, quem explicat addita horum nonnullis vox KOINOBOTAION, *commune consilium.*

Aries saliens et lunam astrumque respiciens. Hujus typi explicationem jam ex praecedentibus numis cogniti huc distuli. Esse astrologicum, colligimus ex Manilio, qui, quo loco tributas singulis zodiaci signis regiones enumerat, haec de ariete [e]):

Illum etiam venerata colit vicina Propontis,
Et SYRIAE gentes, et laxo Persis amictu.

Atque ne dubitari possit, Antiochenum hunc arietem esse ex zodiaco petitum, adhiberi possunt testes numi et gemmae, qui cum zodiacum expressum offerunt, plerumque arietem respicientem exhibent. At vero constat etiam, quam eximie a veteribus observatum fuerit

a) Vit. Apollon. L. I. c. 16. b) ad Dion. Per. v. 916. c) in Antiochico. d) Carm. 287. e) astron. L. IV. v. 747.

Digitized by Google

sidus et occulti miranda potentia fati, ut ait Iuvenalis [a]), et quanta illi vis inesse credita. Quare toties in numis effictus zodiacus, aut ejus singulae partes, ut capricornus in numis Augusti, scorpius in numis Commagenes, libra in numis Palmyrae et Pythodoridos Ponti reginae, capricornus iterum in numis Commagenes et Zeugmatis, aries in numis Cyrrhi, sagittarius in numis Rhesaenae et Singarorum, leo in numis Mileti, quibus adde copiosos Alexandrinos Aegypti imperante Antonino Pio signatos, quos eleganter explicat Barthelemyus, quem cumprimis consule [b]). At praecipue huc faciunt numi Mileti, in quibus excubans leo perinde ac aries in Antiochenis solem respicit, nimirum ut appareat, haec animalia esse coelestia, et a zodiaco ducta, quem sol et luna pervadunt. Eadem haec superstitio multo etiam serius Arabas occupavit, nam ut alibi ex Abulpharago notat Barthelemyus [c]), Gaiatheddinus Iconii Sultanus mortuus anno post Christum 1244. solem leoni imminentem in moneta exprimendum curavit, sole uxoris vicem propter pulchritudinem, leone suam Sultani obeunte, quod ejus leo horoscopus esset. Noti numi Indici aurei atque argentei dicti Gallis *roupies*, cusi a sultano Gehan-Ghir Indiae rege, quorum singuli aliquod zodiaci signum sistunt [d]).

Haec de typis, qui sunt in id genus numis autonomis, observanda visa, ad quos notandum adhuc, eos sic exstare in numis aliarum quoque urbium, ut haec concordia non casui, sed proposito videatur tribuenda, praecipue cum utrorumque etiam tempora, quibus signati sunt, congruant. En nonnulla exempla:

Typus mulieris sedentis et calculum in urnam mittentis exstat etiam in numo Anazarbi Ciliciae addito anno HM. qui ut in hujus urbis moneta docetur, cadit in annum V. C. 820. In Antiocheno ad similem typum additur annus EIP., qui est V. C. 819.

Typi lyrae et arae eadem omnino forma, qua in Antiochenis, sunt in numis Hieropolis Cyrrhesticae cum annis aerae Seleucidarum ZMT. ZNT. AOT. additis etiam litteris solitariis A. et Γ. Cadunt hi anni in annos V. C. 888. 898. 912., quo tempore similes typi apud Antiochenos valuere. Et ne quid in his ad perfectam concordiam desit, eadem utrobique sunt anticae capita, idem etiam numorum modulus, adeo ut hos Hieropolitanorum numos, nisi vetaret epigraphe ΙΕΡΟΠΟΛΙΤΩΝ, nullo erroris metu Antiochenos putares. Confer numos similes, qui sunt apud Pellerinium Recueil T. II. tab. LXXVIII.

Eodem modo Samosateni Commagenes caduceum, Beroeenses vicinae Cyrrhesticae lauri ramum insculpserunt numis Hadriani et Antonini aetate signatis, qui tamen in numis aliis proprios suos ac domesticos habuere typos et fabricam.

Cum ergo haec typorum et fabricae concordia invicte comprobet, utrosque numos uno eodemque tempore lucem vidisse, atque de hoc nobis per aeram Seleucidarum, quae Hieropolis numis

a) Sat. VII. v. 199. b) B. L. Tom. XLI. p. 501. c) B. L. T. XXVI. p. 568.
d) Barthelemy ibid. p. 574.

Digitized by Google

inscribitur, certo constet, evidens est etiam, annos qP. EqP. et similes, qui sunt in numis Antiochenis cum his typis, non posse duci ab aera Seleucidarum, quod aliqui opinati sunt, quia tum similium numorum aetas, quos typi et fabrica sociant, nimium divergeret. De eadem hac numorum concordia agitur etiam in moneta Hieropolis.

* * *

Caput muliebre. ☧ XAΛ. ETOTΣ. ΔIP. *Pharetra et arcus.* AE. III. (Pellerin Lettre II. tab. IV. n. 2.)

Caput laureatum, forte Neronis. ☧ XAΛKOTΣ. ΔIP. *Pharetra et arcus.* AE. III. (Hunter tab. 68.)

Caput muliebre. ☧ XAΛKOTΣ. *Pharetra et arcus.* AE. III. (Hunter l. c.)

ET. ⊏K. (26.) *Ancora.* ☧ XAΛKOTΣ. *scriptum in orbem nullo alio typo.* AE. III. (Hunter l. c.)

Numum ex citatis primum cum ederet Pellerinius, non irritus fuit augur, cum ex fabrica et epochae modo divinaret, esse eum operis Antiocheni, το XAΛ. vero non indicare urbem quampiam ab his litteris incipientem, sed esse litteras ἀρχαιισας vocis XAΛKOTΣ, qua indicatur modica moneta aenea, cujus valor apud auctores varius proditur. Pellerinii conjecturam praeclare confirmant sequentes Hunteriani, in quibus ea vox integre scripta comparet, neque etiam dubitem, numos tres priores in Antiochena moneta putandos. At non idem mihi judicium de quarto. Ancorae typus ab Antiochia alienis, et annus ⊏K. cum praecedente ΔIP. collatus nimium deficit. Forte verius hic numus pertinet ad Commagenos Antiochiae vicines, quibus familiaris ancora et forte annus ϛK. ducendus ab anno V. C. 824, a quo Samosateni ejusdem Commagenes annos suos duxere, quod circa id tempus Commagene pulsis regibus Romano imperio adjecta fuit.

Haec satis certa, et expedita sunt visa, cum serius viderem, iis adversari cl. Sestinium, existimantem, vocabulo XAΛKOTΣ indicari potius magistratum, non qualitatem monetae. Causa illi, cur hanc improbet, est, quia secus ea valoris vox scripta fuisset in recto, scilicet XAΛKON, non vero XAΛKOTΣ, nimirum ut in aliis numis legitur semper in recto ΔIXAΛKON, AΣΣAPION, AΣΣAPIA. Haec vir eruditus [a]). At vero hoc ille pacto cum disputat, factum, ut suae ipsus causae pessime provideret. Etenim si monetarius nolebat numo inscribere XAΛKON, istud fecit propterea, quia ex linguae Graecae praeceptis probe intellexit, χαλκον in recto vocabulum Graecum non esse, sed pro hoc in recto vel dici χαλκος, vel χαλκους. Vocabulum χαλκος notum est ex scriptoribus, minutae monetae aeneae genus. Vocabulum χαλκους stabilit Pausanias agens de Pharaeorum νομισματι ἐπιχωριῳ, *moneta domestica* [b]), καλειται δε, inquit, χαλκους το νομισμα, *nummus vero hic vocatur chalcus.* Videtur ergo Sestinius ex composito ΔIXAΛKON ducere velle primitivum XAΛKON, at tum etiam dicere oportebit δραχμον, non δραχμα, quia hujus compositum est διδραχμον. Neque vero etiam monetarius probe Graecus

a) Lettere T. I. p. 53. b) L. VII. c. 22.

Digitized by Google

scribendo XAΛKOTΣ casum intelligi obliquum voluit, sed omnino rectum; nam noverat, χαλκους esse contractum ex recto χαλκεος. Nisi ergo certius quid, solidiusque adferat vir eruditus, jure statuemus, verbo XAΛKOTΣ indicari numum, qui Graecis *Chalcus* dictus fuit.

CAPVT II.

De numis imperatoriis argenteis sine epocha.

Est haec numorum classis una ex nobilioribus, quas offert scientia numismatica, et digna sane urbe orientis principe. Nobilitatem faciunt non tantum metallum et volumen, sed etiam quod in tertium saeculum porrigitur, minus interrupta, quam plerumque hactenus creditum, quod hoc tentamine adcuratius, quam antehac factum, me comprobaturum spero. Quod ut facilius persuadeam, necesse est, numos complures jam supra causa epochae descriptos rursum, sed contractius describere. Sunt hi numi tetradrachma omnes, et argenti probissimi inde ab Augusto usque ad Severum, quo imperante meritum istud deficit admixta majore aeris parte, sic tamen, ut deinceps quoque reperias aliquos, qui prioribus argenti nitore non concedunt, quales sunt in museo Caesareo nonnulli Philipporum et Treboniani. Paucissimi sunt qui toti aerei videntur, et forte sunt.

Augustus.

1) ETOTΣ. ϛK. etc. NIKHΣ. TΠA. IB. etc. *Mulier turrita rupi insidens d. palmae ramum, infra fluvius emergens.* AR. I.

2) ANTIOXEΩN. MHTPOΠOΛE-ΩΣ. cum annis ϛΛ. ΔN. *Idem typus.* AR. I.

De his numis actum capite I. §. III. in aera Actiaca, quam inscriptam offerunt.

Tiberius, Caligula, Claudius.

Amplus his imperantibus hiatus, quem solicita antiquariorum contentio nondum explevit.

Nero.

Hoc imperante haec numorum classis majore cum copia et incrementis revivi-scit. Eorum modus est:

3) ETOTΣ. AIP. Θ. *vel* EIP. ΓI. *vel similiter. Aquila expansis alis fulmini insistens, in area palmae ramus.* AR. I.

Hos numos recitavimus capite I. §. XIII. inter eos, qui aeram Caesarianam exhibent, ex qua ducuntur numeri majores AIP. etc. at minores Θ, ΓI etc. sunt anni imperantis Neronis.

Deinceps anni epochae hanc classem destituunt retentis solis annis imperantium, qui per sequentes principes variis modis enunciantur, sed quos inde a Trajano mentio tribuniciae potestatis et consulatuum excipit.

Inde a Nerone aquila stans expansis alis addito palmae ramo hujus classis monetam occupat, quod utrumque deinceps, paucis demptis, ejus criterium constituit, ut dicetur.

Digitized by Google

Galba.

4) ΓΑΔΒΑΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣ-ΤΟΣ. *Caput laur., in area astrum.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. A. *in alio* B. *Aquila alis expansis fulmini insistit, juxta palmae ramus.* AR. I (Belley Mem. B. L. T. XIX. p. 470.)

Otho.

5) ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΘΩΝ. ΚΑΙ-CAP. CEBACTOC. *Caput laur.* ETOTC. A. *Aquila stans coronam rostro stringit, in area palmae ramus.* AR. I. (Seguin. Mus. Albani.)

Vitellius.

Ejus numi Antiocheni non exstant, cum Syria in his belli civilis turbidis Othoni adhaeserit.

Vespasianus.

6) ΑΤΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΤΕΣ-ΠΑΣΙΑΝΟΣ. *Caput laur.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. A. *Aquila expansis alis clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley l. c.)

7) ΑΤΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΤΕΣ-ΠΑΣΙΑΝΟΤ. vel: ΟΤΕCΠΑCΙΑ-ΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. CEBACTOC. *Caput laur.* ETOTΣ. IEPOT. B. vel: ETOTΣ. NEOT. IEPOT. B. *Typus similis.* AR. I. (Belley l. c.)

8) ΑΤΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΤΕΣ-ΠΑΣΙΑΝΟΤ. *Caput laureatum, infra aquila expansis alis.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. B. — Τ. ΦΛΑΤΙ. ΟΤΕΣΠ. ΚΑΙΣ. *Caput Titi laureatum.* AR. I. (Belley l. c. Pellerin Mel. 1. tab. 7. n. 7.)

9) ΑΤΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΤΕΣ-ΠΑΣΙΑΝΟΤ. *Caput laur.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. Γ. *Aquila expansis alis clavae insistens, juxta palmae ramus.* (Belley l. c.)

10) ΑΤΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΤΕΣ-ΠΑΣΙΑΝ. *Caput laur.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. Δ. — ΦΛΑΤΙ. ΟΤΕΣΠ. ΚΑΙΣ. *Caput Titi laur.* AR. I. (Pellerin Mel. I. tab. 7. n. 8.)

11) ΑΤΤΟΚΡΑΤ. ΚΑΙΣΑ. ΟΤΕΣ-ΠΑΣΙΑΝΟΣ. *Caput laur.* ETOTC. Δ. IEPOT. *Aquila expansis alis clavae insistit, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley. l. c.)

12) ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΟΤΕCΠΑ-CIANOC. ΚΑΙCΑ. CEBA. *Caput laur.* ETOTC. NEOT. IEPOT. Δ. *in alio:* E. *Aquila alis expansis rostro caduceum gerit, et insistit basi, ex qua una vel duae spicae adsurgunt.* AR. I. (Belley, Pellerin ll. cc.)

Videtur uterque auctor pro spicis habuisse, quae verius sunt palmae rami. Sane adcuratus Morellius in simili suo promicantem palmae ramum vidit [a]), et palmae rami sunt etiam in sequentibus similibus et integerrimis.

13) IMP. CAESAR. AVG. VESPA-SIANVS. *Caput laur.* COV. NEPOVΔ. *Aquila expansis alis basi insistens rostro caduceum stringit, pro pedibus hinc et inde palmae ramus promicans.* AR. incertae formae (Sylloge nu-

a) In num. Vespas. tab. VII. n. 6.

Digitized by Google

mism. ant. Londini 1708. pag. 37.) AE. III. (Mus. Caes. editus in mea Sylloge I. num. vet. pag. 78.)

Titus.

14) TITOC. OΤΕCΠΑCIANOC. KAICAP. CEBACTOC. *Caput laur.* ETOTC. NEOT. IEPOT. B. *Aquila stans expansis alis, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley l. c.) In alio praeterea: *Aquila insistit coxae bovis.* (Sestini.)

Domitianus.

15) ATT. KAICAP. ΔOMITIANOC. CEB. *addito serius* ΓEPM. *Caput laur.* ETOTC. NEOT. IEPOT. B. H. Θ. ENATOT. ENΔEKATOT. *Aquila expansis alis fulmini insistit, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley l. c.)

Nerva.

16) ATT. NEPOTAΣ. KAIΣ. ΣEB. *Caput laur.* ETOTΣ. NEOT. IEPOT. A. *vel* B. *Aquila fulmini insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Belley l. c.)

Trajanus.

17) ATTOKP. KAIC. NEP. TPAIANOC. CEB. ΓEPM. *Caput laur.* ΔHMAPX. EΞ. TΠAT. B. *vel* Γ. *Caput Herculis laureatum.* AR. I. (Vaill. (Mus. Caes.)

18) ATTOKP. KAIC. NEP. TPAIANOC. CEB. ΓEPM. *Caput laur.* ΔHMAPX. EΞ. TΠAT. E. *Aquila clavae insistens, juxta lauri ramus.* AR. I. (Mus. Caes.)

19) *Eadem epigraphe. Caput laur., infra aquila et clava.* ΔHMAPX. EΞ. IΔ. TΠAT. — in alio: ΔHMAPX. EΞ. IE. TΠAT. E. *Mulier velata et turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens.* AR. I. (Mus. Caes. Rhell Supplem.)

20) *Eadem epigraphe. Caput laur., infra aquila et clava.* ΔHMAPX. EΞ. IE. TΠAT. E. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Mus. Caes.)

21) *Eadem epigraphe. Caput laur.* ΔHMAPX. EΞ. IE. TΠAT. E. *Aquila clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Mus. Caes.)

22) *Eadem epigraphe. Caput laur., infra aquila et clava.* ΔHMAPX. EΞ. I☐. TΠAT. ☐. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Mus. Caes.)

23) *Eadem epigraphe. Caput laur., infra aquila et clava.* ΔHMAPX. EΞ. IZ. TΠAT. ☐. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Mus. Caes.)

24) *Eadem epigraphe. Caput laur.* ΔHMAPX. EΞ. IZ. TΠAT. ☐. *Aquila clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Mus. Caes.)

25) ATTOKP. KAIC. NEP. TPAIANOC. APICT. CEB. ΓEPM. ΔAK. *Caput laur., infra aquila et clava.* ΔHMAPX. EΞ. IH. TΠAT. ☐. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Noris ep. Syrom. p. 246.)

26) ATT. KAIC. NEP. TPAIANOC. API. CEB. ΓEPM. ΔAK. ΠAPΘ. *Caput laur., infra aquila et clava.* ΔHMAPX. EΞ. KA. TΠAT. ☐. *Caput Herculis laur.* AR. I. (Mus. Caes.)

Digitized by Google

27) *Eadem epigraphe. Caput laur.* ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΚΑ. ΤΠΑΤ. Β. *Aquila clavae insistens, juxta palmae ramus.* AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 184.)

De memorata in his numis trib. potestate XXI., quam Trajanus nunquam inivit, agemus in numis hujus Augusti.

Hadrianus.

28) ΑΤΤ. ΚΑΙ. ΘΕου. ΤΡΑιανῦ. ΠΑΡΘικῦ. ΤΙΟC. ΝΕΡουα. ΤΙωνος. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟC. CΕΒ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤ. Β. *Aquila coxae ignoti animalis insistens.* AR. I. (Pembrock Part. III. tab. 41.)

Antoninus Pius, M. Aurelius, L. Verus.

Horum numi, qui ad hanc classem pertinerent, mihi hactenus comperti non sunt.

Commodus.

29) ΑΤΤ. ΚΑΙC. ΚΟΜΜΟΔΟC. CΕΒ. *Caput imberbe laur.*
ΓΕΡ. CΑΡ. ΔΗΜ. ΕΞ. ΤΠΑΤ. Β. *Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens.* (Mus. Albani.)

Pescennius.

30) ΑΤΤΟΚ. ΚΑΙCΑΡ. Γ. ΠΕCΚΕ. ΝΙΓΡΩ. Δ. *Caput laur.*
ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. *Aquila expansis alis clavae insistens.* AR. I. (Vaillant.)

Severus.

31) ΑΤΤ. ΚΑΙ. CΕΤΗΡΟC. CΕ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟ. Γ. *Aquila rostro coronam stringens insistit coxae animalis.* AR. I. (Pellerin l. c. Mus. Albani.)

32) *Eadem adversa.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟC. ΤΟ. Ε. *Aquila rostro coronam stringens, intra crura astrum.* AR. I. (Mus. Caes.)

Caracalla.

33) ΑΤΤ. Κ. Μ. Α. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CΕΒ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟ. *vel* ΤΠΑΤΟC. ΤΟ. *nullo addito numero, vel:* ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟC. ΤΟ. Β. *vel:* ΤΠΑΤΟ. Δ. *vel:* ΤΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ. *Aquila rostro coronam stringens, et vel simpliciter stans, vel fulmini, clavae, spicae insistens, intra crura vel est caput solis, vel lunula, in area nonnunquam littera* A *vel* Δ. (Mus. Caes. Albani.)

Geta.

34) ΚΑΙCΑΡ. ΓΕΤΑC. *Caput nudum.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟC. Γ. *Aquila rostro coronam stringens, inter crura astrum.* AR. I. (Pembrock P. III. tab. 41.)
Aversa ad patrem Severum pertinet.

Macrinus.

35) ΑΤΤ. Κ. Μ. ΟΠ. CΕ. ΜΑΚΡΕΙΝΟC. CΕΒ. *Caput laur.*
ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟC. *addito in*

Digitized by Google

aliis Π. Π. *Aquila rostro coronam stringens, inter cujus crura astrum, vel caput bovis, vel aliud, in nonnullorum area* Δ. E. AR. I. (Mus. Caes.)

36) In aliis:
ΔHMAPX. EΞ. TΠATO. Γ. (Mus. Caes. Vaill.)

In his numis consulatus III. fallit, ut dicetur in numis Latinis Macrini. Vide et sequentem Diadumeniani.

Diadumenianus.

37) M. OΠ. ANTΩNINOC. KA---
Caput nudum.
ΔHMAPX. EΞ. TΠATOC. TO. Δ. *Aquila rostro coronam stringens.* AR. I. (Mus. Caes.)

De subreptitio hoc Diadumeniani consulatu IV. agam in numis Latinis hujus Caesaris. Istud certum, totam hujus aversam ad Caracallam pertinere.

Elagabalus.

Hujus numi singulare nihil offerunt, nisi quod plerumque in area legitur Δ. E. (Mus. Caes.)

Alexander, Maximinus.

Horum numi hujus argumenti nondum se mihi obtulere.

Gordianus III.

38) ATTOK. K. M. ANT. ΓOPΔIANOC. CEB. *Caput laur.*
ΔHMAPX. EΞ. TΠATOC. *vel* ΔHMAPX. EΞ. TΠATO. B. *Aquila rostro coronam stringens, intra crura aries saliens et respiciens lunulam, vel caput solis radiatum.* AR. I. (Panel de num. Trebon. Mus. Caes.)

39) In alio:
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. S. C. *Idem typus.* AR. I. (Mus. Caes.)

Philippus senior.

40) ATTOK. K. M. IOTΛ. ΦIΛIΠΠOT. CEB. *Caput laur.*
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. *Aquila rostro coronam stringens, infra* MON. VRB. *in area* S. C. *et litterae solitariae* Γ. Δ. E. AR. I. (Mus. Caes.)

41) ATTOK. K. M. IOTΛI. ΦIΛIΠΠOC. CEB. *Caput laur.*
ΔHMAPX. EΞ. TΠATO. B. *vel* Γ. *vel* Δ. *Aquila rostro coronam stringens, infra* ANTIOXIA. S. C. AR. I. (Mus. Caes. Panel de numo Trebon.)

Otacilia.

42) MAP. OTAKIΛ. CEOΥHPAN. CEB. *Caput super luna.*
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. *Aquila rostro coronam stringens insistit palmae, in imo* S. C. AR. I. (Mus. Caes.)

43) *Eadem adversa.*
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. TΠATO. Γ. *vel* Δ. *Aquila rostro coronam stringens, infra* ANTIOXIA. S. C. AR. I. (Mus. Caes. Pellerin l. c. Panel de num. Trebon.)

De adserto perperam consulatu IV. Philippi vide, quae olim monebimus in numis Philippi Aug.

Digitized by Google

Philippus junior.

44) M. IOTAI. ΦΙΛΙΠΠΟC. KE-CAP. *Caput nudum.*
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. TΠATOC. *Aquila rostro coronam stringens.* AR. I. (Panel l. c.)

45) MAP. IOTAI. ΦΙΛΙΠΠΟC. KECAP. *(sic) Caput radiatum.*
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. TΠATO. Γ. *Aquila rostro coronam stringens, infra* ANTIOXIA. S. C. AR. I. (Mus. Caes.)

46) ATTOK. K. M. IOTAI. ΦΙ-ΛΙΠΠΟC. CEB. *Caput laur.*
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. TΠATO. Δ. *Typus idem.* AR. I. (Mus. Caes.)

Consulatus III. in his numis memoratus ad patrem Philippum pertinet, et IV. ne ad patrem quidem, ut diximus.

Decius.

Nihil in hujus numis peculiare.

Etruscilla.

47) EPENNIA. ETPOTCKIΛΛA. *(in aliis perverse:* TPOTCKIΛ-ΛA. CEB.) *Caput super luna.*
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. *Aquila rostro coronam stringens palmae ramo insistit, in imo* S. C. AR. I. (Mus. Caes. Pellerin l. c.)

Iam supra vidimus, Otaciliae quoque tribuniciam potestatem et consulatus adfingi, qua in re Antiochenos hac aetate parum fuisse religiosos, ab ipsis factis intelligimus. Monetariorum lapsum in his nemo suspicetur, ut suspicatus est Vaillantius [a]), nam similium numorum plura exstant exemplaria, et satis apparet, hoc aevo aversam, quae fuit Augusti, et patris, perinde fuisse applicatam uxoribus et filiis Caesaribus, de quo agam latius in numis Latinis Philipporum.

Herennius et Hostilianus Caes.

Aversae, ut in numo Etruscillae. (Mus. Caes.)

Trebonianus.

48) ATTOK. K. Γ. OTIB. TPEB. ΓAΛΛOC. CEB. *Caput laur.*
ΔHMAPX. EΞOTCIAC. *addito in nonnullis:* TΠATO. B. *Aquila rostro coronam stringens clavae insistit, inter ejus crura* A. B. Δ. E. ς. Z. Θ. *in imo* S. C. AR. I. (Mus. Caes. Panel de num. Trebon.)

Sitne omnis fides habenda numo ejusdem Galli, quem Panelius in eadem dissertatione pag. 85. citat cum epigraphe: ΔHMAPX. EΞOTC. TO. ς., dubito.

Volusianus.

49) ATTOK. K. Γ. AΦIN. ΓAΛ. OTЄNΔ. OTOΛOTCCIANOC. CЄB. *Caput radiatum.*
ΔHMAPX. ЄΞOTCIAC. TΠATO. B. *Aquila rostro coronam stringens clavae*

a) In colon.

Digitized by Google

insistit, inter ejus crura Γ *vel* Δ *vel Z, in imo* S. C. AR. I. (Mus. Caes. Panel l. c.)

* * *

Antequam commentarios ordior, probandum cumprimis, eos omnes, quos coram proposui, in Antiochena moneta putandos. Nam illos, qui in aversa habent aut caput Herculis laureatum, aut aquilam clavae insistentem, nequaquam Antiochiae, sed Tyri signatos confidenter statuunt Vaillantius, Norisius [a]) Belleyus [b]) Pellerinius [c]) Khellius [d]) illustria, ut vides, nomina, et cum his alii vulgo. At hos quoque esse Antiochenos, non uno argumento evinco.

I. Ajunt, caput Herculis laureatum, tum aquilam cum clava esse obvios typos in moneta Tyri. Agamus primum de aquila et clava. Novi, utramque in Tyriis numis obviam, etsi diverso modo; nam in numis praesentibus aquila insistit clavae, in Tyriis aut solo simpliciter insistit, aut remo, adstituta juxta clava; in Antiochenis aquila inde a Nerone usque in Volusiani tempora alas semper explicat, in Tyriis stat immota. Haec levia, non tamen aspernanda. At vero numos Trajani, quos sede 19. recitavi, nemo negabit esse Antiochenos. Exhibent hi mulierem turritam rupi insidentem fluvio infra emergente. Hoc typo notata jam vidimus tetradrachma certa Antiochena, qualia sunt descripta numero 1, tum aeneos Vari et Saturnini, quos dedimus Cap. I. §. V. VI.; in numis coloniae Antiochiae is typus perpetuus. Etiam in numis Antonini Pii, inscriptis SYRIA, stat mulier turrita emergente pro pedibus fluvio. Et tamen in horum, quos dixi, Trajani numorum parte antica infra hujus caput constanter videas aquilam cum clava. Ergo Tyrius hic typus ab Antiochiae moneta alienus non est. Cumque eadem aquila et clava subjiciantur etiam capiti Trajani in numis 20. 22. 23. 25. 26., inquorum aversa est caput Herculis, ex analogiae praecepto hos etiam numos Antiochiae tuto tribuemus. Quod si cui aquila cum clava tam certum videtur monetae Tyriae criterium, ut nullo pacto velit numos his insignes a Tyro avelli, is ergo etiam numos Treboniani et Volusiani iisdem typis praeditos Tyrum releget, at tum comprobet etiam, Tyriorum quoque monetae litteras S. C. inscribi solitas, quas hactenus Antiochiae monetae, raro aliarum urbium, insidere comperimus. Et vero jam inde a Nerone videmus Antiochiae tetradrachma in parte aversa aquilae typo signari, atque etiam fere constante lege, quando aversam alius obtinet typus, velut in numis obviis Trajani, et, quem loco VIII. descripsi, Vespasiani, eam continuo aquilam in partem anticam trajici, et imperatoris capiti adstitui. Quod vero in his numis aquilae status variat, cum jam solo insistat, jam palmae ramo, jam fulmini, jam spicae, jam coxae animalis, jam etiam clavae, istud in *διαφορεις* putandum, atque

a) Ep. Syrom. p. 246. b) B. L. Tom. XXI. Mem. p. 458. c) Mel. I. p. 184. d) Supplem. ad Vaill.

Digitized by Google

eandem varietatem habes etiam in moneta Tyria.

Ceterum in Antiochiae numis aquila Iovis cultum haud dubie respicit ob causas, quas capite I. §. 1. exposui. Singulare est, et necdum credo idonee explicatum, idem ales quadrupedis coxae insistens, ut videre est in numis 14, 28, 31. Eam esse tauri portionem auguror, et adludere ad fabulam, quam refert Libanius [a]). Nimirum cum Seleucus taurum mactaret, ejusque partes arae imponeret, adlapsa Iovis jussu aquila correptam tauri coxam ad aram Iovis Bottiaei detulit, quo prodigio admonitus Seleucus eo deinde loco Antiochiam condidit. Ex simili causa est in numis Nicomediae aquila cum serpente, et in numis Alexandriae Troadis aquila tauri caput unguibus gestans. Clavam ad Herculem referendam non negabo, sed neque dubitari potest, stabilitum Herculis cultum Antiochiae, quam Macedones exstruxere, apud quos praecipuus Herculis cultus, ut patet ex iis, quae ad regum Macedoniae numos disseruimus. Herculis effigiem jam in primorum Syriae regum numis habemus. At quod propius huc pertinet, refert Malala [b]), locum, qui Daphne serius dicebatur, dictum olim Heraclidem, quod ibi cupressos plantaverat Hercules mysta palaestrae primus magister, eique de se nomen dedit. Etiam Eustathius narrat, Daphnen, quae est propter Antiochiam, olim dictam Heracleam [c]), quibus consona refert Libanius, sed qui non Herculem, sed Heraclidas Peloponneso pulsos Heracleae auctores facit [d]). Ergo aquila et clava idem in his numis significant, quod in nonnullis Alexandri M. tetradrachmis, in quorum illae aversis exhibentur, nempe honores Iovis et Herculis, quorum icones in aliis Alexandri M. tetradrachmis obviae sunt.

At, inquiunt, caput Herculis imberbe et sic laureatum passim videas in numis Tyri, quem adeo dubium non est, esse Herculem Tyrium. Esto. At cur Antiocheni Herculem suum non etiam eo cultu proponerent, quo erat Tyrius usque adeo in eo tractu celebratus? Et quid vetat, Antiochenos ipsum etiam Herculis Tyrii cultum recepisse, eumque in numis proposuisse? An non idem fecere Romani signanda in numis suis Iunone Sispita Lanuvii dea, Feronia Sabinorum, Iove Axure, ipso adeo Hercule, qualis Gadibus colebatur? aut ut Graecis exemplis utar, quis ignorat, in Pergamenorum et Sardianorum numos advocatam Venerem Paphiam remotissimae Cypri, aut Mytilenaeorum Dianam Pergaeam, aut in plurimarum urbium numos Dianam Ephesiam, et Iovem Ammonem, ut omittam innumera alia exempla? Quid quod simillimum Herculis Tyrii caput fingitur etiam in moneta Sardium tanto intervallo distantium [e])? Et Antiochenos quidem Herculem Tyrium ad se evocasse tanto magis verisimile, quod Antiochia imperante Trajano urbium Phoenices adhuc metropolis fuit.

II. Nullus exstat Tyri numus impera-

a) In Antiochico Tom. II. p. 348. b) Chronogr. L. VIII. p. m. 86. c) ad Dion. Per. v. 916. d) in Antiochico T. II. p. 342. e) Haym. Thes. Br. T. II. tab. 28. num. 8. 9.

Digitized by Google

torius cum expresso urbis nomine, etsi plurimi cogniti sint autonomi imperatorum aetate in hac Phoenices urbe signati, ut adeo verisimile videatur, morem dedicandae imperatoribus monetae apud Tyrum non obtinuisse, antequam colonia deduceretur. Mirum istud videatur in urbe praepotente, verum idem exemplum offerunt Athenae.

III. Adversatur etiam Tyro citatus Pescennii numus, quem in hac urbe cusum adfirmare non dubitavit Cl. de Boze eruditus hujus cimelii interpres [a]). Enim vero non satis commode huic numo cum Tyriorum ingenio convenit, quos alieno semper a Pescennio animo fuisse tum patuit, cum vixdum intellecta ejus ad Cyzicum clade sublatis illius honoribus Severo prospere adclamavere, gravissime propterea a Pescennio immissis Mauris multati [b]). Nequaquam repugnat inscriptum huic numo ΠΡΟΝΟΙΑ. ΘΕΩΝ. *Providentia deorum* pro solito Antiocheno ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ., nam et Pescennius ipse in omnibus numis jussu suo signatis trib. potestatis mentione constanter abstinuit, neque ei hactenus a senatu in Severi verba per vim adacto decerni pro vetere more potuit. At nota Antiochiae in Pescennium studia, quae urbi miserae caro subinde stetere, ut dicetur infra. Quae alia ad praestantissimum hunc numum advertenda sunt, notabuntur in numis Pescennii Latinis.

IV. Vidimus supra numos Caracallae notatos ejus IV. consulatu, ΤΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ. At constat, Tyrum jam multo ante deductam coloniam, at tum numos omnes inscriptione Latina et coloniae nomine cusos. Si ergo hic numus cum typo Tyrio signari alibi potuit, quam Tyri, cur non et alios similes extra Tyrum signatos fuisse credibile videri possit, nisi quis probare intenderet, fuisse apud Tyrios duplex rei monetariae forum, ut Antiochiae. Sed istud Syriae urbi monumenta vetera invicte adstruunt, non item Tyro.

V. Denique si numi essent Tyrii, miram videatur, in aliquorum aream non sese insinuasse v. g. monogramma Tyri, vel litteram quampiam Phoeniciam, quae passim in Tyri numis reperias. Contra multa in his videas prorsus Antiochena, ut: Δ. E. vel S. C. vel arietem salientem, vel caput solis, ipsum adeo in nonnullis urbis nomen perspicue scriptum ANTIOXIA, atque ut quis pertinacior obgerat, similes quidem numos esse tribuendos Antiochiae, non vero alios, in quibus est caput Herculis, vel aquila clavae insistens, et in quibus similes notae saepe absunt, is quaeso perpendat, omnes hos numos quomodocunque typis varios adeo sibi esse similes tam modo inscriptionis et litterarum forma, quam fabrica, metallo, ac pondere, ut qui eos in locupletioribus museis contendendi habet copiam, confiteatur necesse sit, unius omnes urbis esse monetam.

At video, multo liberaliorem Pellerinium id genus numos non modo Antiochiae et Tyri, sed et in aliis ejus tractus urbibus signatos agnoscere [c]),

a) Mem. B. L. T. XXIV. p. 115. b) Herodian. in Severo. c) Mel. I. p. 189.

Digitized by Google

et quidem inde a Caracalla per aetatem ejus successorum. Argumentum capit a minutis sigillis, quae inter aquilae crura sunt conspicua. Sic eo arbitro clava vel concha indicat Tyrum, cista mystica Sidonem, pilei Dioscurorum Tripolim vel Berytum, leo gradiens Berytum, astrum vel acrostolium Aradum, fulmen Seleuciam, cornucopiae vel noctua Laodiceam ad mare, flos loto similis Samosata. Idem ergo illi de his numis judicium, quod de numis Alexandri M., qui per similia sigilla patriam produnt. Sed enim magnum inter hos et Alexandri numos discrimen. In his enim non sola sigilla criterium praestant, sed etiam additae non raro litterae urbis ἀρχαιοσαι litem decidunt. Sic lyrae Colophonis succurrit additum ΚΟΛΟ. Nulla in praesentibus alterius urbis epigraphe. Ad haec major sigillorum pars, quae enumerat Pellerinius, pilei Dioscurorum, astrum, acrostolium, fulmen, cornucopiae, occurrunt per aream autonomorum Antiochiae, ergo etiam in hanc numorum classem jure admissa. Denique quod praecipuum est, quo tempore Pellerinius numos hos variis in urbibus cusos adserit, nempe inde a Caracalla, Tyrus, Berytus, Laodicea, ac paullo post Sidon jam fuere coloniae, quas deinceps alios, nisi coloniae nomine numos, eosque omnes aeneos, feriisse non constat. Admodum etiam verisimile, Antiochiae cusum fuisse insigne tetradrachmum, quod vulgavit Pellerinius [a]):

ΑΤΤ. Κ. Μ. Α. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CEB. *Caput Caracallae laur.*

ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΤΠΑΤΟC. ΤΟ. Δ. *Sacellum, intra quod signum militare, numine hinc et inde adsidente, quorum uni adstat leo, alteri taurus, infra aquila expansis alis.* AR. I.

Aversae numina esse propria et domestica Hieropolis, quae fuit Cyrrheticae, et Antiochiae vicina, et typum ipsum Hieropolitanum, certum est ex numo insigni aeneo, qui est in praeclaro museo Neumanni nostri, et de quo egimus in ejus urbis moneta. At cum aliorsum de numo quopiam argenteo Hieropolitano non constet, et utriusque faciei epigraphe plane conspiret cum ea, quae est in certis ejusdem argumenti Antiochenis cum capite Caracallae, et quod caput est, stet infra aquila alis expansis, perpetuum in his numis Antiochiae symbolum, non vereor, hunc quoque numum esse in hac urbe signatum adserere. Ergo quemadmodum Antiocheni, quando in numis Trajani alios typos proposuere, quam solitum aquilae stantis, tamen in altera numorum parte constituerunt aquilam, ut esse monetam Antiochenam intelligeretur, sic in praesente ex eadem causa ad typum Hieropolitanum adstituerunt aquilam. Accedit, fuisse tempus, quo Antiochenis et Hieropolitis communes fuere typi, ut diximus cap. I. §. 17.

Adserta hujus monetae patria, quae praeterea alia docet, exequamur. Diximus coepisse sub Augusto, at deinceps copiosius signatos sub Nerone. Galba,

a) Mel. I. p. 189.

Digitized by Google

Vespasiano, Tito, Domitiano, Nerva imperantibus valuit Antiochiae et in vicinia epigraphe ETOTΣ. NEOT. IEPOT., de cujus natura agetur a nobis alibi. Sub Trajano cusi, ut vidimus, frequentes, sed ab hoc usque ad Pescennium magnus hiatus, aut summa eorum raritas. Ejus, ut videtur, causa fuit Hadrianus, qui teste Spartiano [a]) *Antiochenses ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur.* Quod Spartianus scribit ab Hadriano intentum, istud effectum refert Suidas, eum ait [b]), Tyrum ab Hadriano dictam metropolim. Aut ergo certa tum iis adempta privilegia, aut saltem accisa, aut Antiocheni infenso fuere in Hadrianum animo. Malam deinde gratiam a M. Aurelio inivere, quando se Avidio Cassio, qui imperium in Syria arripuerat, conjunxerunt, etsi indulgentior imperator ornamenta, quae urbi abstulerat, restituit [c]). Vnicus hactenus cum Commodi capite compertus. Severo et Pescennio pro orbis imperio dimicantibus Pescennii partes amplexi sunt Antiocheni, atque istud tanto cupidius, quod apud se purpuram sumpsit, et urbis suae delectabatur spectaculis et voluptatibus. Hac ergo fiducia veterem monetae modum respexere, cujus exemplum habemus in rarissimo tetradrachmo cum capite Nigri. At Severus victor Antiochiae in aemulum studiis offensus omnibus eam privilegiis et metropoleos jure privavit, atque ut gravius adfligeret, vicinae Laodiceae, cum qua vetus illi propter aemulationem simultas, subjecit [d]). Tamen urbi vetera jura sunt restituta deprecante Caracalla adhuc puero [e]). Primus, quem habemus, Severi numus ejus consulatum III. notat, quem is revera in Syria inivit V. C. 955. Deducta subinde a Caracalla colonia, ut dicetur, quo caeso, et Macrino ad imperium evecto, *statim apud Antiochiam moneta Antonini Diadumeni nomine percussa est, Macrini usque ad jussum senatus dilata est*, ut ait Lampridius [f]). Illud *statim* Lampridii praeclare confirmat numus Diadumeniani supra descriptus, nam satis patet, monetarios per festinationem cum ejus capite junxisse aversam, quae fuit Caracallae. At cur, quod ait Lampridius, deproperata Diadumeniani filii moneta, Macrini patris usque ad jussum senatus dilata? Dignum sane examen, cui critica immoretur, si oratio esset auctoris magis ad faciendam fidem idonei. Cur nullus id genus numus exstet cum capite Alexandri Severi et Maximini, saltem quod mihi constet, ignoro. Haec ex his numis ad historiam imperatorum, jam reliqua peragamus.

ΔHMAPX. EΞ. TΠATOΣ. etc. perpetua inde a Trajano horum numorum epigraphe, dempto numo Pescennii ex causa, quam diximus. Ejus sensus: *tribunica potestate, consul etc.* Titulus hic captus ex numis Romanis, et recte procedit usque ad exitum Caracallae.

---

a) In Hadriano. b) in Παυλος. c) Capitolin. in Aurelio, Vulcat. in Avidio. d) Herodian. et Suidas in Severo. e) Spartian in Carac. f) in Diadum.

Digitized by Google

Deinceps in moneta Antiochena mira perturbatio, seu per evidentia monetariorum peccata, seu per abusum ejus tituli, ut ad numos ipsos inde a Macrino advertimus. At quis deinde sensus litterarum Δ. E., quae non modo in numis aeneis nota S. C. insignibus, et deinde in numis Antiochiae coloniae, de quibus agetur capite III. et IV., inde a Caracalla fere sunt perpetuae, sed etiam exstant in nonnullis praesentis classis, ut in numis Macrini et Elagabali? Eas Tristanus legit Δημαρχικης Εξουσιας, *tribuniciae potestatis*, et titulum hunc ad imperatorem refert [a]). Vir eruditus numos hujus classis aut non vidit, aut ad eos animum non advertit, in quibus litterae Δ. E. notantur, etiam cum in iis scriptum jam legitur ΔHMAPXIKHC. EΞOTCIAC. Quorsum ergo otiosa haec tautologia? Eandem lectionem sequitur etiam Bimardus, ac praeterea ejus causam adfert, Caracallam jure trib. potestatis Antiochiae restituisse privilegia a Severo adempta [b]). At enim praeterquam quod Bimardo responderi idem potest, quod Tristano, privilegia urbi restituerat idem, qui ademerat, Severus, deinde eaedem litterae Δ. E. leguntur etiam in numis Laodiceae coloniae, quin tamen constet, imperatorem quemdam jure hujus potestatis ei privilegia aut tribuisse, aut restituisse. Vaillantius eas legendas quidem docet Δημαρχικης Εξουσιας, sed sic, ut ea verba non ad imperatorem, sed ad populum Rom. referat, nempe, quemadmodum facultas cudendae monetae Antiochenis a senatu collata indicatur litteris S. C., sic collatam a populo indicari litteris Δ. E. id est: *populi auctoritati*, vel *jussu*. Istud cum probabile visum sit viro eximio, causam etiam nobis indicet, I. cur hae litterae in nulla monetae Antiochenae classe legantur ante Caracallam? an tum primum accessit populi auctoritas? II. An probaverit, ex quo imperatores in trib. potestatem involavere, quam Tacitus *summi fastigii vocabulum* appellavit [c]), populum aliquid nomine trib. potestatis scivisse? An vero etiam stante rep. populus aliquid hac formula scivit? Legimus in numis, Octaviano Caesari statuam dicatam POPVLI. IVSSV., at non trib. potestate. III. Si eae litterae indicant auctoritatem populi Romani, cur ea exprimitur oratione Graeca, quando auctoritas senatus exprimitur verbis Latinis S. C.? Abstineo pluribus. Harduinus legit: Δημω Ευχῃ, *populi rogatu* [d]), sed taedet similia refutare. Verum ut facile est haec impugnare, sic sufficere aliquid idoneum non esse mearum virium, candide profiteor.

S. C. in praesente numorum classe scribitur inde a Gordiano III., at in classe sequente aenorum jam inde ab Augusto, ac perpetuo in numis Antiochiae coloniae. Hae notae passim ad collatam *Senatus Consulto* feriundae monetae potestatem referuntur. Istud si verum, quod nequaquam impugno, mirum profecto, solis Antiochenis ad feriundam monetam senatus consulto opus fuisse. Aliae urbes ejus sibi fa-

a) Comment. T. II. p. 225. b) ad Iob. T. II. p. 222. c) Ann. III. 56. d) Opp. sell. p. 19. p. 222.

Digitized by Google

ctam copiam PERMISSV AVG*usti* jactabant, ut multae coloniae Hispanienses; Patrenses Achaiae scripsere: IN. DVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. In multis aliis coloniis sufficit domesticum *Decretum Decurionum*. Tamen in numis coloniae Antiochiae Pisidiae legitur etiam S. R., quod interpretari amant: *Senatus Romanus*. Possitne aliquid huc pertinens ex citatis supra Lampridii verbis colligi, qui dilatam Macrini monetam usque ad jussum senatus memorat, viderint eruditi. Monendum, reperiri S. C. etiam in numis coloniae Philippopolis, et in une coloniae Damasci cum capite Aemiliani, (Vaillant.) in alio Treboniani. (Mus. Caes.) Mirandum magis, eam notam legi etiam in aliquibus numis Agrippae II. regis Iudaici.

Inde a Caracalla inter aquilae crura comparent modici numeri A, B, Γ, Z etc. ac praecipue in numis Treboniani et collegae. Sunt hi ejusdem naturae, cujus sunt ii, quos capite I. §. XVII., vidimus, et videbimus capite sequente, et quos, quando cum annis imperii componi non possunt, omnes ii, qui sobrie judicant, in monetariorum signis putant. At non sic Panelius, ex cujus edicto cum certi sint anni imperii, explosa fastorum historicorumque fide chronologicam imperatorum historiam nobis obtrudit, cui vel nemo, vel sola Harduini soboles fidem habeat [a]).

MON. VRB. aut pro hoc ANTIOXIA in obviis numis imperante Philippo signatis. Admorsa haec vocabula aliud significare non possunt, quam MON*eta* VRB*is*, et in nulla alia monetae Antiochenae classe leguntur. Ea verisimile non est otiose posita, sed causa discriminis, quam ipsa urbis natura suppeditaverit. Deductam fuisse coloniam a Caracalla, dicetur infra. Cum urbes reliquae, ex quo in coloniarum jura transiverunt, deinceps nonnisi coloniae nomine numos signarent, istud quidem non neglexerunt Antiocheni, sed perrexerunt tamen vetere suo instituto monetario, et quidem S. C. firmato uti. Ergo praeter inductam recens coloniae monetam, quam capite IV. proponemus, continuata fuit vetus duplicis generis moneta, tetradrachmorum, in quibus nunc sumus, et aeneorum, de quibus capite sequente. Quo docemur, distinctum fuisse Antiochiae rei monetariae forum, unum juris veteris, alterum novi, aut si mavelis, unum incolarum veterum, alterum colonorum adscititiorum. Enimvero fuisse nonnunquam, cum coloni in urbem reciperentur, in leges et conditiones itum, pluribus potest exemplis comprobari, inter quae illustre est, quod Cicero de Agrigentinis memorat [b]): *cum Agrigentinorum duo genera sint, unum veterum, alterum colonorum, quos T. Manlius praetor ex S. C. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum, cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent in senatu ex colonorum numero, quam ex vetere Agrigentinorum.* De Emporiis Hispaniae, quarum incolae constabant Hispanis indigenis, colonis Graecis Phocaea profectis, et colonis Romanis a

a) De numo Treboniani. b) in Verr. L. II. c 50.

Digitized by Google

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM

I. Caesare adjectis, et quorum generum singula erant muro interjecto divisa, singula propriis suis numis utebantur, egimus in ejus urbis moneta. Ergo haec tetradrachma, tum et aenei, de quibus mox, fuerunt Antiochiae, sed urbis, non coloniae, moneta, ac propterea in illorum nonnullis additum MON. VRB. vel ANTIOXIA simpliciter, suppresso coloniae nomine, quo indicarent, ex vetere jure propriam apud se signari pecuniam, et quidem, quod paucis urbibus concessum, argenteam quoque, cum coloni suam addito semper KOΛ. distinguerent, et nonnisi aenea ex coloniarum instituto uterentur.

Numos Vespasiani loco 13. descriptos cum insolita epigraphe COV. NEPOVΔ. esse Antiochenos, et perturbatas has litteras idem significare, quod ETOTC. NEOT. IEPOT. Δ., colligitur ex numis praecedentibus loci 12, et comprobatur a me uberius in Sylloge I. p. 78. quo loco horum unum edidi, tum et in doctrina de numis cum inscriptione *anni novi sacri*, quam dabimus volumine IV.

* * *

Praeter citatos hos numos multi adhuc alii exstant argentei aeneique, inscripti hi quoque ΔHMAPX. EΞ - - TΠAT. - sed cum variis typis plerumque symbolicis. Eorum major pars caput Trajani exhibet. In his cum nihil sit, quod eos Antiochiam referendos persuadeat, malui de iis agere in numis Trajani commatis peregrini, quod de urbe, quae eos feriundos curavit, non satis constet.

CAPVT III.

De numis Antiochiae imperatoriis aeneis inscriptis S. C.

Horum rationem paucis describere satis esto:

Initium cepere sub Augusto, et ab hoc usque ad Nervam est in antica caput imperatoris addita inscriptione Latina; in aversa est S. C. clausum corona laurea, rarius sub Augusto querna, cujus generis sunt apud Pellerinium [a]).

Vna cum Trajano incipit capitis inscriptio Graeca, et perseverat deinceps. Tamen numum L. Veri cum epigraphe Latina reperit Sestinus.

Sub Nerva litterae solitariae in parte aversa comparere incipiunt. Eas esse arithmethicas dubium non est, nam habemus in his ⊏, quod est episemon, item IA. IΓ. etc.

Inde ab Antonino praeter litteram solitariam frequenter inferne comparet aquila.

Sub M. Aurelio haec numorum classis coepit deficere, et nonnisi unicum hactenus Commodo dicatum vidi, quem nuper museo Caesareo intuli. Tamen et Severi binos nuper reperit cl. Sestinus. Liberalius subinde sub Caracalla renascitur. Ejus causam verisimilem pete ex dictis capite II.

Inde a Caracalla frequenter in aversa additur Δ. E. de quarum sensu litterarum egimus capite praecedente.

Si verum est, quod refert Vaillantius [b]), haec classis porrigitur usque in imperium Gallieni. Postremi, quos

a) Suppl. IV. tab. I. n. 1. b) Num. Colon. in Othone.

Digitized by Google

viderim ego, signati sunt imperante Elagabalo.

Exstant similes numi tantum cum capitibus Augustorum aut Caesarum. Insolens ergo visum Pellerinio, exstare similem cum capite Aquiliae Severae uxoris Elagabali [a]). At diximus capite praecedente, post Caracallam in moneta Antiochena aversas, quae sunt Augustorum, passim cum Caesaribus et uxoribus communicatas.

Dixi, in aversa horum numorum typum principem esse S. C. intra coronam, additis serius aquila et literis solitariis. At in numo Caracallae, aut potius Elagabali musei Caesarei est aries saliens et respiciens, per aream S. C. Δ. E. omnia intra coronam. Dictum, arietem hoc habitu esse proprium monetae Antiochenae typum.

In numis Macrini aversam facit caput filii Diadumeniani positum inter S. C. His praeeuntibus existimo, eidem huic classi tuto posse inseri sequentem numum singularem, quem edidit Haymius [b]):

--- ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CEB. ETCEB. *Cap. Ant. Pii laur.* ☧ ΑΤΡΗ-ΛΙΟC. ΚΑΙ. CEB. ETCE. TIOC. ΤΠΑ. ΑΠΟ. *Caput Aurelii Caesaris nudum, in area S. C. in imo* H. AE. II.

Haymius postremas litteras epigraphes, quae est in aversa, sic separavit, ut legeret: ΤΠατος Αντιοχεων ΑΠΟλλωνιυ, cumque scriptum infra elementum H cum ipsa epigraphe conjungeret, illud explevit legendo Ηγεμονος. Mirum sane, Khellium acrem et eruditum Haymii censorem pravam hanc sententiam non reprehendisse. Nullus hactenus in Antiochenorum aere compertus magistratus domesticus, atque etiam compertus, Ηγεμονα se non ferret, qui fuit magistratus Romanus, et unius Thraciae urbium numis inscriptus, quando Απολλωνιος, ut ipsum nomen fert, esset magistratus Graecus et privatus urbis. Male sane το H cum reliqua inscriptione sociavit, quod aliud non est, quam elementum solitarium, inde a Nerva, ut dixi, hujus classis numis inscribi solitum. Tamen difficile est, litterarum ΑΠΟ. verum sensum reperire. Forte non aberravero, si eas sejunctas sic legendas constituam: Αντιοχεων Προς Ορονττ, *Antiochensium ad Orontem*, cum constet, eam urbem non raro a scriptoribus dici Antiochiam ad Orontem. Novi, in Antiochiae numis nunquam alias situs mentionem prodi, at certum etiam, nondum hactenus aversae parti hujus classis numorum illatum caput visum. Quod si conjectura haec non adridet, cedo aliam.

Aenea haec moneta ab Augusto usque ad Caracallam est fere I. formae, pars potior II., pauciores III. At inde a Caracalla quos viderim, omnes sunt III. formae.

A plerisque olim omnes hi numi ab Augusto usque ad Nervam, quoniam Latine utrinque inscribuntur, esse commatis Romani crediti sunt, cumque in hac classe occurrant etiam aenei Othonis, dubitatum non est, numos aeneos cum hujus capite Romae signatos. Re magis explorata, cumque fabrica aperte opus peregrinum prodat, non amplius

a) Mel. I. p. 103. b) Th. Br. Tom. II. tab. 34.

Digitized by Google

ambigitur, numos esse Antiochenos, testaturque Vaillantius, ingentem similium numorum vim in Syria ad hanc usque diem reperiri [a]). Sane literae S. C. et Δ. E. tum et typus arietis in citato mox Elagabali numo, quoniam eadem omnia sunt in certis aliarum classium monetae Antiochenae numis, Antiochenos esse hos numos invicte arguunt. Tamen cum id genus multi haud ita pridem reperti fuerint in insula Cypro, putavit Pellerinius, non in solis Syriae urbibus numos litteris S. C. insignes fuisse percusos, sed et in Cypro [b]). At enim facile ex Syria in vicinam Cyprum hujus argumenti numi majore etiam copia potuerunt transmittere.

De sensu litterarum S. C. et typo aquilae actum capite praecedente. Notae arithmeticae annos imperii indicare non possunt, nam est in museo Caesareo numus Nervae cum littera Δ, alius Trajani cum littera X. Sunt ergo haud dubie notae monetariorum, quales non pauci ejus aetatis Syriae urbium numi impressas habent.

CAPVT IV.

De numis Antiochiae coloniae.

Teste Paulo jurisconsulto [c]): *Divus Antoninus Antiochenses colonos fecit salvis tributis.* Quo nomine intelligendus Antoninus Caracalla, non, quod nonnulli credidere, Antonius Pius, quod confirmatur a numis ipsis, qui a Caracalla demum *coloniae* nomen addere occipiunt. Tamen cl. Sestinus promulgavit numum Severi, in cujus aversa: ΚΟ-ΛΩΝΙΑ - - - - Α. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram* [d]), cum jam antea ejus iconismum dedisset [e]). Sed vereor, ut numus sic vitiatus possit certum Pauli testimonium evertere.

Ergo numi Antiochiae coloniae incipiunt, ut dixi, sub Caracalla, et desinunt sub Valeriano, sed jam tum rari, quos vide in Pellerinio, Theupoli, Arigonio. Perperam igitur Vaillantius aeneos inscriptos S. C. capitis praecedentis jam inde ob Othone, deinde tetradrachma capitis II. inde a Philippo seniore in suum de coloniis opus contulit, cum coloniae nihil offerant. In hanc etiam classem vocavit numos Flaviorum capitibus insignes:

IMP. VESP. AVG. P. M. T. P. *Caput Vespasiani laur.*

T. CAES. IMP. TR. P. *Caput Titi laur.*

CAESAR. DOMIT. COS. II. *Caput Domitiani laur.*

ANTIOCHIA. *Caput muliebre turritum.* AE. III. (Mus. Caes. Vaill.)

Hos omnes imperante Vespasiano signatos capitum epigraphe docet. Facile dedero, esse eos nostrae Antiochiae, quod, cui alteri opportunius dari possint, non videam. Inscriptos utrinque Latine Vaillantius ait propterea, quod jure Latii gavisa est [f]), sed quod ut comprobaret, parum video fuisse solicitum. Si Latii jure donatam propterea credidit, quia Latina usa est epigraphe, nae ille multas urbes, ceu Nicomediam, Ephesum,

a) Num. colon. in Othone. b) Suppl. IV. p. 1. c) L. II. de censib. d) Lettere IV. p. 42. e) Lettere Tom. II. tab. III. n. 61. f) In colon. sub Vespas.

Digitized by Google

aliasque in Latinarum numerum cogetur admittere, quae nonnunquam numos utrinque Latine inscriptos signavere. Cur istud interdum urbibus Graecis placuerit, difficile est rationem probabilem adferre. In Antiochia nostra minus istud mirum, quam jam inde ab Augusto bilinguem ex hactenus dictis vidimus. At jam certos Antiochiae coloniae numos lustremus.

Autonomum hujus coloniae editum video apud Hunterum, sed is propter epigraphen Latinam (nam nostra Graece semper locuta est) et typum dei Mensis sine dubio est coloniae Antiochiae Pisidiae. Quos hactenus norimus, omnes Augusti cujuspiam, vel Augustae, vel Caesaris caput offerunt.

Epigraphe: ANTIOXEΩN. MHTPO. KOΛON. aut similiter. Addantur sedulo notae S. C. Δ. E. de quibus egi cap. II.

Typi: Mulier capite velato et turrito rupi insidens d. spicas, superne aries saliens et respiciens, inferne fluvius emergens.

Caput muliebre velatum turritum, superne aries saliens.

Mulier sedens, ut supra, coronatur a figura militari ad sinistram adstante, ad dexteram stat fortuna.

Mulier sedens, ut supra, sed intra templum tetrastylum, in cujus fastigio aries saliens et respiciens.

Apollo habitu muliebri stans s. lyram, in numis Philippi et Decii [a]. *In alio praeterea serpentem pascit ab ara adsurgentem* [b].

Nihil in his typis novum, et quod in praecedentibus explicatum non sit. De Apolline cum hoc typo agetur capite proximo.

Epochae annum ΔOC. in simili numo Alexandri Severi vidit Vaillantius, sed quam lectionem jam in dubium vocavit Pellerinius [c]. Sane in similibus aliis ejusdem Alexandri legitur SHC. vel SNC. ut videre est apud Pellerinium [d], Arigonium, Theupoli, et in Museo Caesareo, quarum sensus litterarum mihi ignotus.

Sunt hujus classis numi aenei omnes, et I. formae.

CAPVT V.

De numis Antiochiae inferioris aevi.

Vidimus tempus, in quod singulae monetae Antiochenae classes, quas hactenus descripsimus, desivere. Harum nulla ultra Gallienum porrigitur, quo imperante velut communi scopulo fere omnis res monetalis urbium populorumque naufragium fecit. Non multo post officinis monetalibus per imperii fines constitutis auctisque suam etiam, stabilemque, cujus et Malala meminit [e], nacta est Antiochia, quam indicant litterae ANT. in imo positae, ut ALE. Alexandriam, SIS. Sisciam etc. quibus notis, praecipue inde a Diocletiano nihil magis obvium. Nonnunquam Antiochiam solum A definit, de qua lege latius agemus alibi. At enim hanc monetam nonnisi ἀκυρως possis Antioche-

a) Vaill. b) Beger Thes. Br. T. II, p. 729. c) Mel. I. p. 304. et Mel. II. p. 313. d) ll. cc. e) Chronogr. sub Dioclet.

Digitized by Google

nam appellare, cum potius fuerit communis totius imperii Romani ejusque principum, his deinceps et typos et linguam, quae Latina fuit, praescribentibus. Commemorandi tamen numi duo, qui ad solos Antiochenos pertinent.

GENIO ANTIOCHENI. *Mulier velata turrita rupi insidens, pro pedibus fluvius emergens.* ℞ APOLLONI SANCTO. *Apollo stolatus stans d. pateram, s. lyram, in imo* SMA. AE. III. (Mus. Caes. Banduri Tom. II. p. 432.)

GENIO. CIVITATIS. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ *Eadem aversa.* AE. III. (Tanini Suppl. Band. p. 318.)

Numus uterque imperante Iuliano Apostata signatus jure creditur ex causis, quas in hujus principis moneta copiosius persequar. Typus partis anticae jam abunde hactenus cognitus hoc illustratur magis, quod adscripto GENIO ANTIOCHENI. id est: *populi*, simul explicat, mulierem hoc cultu sedentem emergente ad pedes fluvio esse revera genium urbis et populi, et docet praeterea numus alter ejusdem genii esse etiam caput muliebre velatum turritum frequens in numis Antiochiae seu liberae seu coloniae. Hic genius sic sedens comparet primum in numis Tigranis Armeniae et Syriae regis, quos adeo dubium non est Antiochiae cusos, atque in his tenet palmae ramum vel cornucopiae. In numis Augusti constanter palmae ramum tenet, nempe cum adlusione, ut conjicio, ad aeram Actiacam, seu Victoriae, quae eo imperante valuit. Deinceps perpetuo spicas praefert. Habemus ergo Antiochiam inde a Tigrane usque in Iuliani aevum in retinendo typo suo fidelem. Typus partis aversae jam ex numis Antiochiae coloniae cognitus, ut et honores Apollini in hac urbe habiti. In voce APOLLONI monetarium Graecum grammaticae Latinae rudem agnosce. Litterae infra positae SMA. indicant *Signatam Monetam Antiochiae.* Quae ad causam revocatae in hos numos idololatriae pertinent, habebis exposita in numis Iuliani. Si quem delectant erudita crepundia, adeat laxos Harduini in hunc numum commentarios [a]). Oppidanos Antiochiam suam dixisse *urbem*, vidimus supra pag. 291, ex numis inscriptis MO*Neta* VRB*is;* eadem in numo altero hujus loci dicitur *civitas.*

* * *

THEVPOLIS. Sic vocatam Antiochiam a Iustiniano Iustini Thracis adfine refert Eustathius [b]) Procopius [c]) Evagrius [d]). Addit Stephanus topographus, factum istud post terraemotum [e]). Eodem nomine appellatur in praefatione novellae CIX., de quo vide plura apud Spanhemium [f]). Istud ipsum confirmatur numis. Nam litterae ANT scriptae in inferiore numorum segmento, quibus, ut dixi, Antiochia indicatur, leguntur adhuc in aliquibus Iustiniani numis; at sub hoc coeptum est scribi THEVP. THEVPO. et in successorum moneta sic continuatum.

---

a) Opp. sel. p. 114. b) ad Dionys. Perieg. v 918. c) de aedib. Iustin. L. II. c. 10. d) hist. eccl. L. IV. c. 6. e) in Θεσπολις. f) Observat. ad Iuliani orat. I. pag. 267.

Digitized by Google

CAPVT VI.

De numis Antiochenorum extra Antiochiam signatis.

Exstant numi Antiochenorum, quos esse extra Antiochiam signatos ipsa epigraphe docet. Eccos:

Antiocheni ad Daphnen.

Caput regis radiatum diadematum. ꝳ ANTIOXEΩN. TΩN. ΠPOΣ. ΔAΦNHI. *Iuppiter stans d. coronam protendit, s. vestem colligit, per aream vel tripus, vel litterae solitariae, vel monogrammata.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Rec. II. p. 187. Frölich ann. Syr. sub Ant. IV.)

Antiocheni Ptolemaidis.

Caput muliebre turritum. ꝳ ANTIOXEΩN. TΩN. EN. ΠTOΛEMAIΔI. *Victoria stans d. oblongum palmae ramum.* AE. II. (Pellerin Rec. II. p. 234.)

Caput muliebre turritum. ꝳ ANTIOXE. EN. ΠTOΛ. *Iuppiter stans d. pateram. s. hastam, in area* L. Θ. AE. II. (*ibid.*).

Caput Iovis. ꝳ ANTIOXEON. TΩN. EN. ΠTOΛEMAIΔI. IEPAΣ. AΣTA. *Mulier seminuda stans d. binas faces, s. hastam.* AE. II. (*ibid.*)

Caput Apollinis. ꝳ ANTIOXEΩN. EN. ΠTOΛEMA. *Lyra, infra* AΣK. A. LE. III. (*ibid.*)

Capita duo iugata laureata. ꝳ ANTIOXEΩN. TΩN. EN. ΠTOΛEMAIΔI. IEPAΣ. AΣTAOT. *Cornucopiae, in area* L. IP. AE. III. (Liebe Goth. num. p. 160.)

Eadem adversa. ꝳ ANTIOXEΩN. TΩN. EN. ΠTOΛEMAIΔI. IEPAΣ. ATTON. *Cornucopiae, in area* AI. *vel* ΔN. *et annus* ΘΠP., *qui tamen in aliis abest.* AE. III. (Pellerin Rois p. 102. Mus. Caes.)

Caput regis radiatum diadematum. ꝳ ANTIOXEΩN. TΩN. EN. ΠTOΛEMAIΔI. *Iuppiter stans d. coronam praetendit.* AE. II. (Mus. Caes.) AE. III. (Beger Th. Br. T. III. p. 25.)

Antiocheni ad Callirhoen.

Caput regis radiatum diadematum. ꝳ ANTIOXEΩN. TΩN. EΠI. KAΛAIPOHI. *Iuppiter stans d. extenta aquilam s. hastam.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Rec. II. p. 250.)

Fallere Vaillantium, qui in suis legerat: ΠPOΣ. KAΛΛIPOH., testatur Pellerinius [a].

* * *

Hi triplicis generis Antiochenorum numi in varias eruditos sententias distraxerunt. Antiocheni ad Daphnen nihil morantur, quod juxta Antiochiam positi pars ipsi fuere Antiochenorum. At quinam illi, qui esse *Ptolemaidis*, vel *ad Callirhoen* positi dicuntur? Vrbem aliquam Antiochiae nomine stetisse prope Ptolemaidem Galilaeae, secundum alios Phoenices, putat Vaillantius [b]. Antiochenos ad Callirhoen dixere plerique Edessenos Mesopotamiae, neque deerant ejus sententiae causae speciosae. Plinius memorat *Edessam, quae quondam Antiochia*

a) l. c. b) reg. Syr.

Digitized by Google

dicebatur, Callirhoen a fonte nominatam [a]), quam ipsam indicare videtur Stephanus, cui varias Antiochias recensenti proditur ὀγδοη ἡ ἐπι της Καλλιῤῥοης λιμνης, *octava ad lacum Callirhoen.* Alii Antiochiam respexere adsitam forte fluvio Callirhoe, qui Damascum pervasit. At Pellerinio nullo pacto probabile visum, utrorumque Antiochenorum numos, qui forma et fabrica et typis conspirant, et qui utrique Antiochi IV. caput offerunt, non etiam unius ejusdemque regionis esse. Ad haec certos Edessae numos nunquam Antiochiae nomine signatos. Quis vero, addit, auctorum veterum Antiochiam aliquam prope Ptolemaiden constituit? Censet ergo vir eruditus, numos hos cusos ab Antiochenis, qui commercii causa in corpora redacti apud Daphnen, Ptolemaiden, et Callirhoen constitere, nomine autem Callirhoes non intelligit Edessam Mesopotamiae, sed aquas calidas trans Iordanem positas dictas Callirhoe, et magni eas nominis, ad quas Herodes M. in extremo suo morbo teste Iosepho inviserat, quaestuosas haud dubie mercatoribus ob hominum eo commeantium frequentiam [b]).

Haec Pellerinii sententia, etsi secundum omnes causas nolim adfirmare certam, aliis tamen magis videtur verisimilis. Causam praecipuam peto ex numis, qui Ptolemaidis meminere, propter formulam EN. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ., quae significat, Antiochenos hos non prope Ptolemaiden, sed in ipsa Ptolemaide stetisse. Vicinia enim praepositis ΠΡΟΣ. ΕΠΙ. ΑΠΟ. indicari solet, at locus ipse praepositio EN. Fuere ergo Ptolemaide Antiocheni, ut in vetere marmore praedicantur BERYTENSES Phoeniciae, QVI PVTEOLIS CONSISTVNT. [c]) vel sicut a Diogene Laertio dicuntur ὁι ἐν Σιδωνι Κιττιεις, *Citienses* (Cypri) *qui Sidone consistunt* [d]). Sic et in marmoribus variarum gentium mentio, quae in Delo consedere. Sic legas apud Sponium [e]) et Gruterum [f]) TON. ΔΗΜΟΝ. ΤΩΝ. ΑΘΗΝΑΙΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΔΗΛΩΙ. *populum Atheniensium, qui in Delo sunt.* In marmore Oxoniensi [g]): ΑΘΗΝΑΙΩΝ. ΚΑΙ. ΣΑΜΙΩΝ. ΟΙ. ΚΑΤΟΙΚΟΥΝΤΕΣ. ΕΝ. ΔΗΛΩΙ. ΚΑΙ. ΟΙ. ΕΜΠΟΡΟΙ. ΚΑΙ. ΝΑΥΚΛΗΡΟΙ. *Atheniensium et Samiorum, qui habitant in Delo, mercatores et navicularii etc.* Ab his adeo exemplis satis solide praesentium argumenta numorum explicantur. Vide similia exempla alia apud Spanhemium. (T. I. p. 663.)

In his numis saepe proponitur caput Antiochi IV. diadematum radiatum, quo forte regnante peregrinis his Antiochenis jura quaedam fuere constituta. Reliqui typi nihil memorandum offerunt. Id unum animadvertendum, Iovem stantem, et porrecta dextera vel coronam vel galeam tenentem esse etiam in numis Cyrrhi et Apameae cum capite Alexandri I., et Dorae Phoenices cum capite Tryphonis.

Epochae annos offerunt numi Ptolemaidis, et quidem IP. et ΘΠΡ. qui haud dubie sunt aerae Seleucidarum. Prior cadit in regnum Antiochi III., cujus etiam numos habemus cum anno PIB. Alter in regnum Antiochi VIII., cujus

a) L. v. §. 21. b) Rec. II. p. 250. c) Muratori p. 231. 4. d) in vita Zenonis. e) Misc. p. 343. f) p. 405. g) num. XXVII.

Digitized by Google

exstant numi cum eodem anno ΘΠΡ. At annus Θ numi II. a recentiore quapiam aera ducendus, sed a qua, incertum.

Tituli ΙΕΡΑΣ. ΑΣΤΛ. *sacrae, asyli*, vel: ΙΕΡΑΣ. ΑΤΤΟΝ. *sacrae, suis legibus utentis*, leguntur tantum in numis Antiochenorum Ptolemaidensium, secundum quos et litteras ΑΣΚ. A. numi IV. legendos censeo: ΑΣωλυ Και Αυτονομι. Tituli ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. exstant etiam in numo autonomo ipsius Ptolemaidis, qui adeo et cum Antiochenis hospitibus communicati sunt.

APAMEA.

Ad Orontem et Marsyam fluvios, quorum alteruter Axius dictus, ut infra ad mentionem situs dicemus. Vrbs nomen traxit ab Apame Seleuci I. uxore.

Autonomi, Regii, Imperatorii secundum annos epochae I.

1. *Caput muliebre turritum.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Figura militaris gradiens d. porrecta, s. hastam transversam, annus* ΞΡ. (Pellerin.)

2. *Alius, sed annus* ΓΞΡ. (Mus. Caes.)

Eundem typum et annum habent etiam numi vicinae Epiphaniae, quam vide.

3. *Caput Bacchi.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Iuppiter aetophorus stans, annus* ΓΞΡ. (Pellerin.)

4. *Caput Alexandri I.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. *Iuppiter stans d. galeam, s. hastam, annus* ΓΞΡ. (Frölich.)

5. *Caput idem.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΑΞΙΩ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam.* (Vaill.)

6. *Caput Iovis.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Elephas, anni:* ΖΣ. ΗΣ. ΖΛΣ. ΜΣ. ΒΜΣ. ΓΜΣ. ΕΜΣ. (Hunter, Pellerin, Noris.)

7. *Caput Palladis.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Victoria, anni:* ΒΟΣ. ΕΟΣ. ϛΟΣ. (Hunter, Pellerin.)

8. *Alius, sed infra Victoriam* ΜΗ. (Pellerin.)

9. *Caput muliebre turritum.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Pallas stans, annus* ΒΠΣ. infra ΜΗ. (Pellerin.)

10. *Caput Bacchi.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Thyrsus, anni:* ΓΠΣ. ΔΠΣ. (Mus. Caes. Neumann.)

11. *Caput Palladis.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Victoria, anni:* ΓΠΣ. ΕΠΣ. *infra* ΑΝ. (Mus. Caes. Pembrock. P. II. tab. 73.)

12. *Caput Palladis.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Victoria, annus* ϛΠΣ. (Theupoli) *Thyrsus.* (Hunter.)

13. *Alii, sed anni:* ΖΠΣ. Βϙ Σ. Γϙ Σ. Εϙ Σ. (Theup. Hunter.)

14. *Caput Bacchi.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Cornucopiae, annus* ΓΤ. (Pellerin.)

15. *Caput Bacchi.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΣΤΛΟΤ. *Thyrsus, annus* ΔΤ. (Pellerin.)

16. *Caput Bacchi.* Ϡ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Thyrsus, annus* ΔΤ., *infra* ΜΑ. (Mus. Caes.)

17. *Caput muliebre velatum turri-*

Digitized by Google

tum. ☧ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Pallas, annus* ϛΚΤ. (Hunter.)

18. *Caput Augusti.* ☧ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Victoria, annus:* - ΚΤ. (Morelli Impp.)

Autonomi, Imperatorii epochae II.

19. *Caput Iovis.* ☧ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤ. *Elephas, annus* Η. *infra* ΜΗ. (Theupeli.)

20. *Caput Augusti.* ☧ ΑΠΑΜΕΙΑΣ. (*forte* ΑΠΑΜΕΩΝ) ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Victoria, annus* ΓΚ. (Vaill.)

21. *Caput Palladis.* ☧ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Victoria, annus* ΔΚ., *infra* ΑΝ. (Pellerin.)

22. *Caput Augusti.* ☧ ΑΠΑΜΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. *Caput muliebre velatum turritum, annus* ΗΚ. AE. II. (Morelli Impp.)

Alterius imperatoris numi proditi non sunt.

Typi: Iuppiter in his numis frequens, quem amplissimum apud Apameam templum habuisse testantur Theodoretus [a]), et quidem cognomine *Belum*, et vaticiniis clarum teste Dione [b]).

Elephas. Teste Strabone [c]) Seleucus Nicator hoc loco D. elephantos aluit, atque etiam successores reges, et inter pacis conditiones cum Antiocho M. initae erat, rex elephantos omnes, quos Apameae habet, traderet [d]).

Tituli: ΙΕΡΑΣ. ΑΣΤΛΟΤ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. Autonomiam primum jactat in numo 7. cum anno Seleucidarum ΒΟΣ., 272., qui coepit V. C. 713. Quo eam anno nacta sit, non constat.

* * *

Epocha I. et quidem cum numeris auctioribus, certa est Seleucidarum ab anno V. C. 442.

Epochae II. annos Vaillantius ab aera Actiaca ducit, quod neque adfirmaverim, neque negaverim. Interim suapte patet, a recentiore illos epocha ducendos. In utraque adhibenda mirus apparet saltus et confusio, quod ex sequente diagramate perspicitur:

Aera Seleucidarum.	*Anni V. C.*	*Aera Actiaca.*
ΖΠΣ.	728.	——
——	730.	Η.
Βϙ Σ.	733.	——
Γϙ Σ.	734.	——
Εϙ Σ.	736.	——
ΓΤ.	744.	——
ΔΤ.	745.	ΓΚ.
——	746.	ΔΚ.
——	750.	ΗΚ.
ϛΚΤ.	767.	——
-ΚΤ.	- - -	——

a) L. V. c 21. b) L. LXXVIII. §. 8. c) L. XVI. d) Polyb. leg. 35.

Digitized by Google

Nolo in causas promiscui hujus utriusque epochae usus longius inquirere, praecipue cum satis certum mihi non videatur, horum numeros annorum ex numis rite esse exceptos. Si Vaillantii sententia obtinet, ad annum V. C. 745. utraque aera concurrit, nempe ΔΤ. aerae Seleucidarum, et ΓΚ. aerae Actiacae. Non repugnat, Apamenses eodem tempore binis epochis usos, et jam veterem, jam novam numis inscripsisse, atque istud tanto minus, cum Antiochenses, et Ascolonitae binas varias aeras uni eidemque numo inseruerint. Quanquam hos epocharum saltus non facile esse admittendos, monebo in tractatu de epochis. Similem aerarum permixtionem offerunt etiam numi Tripolis Phoeniciae.

Praeter hos epochae annos in imo aversae segmento comparent etiam variae litterae MA. MH. AN., quae arithmeticae videri possunt. Verum etsi revera tales sint, certe annos non indicant, cum v. g. MH. legatur cum annis diversis ΕΟΣ. ΒΠΣ., ut jam advertit Pellerinius. Similia exempla vide etiam infra in Laodiceae moneta.

* * *

Mentio situs ab Axio fluvio in numo V. Ejusdem situs meminit quoque Sozomenus [a]): Απάμειας της προς τῳ Αξιῳ ποταμῳ. Vt certum est, fluvio a Macedonibus ex patrio flumine Axio nomen inditum, ita ambiguum, quis fluvius Syriae hoc nomine notetur. Vaillantius ex verbis Strabonis: *Apamea regione multa et ubere abundat, per quam Orontes fluit, et multus in ea vagatur*, colligit, Orontem hunc esse Axium. Harduinus ex verbis Plinii: *Coele habet Apamiam Marsyâ amne divisam a Nazarenorum tetrarchia*, Marsyae hoc nomen confert. Norisius cum certis argumentis se evincere opinaretur, et Orontem et Marsyam ab ipsa urbe nonnihil fuisse remotiores, suspicatur, exstitisse tertium quemdam fluvium dictum Axium, qui ipsa urbis moenia adlueret [b]). At verius puto, intelligendum Orontem. Constat ex Libanio [c]), Alexandrum M. apud Orontem Iovi Bottiaeo aras sacrasse. Fuit hic Iuppiter sic dictus a Bottiaea, quae fuit Macedoniae portio Axio flumini adsita, in qua secundum Herodotum sita Pella Alexandri urbs natalis. Pronum igitur est credere, Macedones, qui Syriae regionibus, urbibus, fluviis ex rerum patriarum similitudine nomina dederunt, Orontem in Axium mutasse, quod arae Iovis Bottiaei sic steterunt propter Orontem, ut in Macedonia templum Iovis Bottiaei propter Axium. Adde, ex testimonio Eustathii Apameam dictam fuisse Pellam ex nomine urbis Macedoniae [d]). Fuit autem Pella Macedoniae prope Axium sita. Placuit ergo et Orontem prope Pellam Syriacam fluentem nominare Axium.

AE. autonomi R. AE. imperatorii RRRR.

ARETHVSA.

Sita inter Emesam et Epiphaneam ad Orontem.

a) L. VII. c. 15. b) Epoch. Syrom. p. 72. c) in Antiochico. d) ad Dionys. v. 918.

Digitized by Google

Autonomus.

Caput muliebre velatum turritum. ✠ ΑΡΕΘΟΤΣΑΤΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Iuppiter Nicephorus sedens.* AE. II. (Spanheim Orb. Rom. p. 224.)

AE. RRRR.

Imperatorii.

ΑΡΕΘΟΤCΑΤΩΝ. ЄΤ. ΓΞC. *Mulier turrita stans d. pateram, s. hastam,* Severi. (Vaill.)

Eadem epigraphe, ЄΤ. ЄΠC. *Pagurus,* Diadumeniani Caes. (Vaill. Noris.)

Epocha a Vaillantio et Norisio figitur ad annum V. C. 685. Syri fraterna regum suorum bella pertaesi ad varios vicinos dynastas Arabes defecere. Inter haec turbida Sampsiceramum occupasse Arethusam innuit Strabo, qui cum scribit, Arabes, quo Syris sunt viciniores, eo etiam esse cultiores, exempli causa adfert Sampsicerami Arethusam [a]). Ei Pompejus regnum confirmavit, et adhuc sub Claudio memorantur Sampsicerami Emesae, et Arethusae reguli, quae omnia fusius persequitur Norisius [b]).

AE. RRRR.

BALANEA.

Ad mare e regione Aradi.

Autonomus.

Caput muliebre. ✠ ΒΑΛΑΝΕΩΝ. *Iuppiter Nicephorus sedens, in area annus* ΔΡ. AE. II. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorius:

Caput M. Antonii laur. ✠ ΒΑΛΑΝΕΩΝ. ΣΤ. Aq. *Antonius in quadrigis d. habenas, s. hastam.* (Pellerin.)

Numum similem, sed sine epochae anno, produxit Vaillantius cum capite Augusti, sed Antonio restituendum censent Pellerinius [c]), et Belleyus. Vaillantius in suo vidit Bacchum in quadrigis. Panelius in simili perperam legit ΘΑΛΑΝΕΩΝ. (Mem. Trev.)

Epochae exordium Belleyus in utrumque numum Pellerinianum prolixe commentatus [d]) figit ad annum V. C. 630. Viro erudito cum persuasum sit, figura aversae quadrigis insistente exhiberi M. Antonium Bacchi specie, quem prodente Vellejo constat *redimitum hederis coronaque velatum aurea, et thyrsum tenentem, cothurnisque succinctum, curru velut Liberum patrem vectum esse Alexandriae* [e]), et constet praeterea ex Dione, insanum hunc III virum sese edicto novum Bacchum compellari jussisse, certum sibi videtur, numum Antonii cum anno Aq. signatum fuisse labente anno V. C. 721. Balanensibus hanc Antonii praeceptam apotheosin suo per adulationem suffragio comprobantibus. Epochae igitur principium annis retrorsum XCI., atque adeo ad annum V. C. 630. figendum. Ea tempestate variae Syriae urbes, quae antea Alexandro

a) L. XVI. b) Epoch. Syrom. p. 480. c) Rec. II. p. 190. d) B. L. T. XXX. p. 287. e) L. II. c. 82.

Digitized by Google

II. adhaesere, sese rursum Antiocho VIII. regi legitimo subjecerunt. Suspicatur adeo Belleyus, has inter fuisse etiam Balaneam, atque ex hoc casu novam aeram constitutam. Nemo non videt, in universo hoc ratiocinio non parum tribui conjecturis.

Mentio situs, ΒΑΛΑΝΕΩΝ. ΣΥ. nimirum Syriae, in qua urbs sita.

AE. RRRR.

EMISA.

Ad Orontem in meridiem juxta Arethusam, cui imperavere Sampsiceramus, ejusque filius ac nepos Iamblichus, aliique reguli usque ad Vespasiani saltem aevum. Fuit patria Domnae, sororis Maesae, Soaemiadis, Mamaeae, Elagabali. Reliqua huc pertinentia vide apud Norisium [a]), ex quo pleraque excepi.

Imperatorii.

Sunt tantum Antonini Pii: ЄMICHNΩN. *Caput Solis*, de quo typo infra, vel: *Aquila globo insistens.* (Vaill. Mus. Caes.)

Notae arithmeticae: B. Γ.

AE. RR.

Colonia deducta fuit a Caracalla, ut testatur synchronus Vlpianus [b]): *Sed et Emisenae civitati Phoenices* (nam Phoeniciae tum contribuebatur) *imperator noster* (Caracalla) *jus coloniae dedit, jurisque Italici eam fecit.*

Numi sunt Caracallae, Domnae, Elagabali. Perperam a Vaillantio huc refertur numus Alexandri inscriptus: ЄMI. KO. MH. MЄCCOΠ., qua falsa lectione inductus ipse aliique Emisam licet in Syria positam Mesopotamiae metropolin fecere. Mirum hoc judicium jam impugnavit Pellerinius, cumque ex suo numo doceret, legendum KAP., non ЄMI, numus restituendus est Carrhis [c]).

Epigraphe: ЄMICΩN. KOΛΩNIAC. in numis Domnae et Caracallae. KOΛ. ЄMI. ac deinceps: MHTPO. K. vel KOΛ. ЄMICΩN. in numis Elagabali.

Typi:

Templum, intra quod lapis conoidicus. In aliis: *Caput Solis.* In aliis: *Mulier turrita sedens emergente subtus fluvio.*

Est hic lapis simulacrum Solis apud Emesam dicti Elagabali, de quo Herodianus: *lapis est maximus ab imo rotundus et sensim fastigiatus propemodum ad coni figuram.* Hunc coelitus demissum indigenae somniabant. Aurelianus hanc urbem *ingressus statim ad templum Heliogabali tetendit*, ut narrat Vopiscus. Lapis eadem forma videtur etiam in Romanis Elagabali numis: SANCTO. DEO. SOL. ELAGABAL. Vide etiam mox in *Ludis.*

* * *

Metropolis. Ad hanc dignitatem absque dubio evecta est ab Elagabalo, cujus numi primum simpliciter KOΛ. inscribuntur, in sequentibus ejus mentio non omittitur. Neque ea dignitas additur in numis postremo Caracallae anno, ut epocha docet, signatis. De adficto huic a Vaillantio honore, tanquam prima fuisset Mesopotamiae metropolis, vide, quae ad Carrhas Mesopotamiae notabimus.

---

a) Ep. Syromac. p. 79. b) Digest. L. L. tit. 15. §. 1. c) Rec. II. p. XV.

Digitized by Google

* * *

Ludi. ΗΛΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Vrna inter duos lauri ramos*, in numis Elagabali.

Hi ludi *Helia* jure apud Emisenos valuere in honorem Solis, cui eximios habuere honores, cujus testes jam adduxi supra, et quibus adhuc addimus Avienum [a]). Idem apud Rhodios ex eodem in Solem adfectu dicti fuere ΑΛΙΑ, nimirum Dorice. Harduinus, cui solenne est, nodum in scirpo quaerere, hos ludos ab *Elide* dictos ΗΛΙΑ contendit, cum sacra Solia dici deberent ΗΛΙΑΚΑ. Noluit animadvertere, eadem solis certamina apud Rhodios dicta fuisse Αλια testibus Aristide, et Athenaeo, non Αλιεια. Haec sacra ΗΛΙΑ memorantur etiam in numis Odessi Thraciae. Ηλια etiam Iulianus Aug. appellat ludos, qui Romae finitis Saturnalibus, et ante novi anni exordium Ηλιῳ ἀνικητῳ, *Soli invicto*, sacri fuere, et summa magnificentia obiti [b]). Vnde et obvia in numis Romanis inde ab Aureliano epigraphe: SOLI. INVICTO.

* * *

Epocha:

ΚΦ. in numo Caracallae. (Vaill. in Colon.)

ЄΚΦ. ejusdem. (Noris ep. Syrom. p. 82.)

ΖΚΦ. ejusdem. (Vaill. l. c. Noris l. c.)

ΗΚΦ. Caracallae, Domnae. (Ibid. et Mus. Caes.)

ЄΠΦ. Sulpicii Antonini. (Haym. T. I. p. m. 292.)

Epocha est Seleucidarum ab anno V. C. 442., et quidem annus ΗΚΦ. Caracallae numo inscriptus ejus imperatoris postremus est. Lectio anni ΚΦ jure suspecta visa Vaillantio ipsi, et Norisio, quia in eo numo Emisa jam dicitur colonia, quam coaevus Vlpianus tradit deductam a Caracalla, annus vero hic adhuc in Severi imperium incidit. Quare extritus videtur numerus monadicus. Dubia de numo Sulp. Antonini, et anno ЄΠΦ. vide proposita in ejus Augusti numis, quos dabimus post numos Mamaeae.

AE. RR.

EPIPHANEA.

Ad Orontem inter Larissam et Arethusam, cujus nomen pervetustum fuit *Hemath*, sed novum nacta ab Antiocho *Epiphane;* praevaluit tamen inter Syros indigenas nomen vetus, quod hodieque durat. Numos ejus omnes erudite explicavit Belleyus [c]).

Autonomi:

Caput muliebre velatum turritum. ЄΠΙΦΑΝΕΩΝ. ΓΞΡ. *Figura militaris gradiens d. porrecta Victoriolam, s. clypeum.* AE. III. (Pellerin.)

Hic numus fabrica, mole, et typo simillimus est alteri vicinae Apameae, qui est in museo Caesareo, cum quo illi ipse adeo epochae anno ΓΞΡ. convenit. Similem Apamenum habet etiam Pellerinius, sed cum anno ΞΡ.

Caput muliebre velatum turritum. ЄΠΙΦΑΝΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΕΞΡ. *Iuppiter sedens.* AE. II. (Hunter.)

AE. RRRR.

a) Descr. Orb. v. 1083. b) Orat. in regem Solem. p. 156. c) B. L. T. XXVI. p. 391.

Digitized by Google

Imperatorii.

Observati a Tiberio ad Gordianum: ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ.

Epochae anni una cum typis, ut numos hos proposuit Belleyus. (l. c.)

Θq. *Fortuna stans*, Tiberii.

ΞC. *Caput Domnae*, Severi.

HqC. *Pallas*, Mamaeae.

ϛT. *Duo pisces*, Gordiani.

Binos Elagabali praeterea citat Belleyus, sed sine epochae anno.

Epocha hujus urbis duplex fuit,

I. Seleucidarum ab anno V. C. 442. Hanc palam comprobat autonomus cum anno ΓΞP., qui cum, ut dixi, simillimus sit alteri Apamensi, atque in hoc idem annus ΓΞP. necessario ab epocha Seleucidarum ducatur, idem in hoc Epiphanensium numo ex eodem principio ducendus est. Hunc utriusque numi aequabilem modum cum non animadverteret Belleyus, de prima hac Epiphaneae epocha nihil pronunciavit.

II. Pompejana ab anno V. C. 690., ut visum Belleyo, quam sequuntur citati imperatorii, quamvis hi non excludant annos intra 688. et 691. contentos.

AE. RRR.

GABALA.

Maritima, a Laodicea in meridiem.

Autonomus:

Caput nudum barbatum. Ϟ ΓΑΒΑ-ΛΕΩΝ. *Pagurus, superne astra solis et lunae.* AE. II. (Pellerin.)

Caput anticae L. Verum omnino refert, tamen inter autonomos recensetur a Pellerinio.

AE. RRRR.

Imperatorii

Sunt ab Augusto usque ad Aquiliam. *Epigraphe* constans: ΓΑΒΑΛΕΩΝ. *Typi:*

Vir seminudus insistens cippo cum modio in capite d. sublime elata bipennem, s. clypeum instar peltae, ad basin hinc et inde equus, juxta scriptum: ANNA; *ei ex adverso Fortuna sedens,* in numo Commodi. (Pellerin Rec. III. p. 239.)

Etsi Pellerinius sub Fourmontii persona tutus ad explicandam et epigraphen ANNA et typum multa adferat ex vetustissima mythologia deprompta, nihil tamen opportunum commemorare potuit, quo aut sibi, aut nobis faceret satis.

* * *

Harpya globo insistens, ex adverso Sphinx super basi, M. Aurelii, L. Veri, (Vaill. Pellerin.) Commodi. (Mus. Caes.)

Vterque horum numorum praeco, ut et Spanhemius [a]) volucrem globo insistentem, quod in eorum numis facies muliebris forte adcuratius expressa est, Harpyam dixit. Ea in numo musei Caesarei ad noctuam accedit in Gabalae

a) T. I. p. 259.

Digitized by Google

moneta jure habitantem, quae Palladem saepe impressam habet. Sin revera Harpya est, difficile conjectu, cur ea in hujus urbis monetam involarit, et quis ejus sit cum Sphinge nexus.

* * *

Protome Palladis, ex adverso mulier stans capite tutulato, et velo a summo ad imum tecta, in numis Trajani, Commodi, Diadumeniani. (Noris Ep. Syrom. p. 253.)

Hanc adstitutam Palladi mulierem varii viri eruditi Iunonem Pronubam statuerunt; verum in numo alio similis figura sedet inter duos leones. Quare verius Cybele est, quae in aliis quoque urbis hujus numis solito cultu comparet.

* * *

ΤΤΧΗ. ΓΑΒΑΛΕΩΝ. *Templum* 8. *columnarum, in quo caput Domnae*, in numo Severi. (Vaill.)

Similis epigraphe et typus est etiam in numis Azoti Iudaeae, et Laodiceae Syriae.

* * *

Epocha:

ΓΜΡ. in numo Trajani, lectio indubitata, in cujus antica juxta caput Trajani laureatum legitur: ΝΕΡ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝΟC. (Mus. Caes.)

ΒΝΡ. ΔΝΡ. Trajani. (Vaill.)

ΓΚC. Aurelii. (Vaill.)

ΔC. L. Veri. (Pellerin.)

ΔC. Commodi. (Mus. Caes.)

ΓΛC. ΔΛC. Commodi. (Vaill. Pellerin.)

CΝΑ. CΝΒ. CΝΓ. Domnae et Caracallae. (Vaill.)

ΓΞC. Diadumeniani. (Vaill. Noris.)

CΞΗ. Aquiliae. (Pellerin.)

Exordium epochae a Vaillantio, Norisio, et maxima antiquariorum parte figitur ad annum V. C. 707. Eam bini numi ex hic citatis, et serius producti magis stabiliunt. Primus est numus Trajani cum anno ΓΜΡ., in quo is adhuc Augusti titulo abstinet. Annus hic deductus a 707. incipit in autumno V. C. 849. Trajanus a Nerva adoptatus fuit, et una trib. potestatem accepit XVIII. Septembris V. C. 850., ut adeo numus hic signari putuerit ante autumnum 850., quo jam coepit annus ΔΜΡ. vel 144. Gabalenorum, ut demonstrat Frölichius, qui numum hunc primus edidit [a]), et Belleyus [b]). Ergo epocha in anteriorem annum anno 707. dimoveri non potest. Tametsi hujus numi patrocinio nimis confidenter niti nolim ex causis, quas olim in numis Trajani commatis Romani dabimus. Alter numus Aquiliae cum anno CΞΗ. (268.) ad annum 707. exacto signatus est ab autumno V. C. 974., neque serius signari potuit, nam caesus est Elagabalus mense Martio V. C. 975. Ergo ex his numis figitur epocha ad annum V. C. 707.

At Harduinus eam ab anno V. C. 708. deduxit. Dissidii causam non adfert. In hac quidem sententia minus difficultatis pareret numus citatus Trajani; nam tum annus numi ΓΜΡ. inciperet in autumno V. C. 850., quo labente indubitatum est, Trajanum jam fuisse Caesarem. At tum repugnat numus Aquiliae cum anno CΞΗ., qui ca-

a) IV. Tent. p. 176. b) B. L. T. XXI. Mem. p. 447.

Digitized by Google

deret in autumnum anni 975., verum ejus maritus Elagabalus jam mense Martio ejus anni caesus fuit.

Numus Diadumeniani utrumque annum 707. et 708. patitur, reliqui plures ultro citroque admittunt. At neutri illigari potest annus ΔC., qui exstat in numis tam L. Veri, quam Commodi. Quare in numo Veri forte legendum ΔIC., et Commodi ΔΛC., etsi hic, qui est in museo Caesareo, nullum τϐ Λ vestigium offerat, aut alia amoliendae difficultatis expediatur via.

Occasionem constitutae epochae rati sunt Norisius et Vaillantius iter I. Caesaris, V. C. 707. hac exercitum ex Aegypto adversus Pharnacem ducentis.

AE. R.

Memorandus hic adhuc numus rarissimus aureus cum capite Iustini II., in cujus aversa: GABALORVM. *Crux super gradibus.* Citatur apud Bandurium [a]) et est integerrimus in museo Caesareo. Vrbis nomen rite conspirat cum ejus aetatis scribendi lege, nam in historia ecclesiastica ejus aevi constanter dicitur Γαβαλων πολις, quae testimonia vide apud Norisium [b]).

HERACLEA.

Huic Syriae urbi perperam Harduinus tribuit numum AΠAME. HPAKΛE., putatque, notari concordiam inter hanc, et Apameam Syriae; at numum hunc esse Apameae Phrygiae, in hac dixi. Forte ad hanc Heracleam causa epochae pertinet numus Caracallae cum epigraphe, si modo bene lecta est, HPAKΛЄOT. ЄT. HΣ., quem recitat Wisius [c]).

LAODICEA.

Dicta *ad mare*, aedificata à Seleuco, et sic a matris nomine vocata. Vlpianus eam in Coelesyria ponit, ut infra videbimus; quae causa fuit, cur Harduinus numos Laodiceae, coloniae nomine inscriptos, Laodiceae ad Libanum tribueret. Verum satis constat, posteriore aetate etiam Seleucidem fuisse Syriae Coele contributam, ut erudite ostendit Norisius [d]).

Autonomi:

Caput muliebre velatum turritum. Ꞧ. ΛAOΔIKEΩN. *Iuppiter Nicephorus sedens, per aream:* BΛ. ME. AΠ. ΓΛ. AR. I. (Pembrock.)

Alii, sed addito: THΣ. IEPAΣ. KAI. ATTONOMOT. *per aream* I *majus*, AΣ. et ΘE. (Pellerin.) In alio *per aream* ΔK. *et* KA. (Hunter.) Vterque AR. I.

* * *

Reliqui autonomi sunt aenei, quorum magnam copiam protulit Pellerinius. Horum primum epigraphen, deinde typos commemorabo.

ΛAOΔIKEΩN. solum reperio in argenteo Pembrockiano mox citato. Pellerinius illud etiam solitarium vidit in aeneo, sed dubitat ipse, utrum ad hanc Laodiceam pertineat.

a) Tom. II. p. 651. b) Ep. Syrom. p. 251. c) Mus. Bodl. p. 204. d) Ep. Syrom. p. 235. seq.

Digitized by Google

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ.

Quo tempore autonomiam acceperint, decidi nequit. Norisius eam V. C. 707. a I. Caesare adeptos censet. Haymius et Frölichius eam se jam in Antiochi VIII. numis videre putabant, sed decepti fuere, ut dicetur infra in *typis*. Haec epigraphe infrequens non est.

ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Epigraphe obvia. *Iulienses* se dixere in gratiam I. Caesaris, qui cum apud eos moraretur V. C. 707., magnis eos beneficiis adfecit, sic ut ab eo anno epocham quoque auspicarentur, de qua infra. Quantus fuerit Laodicensium in dictatorem etiam caesum adfectus, pluribus persequitur Norisius [a]). Certe ab hoc tempore usque ad ipsum Severum in numis suis hunc honoris titulum constanter retinuere.

* * *

Mentio situs.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΗ. vel ΘΑΛΑΣΣΑΝ. in autonomis apud Pellerinium, Arigonium, in Mus. Caes., et in argenteo Alexandri l. (Vaill.) et ejusdem regis binis aeneis. (Pellerin.)

* * *

Epochae anni horum quoque compluribus inscribuntur. In argenteis supra citatis tot et tam variae occurrunt notae, ut, quae ex iis epochae serviant, discerni nequeat. In aeneis si singulae tantum similes comparent notae, eae epochae annum haud dubie notant. In aliis occurrit idem, quod ad Apameae numos animadversum est. In area est v. g. ΔΚ., in imo aut ΜΕ., aut ΜΝ., in area ΓΟ., in imo jam ΜΕ., jam ΔΗ., ut adeo in similibus numis laterales areae notae epochae annum indicent, alioqui ΜΝ. numeri suspicionem excludit. In aliis inferne legitur ΑΡΧ. ΚΟΜ. Haec exempla vide apud Pellerinium. De aerae exordio agetur in imperatoriis.

Typi:

Caput radiatum. ℞ *Figura militaris stans d. hastam, alii in aliis anni:* ΔΔ. ΚΑ. ΖΜ. ΑΕ. II.

Haymius caput anticae statuit esse Antiochi VIII., quem secutus est Frölichius, et cum in numo scriptum legerent ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, adseruerunt quoque, Laodiceam jam sub hoc rege fuisse autonomam. Similis numus est etiam in museo Caesareo, cujus caput radiatum nihil habet Antiochi VIII. Melius Norisius dixit, exhiberi caput Solis. Pellerinius numos quatuor cum simili capite radiato recenset inter numos Antiochi VIII., etsi ipse fateatur, vultus lineamenta non satis addicere, et aliquantum dubitet, an omnes hi revera sint ejus regis [b]). Non advertit animum vir summus, horum uni inscriptum ΖΜ., qui annus Antiochum VIII. contingere non potest, praeterea scriptum in eodem ΙΟΥΛΙΕΩΝ, vi cujus numus in imperatorum aetatem cadit.

* * *

Caput radiatum. ℞ ΙΟΥΛΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. *Diana succincta stans d. hastam, s. arcum cum sagittis.* AE. II. (Pellerin Rois. tab. 12, inter numos Antiochi VIII.)

a) l. c. p. 133. b) Rois. p. 101.

Digitized by Google

Protome Dianae. ☧ ΙΟΤΛΙΕΩΝ. etc. *Caput apri.* AE. III (Pellerin.)

Eximius esse debuit apud Laodicenses Dianae cultus; nam Dianae Tauricae simulacrum ab Oreste Brauronem Atticae delatum, atque inde a Persis Susa asportatum Seleucus Laodicensibus permisit, ut refert Pausanias [a]). Quod et ipsum tenemus fide praeclari marmoris apud eandem hanc Laodiceam reperti, quod vulgavit Chandlerus [b]):

ΙΟΤΛΙΑΝ. ΤΙΤΟΤ. ΘΥΓΑΤΡΑ.
ΒΕΡΕΝΙΚΗΝ. ΤΗΝ. ΑΠΟ.
ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΕΛΕΥΚΟΥ.
ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. ΙΕΡΕΣΑΜΕΝΗΝ.
ΤΩ. ΔΞΡ. ΕΤΕΙ. ΤΗΣ. ΚΤΡΙΑΣ.
ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ.
ΚΑΣΣΙΑ. ΛΕΠΙΔΑ. Η. ΜΗΤΗΡ.

Iuliam Titi filiam Berenicen, ex instituto regis Seleuci Nicatoris sacerdotio functam anno CLXIV. dominae Dianae, Cassia Lepida mater. Qui ergo lapis secundum epocham, quae, ut dicetur, apud Laodicenses valuit, positus est V. C. 869. imperante Trajano. Dianae illud simulacrum adhuc Elagabali aetate exstitisse, docet Lampridius [c]): *Lapides, qui divi dicuntur, ex proprio templo Dianae Laodiceae ex adyto suo, in quo id Orestes posuerat, auferre voluit.* Revera in numis Laodiceae jam coloniae cum capite Elagabali comparet Diana venatrix.

* * *

Reliqui typi: *Victoria, noctua, Fortuna, Serapis, scorpius etc.*

AR. RRR. AE. R.

Regii:

Caput Alexandri I. diadematum. ☧ ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΑΝ. *Neptunus sedens d. delphinum, s. tridentem.* AR. II. (Vaill.). In aliis: *Neptunus stans vario cultu.* AE. III. (Pellerin Rois p. 82.)

Imperatorii:

Ab Augusto ad Caracallam usque.

Epigraphe: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. — ΙΟΤ. ΛΙΕΩΝ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. at plerumque: ΙΟΤΛΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ.

Sunt etiam argentea tetradrachma Neronis et Hadriani [d]).

Typus obvius: *Caput muliebre turritum.*

* * *

Metropolis. Ad id fastigium evecta a Severo, a quo cum staret Laodicea, Antiochenis Pescennii causam amplexis, hoc caeso Severus ornamenta omnia Antiochiae detracta Laodiceam transtulit, unaque huic Antiochiam ipsam subjecit [e]). Exinde se in numis scripsit: ΙΟΤΛ. ΛΑΟΔΙΚ. CЄΟΥΗ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. At pauca superant, et nonnisi cum capite Severi et Caracallae cum hac epigraphe numismata, nam paullo post a Severo deducta est colonia, sed cujus etiam numi metropoleos dignitatem plerumque addunt. Huc etiam pertinet:

ΙΟΤΛ. ΔΟΜΝΑ. ΤΥΧΗ. ΜΗΤΡΟ-

a) L. III. c. 17. b) Inscript. ant. p. 91. n. 5. c) in Elag. d) Pellerin Lettres p. 166. et Mel. I. p. 187. e) Herodian. Suidas in *Severo.*

Digitized by Google

ΠΟΛЄΩC. *Pretome Domnae in templo distylo.* Numus Severi.

Etsi urbis nomen absit, jure tamen numum huc refert Pellerinius.

* * *

Nomina ab imperatoribus. Praeter nomen *Iuliae* jam notum usa est altero *Severianae*, ut mox vidimus. Et diserte testatur Malala [a]), permissum a Severo Laodicenis, ut se de suo nomine *Septimios* appellarent. Revera in numis coloniae nomine subinde signatis *Septimiam* se frequenter vocat.

* * *

Neocoratum, et *Primatum* Syriae perperam huic urbi tributum a Vaillantio ex numo Caracallae manifestis indiciis corrupto satis docui in meis Numis vet. [b]) et supra in numis Laodiceae Phrygiae, quorsum hic numus pertinet.

* * *

Epocha:

AIP. in argenteo Neronis. (Pellerin. Lettres p. 166.)

BΛP. ΓΛP. Domitiani. (Vaill. Mus. Caes. Morelli.)

BΞP. ΓΞP. Trajani cum titulis ΓЄPM. ΔAK. (Noris, Mus. Caes.)

ΓΞP. Trajani cum iisdem titulis, et titulo ΠAPΘ. (Noris.)

AOP. in argenteo Hadriani. (Pellerin Mel. I. p. 187.)

ZΠP. HΠP. qP. Antonini. (Vaill.)

AqP. Aurelii, (Vaill.) per epocham adhuc Caesaris.

Epochae exordium cum scriptores, tum numi adfigunt ad autumnum V. C. 706. Ex illis Eusebius: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos CCCXXV. annus fuit, juxta Tyrios CCCCII., juxta Laodicenos CCCXXIV. annus etc.* Ergo horum epocha anno uno posterior fuit Antiochena. Consentit etiam Chronicon Alexandrinum. Cum igitur certum sit, Antiochenos aeram sam deduxisse ab autumno V. C. 705., necesse est, Laodicensium aeram coepisse V. C. 706.

Eandem egregie statuunt numi Trajani cum anno ΓΞP., in quorum aliis *Parthici* titulus additur, in aliis omittitur. Hic si addatur ad 706, prodibit annus V. C. 868., quo labente constat Trajanum eo honore fuisse exornatum, de quo vide plura in numis hujus Augusti commatis Romani. In marmore Laodicensi apud Chandlerum [c]) hi occurrunt characteres chronologici:

ЄTOTC. HΞC. MHNOC. ΞANΘIKOT. TΠATΩN. OT. - - - OT. Γ - ATOT. K - IOT - - CЄΛЄTKOT.

Anno CCLXVIII. mense Xanthico, consulibus Sabiniano Grato, et Claudio Seleuco, ut consules hi legendi sunt correctis marmoris vitiis. Processere hi V. C. 974. Addatur ad annum V. C. 706., cujus autumno aeram Laodicensem coepisse diximus, annus marmoris 268., summa dabit eundem annum V. C. 974., cujus autumno exivit annus Laodiceae 268. Marmor positum est labente mense Syromacedonum Xanthico, qui respondet Aprili anni Iuliani.

Causam epochae suppeditat historia; nam I. Caesar in vere V. C. 707. per

a) Chronogr. L. XII. b) pag. 285. c) Inscr. ant. p. 92.

Digitized by Google

Syriam profectus adversus Pharnacem *commoratus est fere in omnibus civitatibus, quae majore sunt dignitate, praemia bene meritis et viritim et publice tribuens.* [a]). Censet Norisius, ex quo haec pleraque collegi, Laodicenses tum autonomiam aliaque privilegia adeptos, et *Iuliae* nomen adoptasse.

Ad hoc epochae exordium revocandi etiam numeri minores, quos in autonomis existere supra innui. Vsam antea fuisse aera Seleucidarum, dubium non est, sed numi hoc non docent.

Variae adhuc voces decurtatae in postica imperatorum hujus urbis reperiuntur, ut: APIΣ. IΣA. in numo Neronis [b]). IOT. OE. KO. MOTK. MKO. passim in numis Trajani, KPA. in numo Antonini, (Mus. C. Vitzai.) quarum explicationem nemo hactenus tentavit.

Concordia cum Arado Phoeniciae insula, quam vide.

AR. RRRR. AE. C.

Colonia deducta certo fuit a Severo. Vlpianus [c]): *Est et Laodicea colonia in Syria coele, cui divus Severus jus Italicum ob belli civilis merita concessit.* Confirmatur id quoque numis; nam exstant sub Severo hujus urbis numi sine et cum mentione coloniae, ac deinceps cessant numi Graeci dicti imperatorii. In sequentium imperatorum numis omnibus aut coloniam aperte se profitetur, aut certa saltem praebet coloniae indicia. Numum Graecum a Vaillantio adhuc sub Elagabalo prolatum non moror, quem non dubito Caracallae restituendum, et signatum vivo adhuc Severo, cum colonia nondum esset Laodicea. Numi Laodiceae coloniae copiosi sunt, et per multas causas memorabiles, in quos Belleyus singulari dissertatione commentatus est [d]).

Porriguntur a Severo usque ad Trebonianum.

Singulares capitum inscriptiones sunt:

Caracallae: M. AVS. (sic) ANTONINVS. PIVS. AV. GER. C. M. S. quas tres postremas literas legit Belleyus: *Colonia Metropolis Syriae.*

M. AVREL. ANTONINVS. PIVS. P. B. G. MAX. id est: P*arthicus*, B*ritannicus*, G*ermanicus* MAX*imus*.

Diadumeniani: M. OP. ANTONINOS. NOB. CAES.

Hactenus Philippus jun. credebatur primus, cui *Nobilissimi Caesaris* titulus delatus fuit.

ANT. AVG. GET. CAE. C. M. L. (*Colonia Metropolis Laodicea*) *Caracalla et Geta stantes jungunt dexteras*, in numo Domnae. (Mus. Caes.)

* * *

Epigraphe aversae, si qua alia, certe in Laodiceae coloniae numis mire variat, sed cujus una causa irruens barbaries.

In aliis est epigraphe Graeca, sed Latine exarata, ut:

LAODICEON. LAVDICEON. vel plenius: COL. LAODICEAS., vel LAODICEON. METROPOLEOS., et haec obtinet in variis numis a Caracalla usque ad Trebonianum. LAODICIA tantum, in numo Elagabali. (Mus. Caes.)

---

a) Hirtius Bell. Alex. c. 65. b) Pellerin Lettres p. 166. c) L. I. de Censib. d) B. L. T. XXIII. hist. p. 168.

Digitized by Google

In aliis Latina, ut: LAV. COL. ET. METROP. Item C. M. L. jam memoratum.

In aliis extreme barbara, ut: COL. SEP. AVG. ΓΑΟ. MATR. etc. COL. SEP. AVR. LAO. S. MATR. Hoc loco S videtur positum pro ET. Sane in numis Byzantiorum infimi aevi ea litera non raro pro ET ponitur, vidimusque expressum ET in epigraphe praecedente.

LAVDICEA saepe pro LAODICEA., ex quo arguimus, O literae A postpositum ab hominum vulgo ut V enunciatum, idque non in provinciis modo, sed in urbe etiam, atque ipsa Trajani aetate. Nam Plinius junior eos, qui miseros oratores spe *coenae laudabant*, per jocum vocavit *Laudicenos* a). Indocti igitur monetarii eodem exemplo in scribendo urbis nomine non scientiam, sed vulgarem usum secuti sunt.

Inde a Philippo capitis epigraphe Graeca est, aversae ut alias.

* * *

Honorum tituli:

Metropolis: cujus mentionem constanter retinet. De ea actum in imperatoriis.

Prima: hunc titulum colligit Belleyus ex epigraphe numi Elagabali: COL. LAO. P. S. METROPOLEO. id est: *Prima Syriae*, addit tamen, posse notare *Provinciae Syriae*.

Nomina ab impp.

Septimia a Severo coloniae auctore. Quare saepius se scribit: COL. SEP. vel COL. SEPT. Vide de hoc plura in imperatoriis sub eodem articulo.

Aurelia, a Caracalla: COL. SEP. AVR. etc.

Augusta, ex nomine imperatoribus omnibus communi: COL. SEP. AVG. etc.

* * *

Ludi:

ANTONINIANA. PVTI. *Duo Centauri vas malis refertum tenentes*, Caracallae.

Praeclare docuit Belleyus, nomine PVTI indicari ludos *Pythia*. Fuere mala victorum in his ludis praemia, ut copiose probabo in tractatu de ludis, et biformia haec monstra fuisse Apollini sacra, docent numi Gallieni cum epigraphe: APOLLINI. CONS. AVG. et typo Centauri. Marmor vetus Belleyo ignotum acta apud Laodiceam Antoniniana Pythia praeclare confirmat, in quo Aurelius Septimius praedicat: ЄN. ΛΑΟΔΙΚЄΙΑ. ΤΗ. ΠΑΤΡΙΔΙ. ΜΟΥ. ΠΥΘΙΑΔΙ. ΠΡΩΤΗ. ΑΧΘЄΙCΗ. ΟΙΚΟΥΜЄΝΙΚΟΝ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΙΑΝΟΝ. *Laodiceae, quae mea patria, in Pythiade, quae prima acta est, Occumenica Antoniniana* b).

* * *

Literae Δ. Є. in his coloniae numis saepe occurrunt, de quorum incerta significatione jam egi in Antiochia.

* * *

Typi reliqui illustriores:

Mulier turrita sedens, infra quam fluvius emergens, adstant 4. mulieres aliae ad eam conversae, Elagabali. (Pellerin Mel. I.)

Indicantur hoc typo 4. urbes Laodiceae metropoli subjectae. Miror ta-

a) L. II. epist 14. b) Chandler Inscr. ant. p. 92.

Digitized by Google

men, Laodiceae genium habere adjunctum fluvium, cum nullus alicujus nominis fluvius eam adlueret, Orontes autem ab ea esset remotior.

* * *

Quatuor equi lapidem forma coni effictum trahunt, Elagabali.

Existimat Belleyus, hoc typo proponi deum Elagabalum ab Elagabalo Romae publice vectum, ut docent ejus denarii cum simili typo. Sed cum hic deus ad Laodicenses non pertineat, videtur verius, eo exhiberi sacrum eorum lapidem, de quo egi in autonomis.

* * *

Silenus nudus stans d. elata, s. utrem, Treboniani. (Vaill.)

De hoc coloniarum typo vide tractatum de numis coloniarum.

* * *

Huc etiam revocandos numos sequentes docet Belleyus:

ROMAE. FEL. *Lupa gemellos lactans*, Caracallae, et Opeliorum. (Mus. Caes.)

AETERNVM. BENEFICIVM. *Modius frugibus refertus*, Caracallae. (Mus. Caes.)

Cur bini hi numi huc sint vocandi, (nam hactenus perperam cum Romana moneta miscebantur, etsi fabrica barbara coloniam manifeste loquatur) causa est I., quia in horum unius antica, quem vidit Belleyus, leguntur literae C. M. S., quae sunt etiam in aliis certis hujus coloniae numis, ut vidimus. II. quia reliquis Caracallae titulis additur P. B. G. MAX., qui tituli his siglis descripti in nullius alterius coloniae moneta comparent. Harduinus in simili Macrini pro ROM. FEL. legit BOS. FEL., et pro ubertate ingenii explicavit: *Berytus Opeliis Salvis* FELix [a]).

Typus numi prioris in coloniarum moneta obvius. Aversa numi alterius eloquitur frumentarias largitiones liberalitate principis in exteras urbes collatas, cujus argumentum simile est etiam in numo Sidonis adscripto AETER. B. FI. Nonnunquam enim imperatores urbibus id genus beneficia impertivisse, certum est exemplo Athenarum, quibus ab Hadriano adsignatum annuum frumentum docet Dio [b]), quod serius beneficium renovavit Constantinus M. [c]). Tripolitanis Africae Severus oleum gratuitum, et fecundissimum agrum donavit [d]). Privatim de Laodicea nostra Malala [e]): Severum urbis calamitatem miseratum, ad quam a Nigro redacta fuerat, quod adversus hunc pro se steterat, praeter privilegia alia pecunias illi frumentarias multas annuatim solvendas decreto sanxisse. Hic numus lucem accipit ex numo Nervae Romano: PLEBEI. VRBANAE. FRVMENTO. CONSTITVTO cum typo simillimo.

AE. C.

LARISSA.

Autonomi:

Caput Iovis laur. Ϟ ΛΑΡΙΣΑΙΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. *Thronus.* AE. II. (Pembrock, Pellerin Rec. I. p. 167.)

a) Ad Plin. T. I. p. 264. b) L. LIX. 16. Severo. c) Iulian. Orat. I. p. 8. d) Spartian. in e) Chronogr. L. XII.

Digitized by Google

Caput muliebre velatum turritum. ℞ *Eadem Epigraphe. Equus pascens.* AE. IV. (Theupoli.)

Hactenus ex antiquariorum scito una Thessaliae Larissa praeteritis eodem nomine aliis suos nacta est numos, sed observavi etiam, ei nonnullos ex alieno adjectos, in quorum numero pono eos, quos hic sisto. Causas fere easdem habeo, quibus motus numos ΔΗΜΗΤΡΙΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. Demetriadi Thessalicae ademptos, ut in hujus numis dixi, Demetriadi cuidam Syrae restituendos censueram, epigraphen intelligo, typos, et fabricam. Iam primum quae ibi de formula ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. et scripturae modo a moneta Europaea alienis disputavi, ad hanc etiam Larissam omnia valebunt. Idem intellige de typis, nam caput muliebre velatum turritum fere Cilicium tantum est et Syrum, thronus vero, vel sella sacra, ut typus est Europaeis urbibus ignotus, sic eadem is forma comparet in numis Polemonis sacerdotis Olbae Ciliciae. Eorum vero fabrica quantum abludat ab illa, quam offerunt certi Larissae Thessalicae numi, sola iconismorum inspectio abunde dictat. Quocirca cum omnia Larissam aliquam in oriente sitam eloquantur, ac praeterea certam habeamus Larissam Seleucidis Syriae, neque illam obscuram, sed a multis scriptoribus proditam, quos recitat Cellarius, nemo erit, qui eam non malit prae Thessalica horum patriam numorum agnoscere. Neque vero obstat, in horum uno effictum equum pascentem in Larissae Thessalicae numis obvium. Nam cum constet ex Appiano, Larissam Syriae a Macedonibus appellatam ex nomine Larissae Thessaliae [a]), pronum est credere, novos Larissaeos Larissae veteris ceu metropolis typos imitatos. Eodem modo videmus, Panos effigiem ex Pellae Macedonicae numis in monetam Pellae Decapolitanae, quae ab illa nomen accepit, traductam.

AE. RRRR.

MYRIANDRVS.

Ad sinum Issicum, et Ciliciae fines.

Imperatorii MTPIANΔPITΩN typis obviis Antonini et Aurelii. (Vaill.)

AE. RRR.

NICOPOLIS SELEVCIDIS.

Hujus nominis urbem in Seleucide diserte memorant numi, at ubi sita fuerit, lis est. Censent antiquarii, esse aut Issum, quae ex victoria Alexandri de Dario relata dicta fuit *Nicopolis* teste Stephano [b]), et Eustathio [c]), aut aliam huic vicinam Nicopolin, quam ab Isso diversam faciunt Strabo et Ptolemaeus. Vide hanc litem apud Haymium [d]), et Belleyum [e]).

Imperatorii:

NЄIKOΠOΛЄITΩN. THC. CЄ-ΛЄTKIΔOC. IЄPAC. CЄ. *Corona*, in numo Commodi, et Severi. (Haym. l. c.)

Postremas literas CЄ. (nam sic revera scribuntur sine puncto medio) Hay-

a) Syriac. b) in *Issus*. c) ad Dionys. v. 119. d) T. II. p. 299. e) B. L. T. XXX. p. 296.

Digitized by Google

mius legendas suspicatur Σεβαστης Ελευθερας. Res dubia.

ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. CEΛEYKIΔOC. *Mulier velata stans in templo distylo*, Alexandri Sev. (Pellerin Suppl. I. p. 38.)

AE. RRR.

PALTOS.

Maritima versus Phoenicen.

Imperatorii:

ΠΑΛΤΗΝΩΝ. *Dioscuri*, Commodi. (Vaill.)

ΙΟΥ. ΔΟΜΝΑΝ. ΑΥ. ΠΑΛΤΗΝΩΝ. ΣqΒ. *Caput Domnae*, in numo Severi. (Pellerin Mel. II. p. 137.)

Alius fere similis cum anno ЄΥ. (Mus. Caes. Veron. illustr. L. III. p. 235.)

Epochae initium dubium, quod fluctuat inter annos V. C. 657. et 673., de quo vide Pellerinium [a]), ubi adhuc nonnullos numos hujus urbis dubios citat.

AE. RR.

RAPHANEA.

In Casiotide secundum Ptolemaeum.

Imperatorii:

Elagabali apud Vaillantium, et Theupoli, Alexandri apud Pellerinium. Illi in numis suis legunt PAΦANЄΩΤΩΝ, hic PЄΦANЄΩΝ et PЄΦANЄΩΤΩΝ.

Typus in omnibus idem: *Mulier turrita stans d. pateram, s. cornucopiae, hinc et inde aquila, pro pedibus bos.*

* * *

Circumferuntur numi:

ANNIA. ΑΥΡΗΛΙΑ. ΦΑΥCΤЄΙΝΑ. *Caput Anniae Faustinae Elagabali uxoris.* Ϫ ЄΠΙ. CΤΡ. ΚΥΡΙΝΟΥ. PAΦANЄΩΤΩΝ. AOC. *Diana Ephesia et Apollo stantes.* AE. m. m.

Horum unus editus fuit ex museo P. Chamillard in Memoriis Trevoltiensibus mense Octobri 1706., quemque summis laudibus effert Harduinus [b]). Nemo non videt, numisma istud omnibus νοθειας characteribus esse infame, neque, quo istud credamus, opus esse omnibus iis argumentis, quibus numi hujus lepidos natales describit Valsechius [c]). Havercampus, qui similem numum ex museo suo citat, eumque cum fratribus omni fraudis suspicione liberare conatur in notis ad tabulas II. numismaticas, quae praefixae sunt tomo I. operum Iosephi, tanto magis eorum suspectam causam facit, nam satis apparet, suum quoque ejusdem matricis partum esse. Sane opulentissima alia, ac simul perpurgata musea iis carent, non quia hi numi rari, sed quia propter νοθειαν exclusi. Sed et ipsum Havercampum ab amico monitum huic numo fidem abrogasse docet Mazzolenus [d]).

AE. RRR.

RHOSVS.

In ipsis Syriae et Ciliciae finibus po-

a) Mel. II. p. 335. b) Opera sel. p. 820. c) [illegible]t. de Elag. trib. pot. V. p. 67. et 74. d) Animadv. in num. Pisani P. II. p. 138.

Digitized by Google

sita, sic ut a Strabone aliisque etiam Ciliciae urbibus insereretur. In ejus numos erudite commentatus est illustris Belleyus a).

Autonomi:

Caput urbis. ☧ ΡΩΣΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣ. *Figura stans inter duos pileos Dioscurorum.* AE. (Maffei Ant. Gal. p. 116.)

ΕΤΟ. ΗΜΡ. *Caput muliebre turritum.* ☧ ΡΩΣΕΩΝ. *Harpa.* AE. III. (Hunter tab. XXV. num. 11.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

ΡΩCЄΩN. ЄΤ8C. ΘIC. *Figura insistens monti d. fulmen, s. hastam,* Commodi. (Belley ex museo Pfau.)

ΡΩΣΕΩΝ. ΕΤΟΤΣ. ϛΝΣ. typus non proditur, Severi. (Wise Mus. Bodl. p. 205.)

En tibi omnes hactenus compertos Rhosi numos, et si cl. Combium sequi malis, eximendus adhuc numus alter autonomus Hunterianus, quem, quod ΔΩΣΕΩΝ legeret, non dubitavit *Dosae Assyriae* largiri b). Nemo credo erit, qui non jam ad ipsam Assyriae mentionem frontem corrugabit, praecipue cum viderit, numo huic cum reliqua hic recitata Rhosi moneta praeclare convenire, si modo elementum Δ in P mutaveris, quo loco verisimile est numo vitium oblatum. Iuvat hoc judicium harpa quoque, quae haud dubie ad Perseum pertinet. At constat etiam, in Ciliciae urbibus, quibus et accensebatur a nonnullis Rhosus, ac praecipue vicina Tarso Persei cultum fuisse celebrem.

Epochae anni in binis imperatoriis ejus sunt naturae, ut ab uno principio duci nequeant. Coactus ergo Belleyus duplicem epocham agnoscere, annum ϛΝC. duxit a Caesariana V. C. 706., et annum ΘIC. ab Augustana V. C. 723. Ex utra harum pendeat annus HMP. numi autonomi, incertum. Haec interim, donec aeram Rhosensem numi alii plenius confirment.

AE. RRRR.

SELEVCIA.

Maritima in Pieria, opus Seleuci I. Exstant hujus urbis numi *regii*, *autonomi*, *imperatorii*.

Regii:

1) *Caput radiatum Antiochi* IV. ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΕΝ. ΠΙΕΡΙΑΙ. *Iuppiter seminudus stans d. protenta coronam.* AE. (Pellerin Rois.)

2) *Caput Antiochi VII. diadematum.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑΙ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. - - ΑΣΤΛΟΥ. ΕΟΡ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam, s. hastam.* AE. (Mus. Caes.)

3) *Caput radiatum.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑΙ. *Fulmen super mensa.* AE.

Haymius et Pellerinius capite radiato exhiberi Antiochum VIII. censent, sed fatente ipso Pellerinio non respondent

a) R. L. T. XXX. p. 262. b) pag. 128.

Digitized by Google

vultus lineamenta. Verius igitur in antica est caput Apollinis Solis, et numi autonomis accensendi.

Regii alii, qui fulmen mensae impositum habent, hic certo signati sunt, etsi urbis nomen abest.

AE. RR.

Autonomi.

4) *Caput Iovis.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑΙ. ϛΞΡ. *Fulmen intra lauream.* AE. III. (Pembrock. Haym.)

Huc etiam pertinent numi ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. cum annis ΔΞΡ. ΕΞΡ. propter typum fulminis, de quibus egi initio numorum Seleucidis.

5) *Caput Iovis laur.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. *Fulmen.* AE.

6) *Caput Apollinis.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΜΠΙΕΡΙΑ. *Tripus.* AE. III. (Pellerin.)

7) *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Fulmen super mensa cum variis annis inferne scriptis:* Δ. Ε. ϛ. Ζ. ΑΙ. ΒΙ. ϛΙ. ΖΙ. ΗΙ. ΑΚ. AR. max. mod. (Pellerin, Hunter, Mus. Caes. Neris, Pembrock, Theupoli.)

8) *Caput Iovis laur.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. II. (Hunter.)

9) *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Victoria gradiens, in area* ΓΙ. AR. III. (Hunter.)

10) Ε. ΝΙΚ□ΜΗΔ□Υ. ΗΠΡ. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤ□Ν□Μ□Υ. *Fulmen super mensa.*

Sic epigraphen anticae legit Pellerinius, verum in similibus aliis Panelii, (Mem. Trevoux Octob. 1737.) musei Caesarei, et Ill. Comitis ab Erbach, quem vidi ipse, legitur ΕΠΙ. Κ□Μ□-Δ□Υ. Observandum in his numis O quadratum.

11) ΙΕΡΑC. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ϹΕΛΕΥΚϹ--ΠΙΕΡΙΑC. *Fulmen super mensa, infra quam* Δ. AE. (Pellerin.)

12) ΙϹΡ. ΑϹΥ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ϹϹ-ΛϹΥΚΕΩΝ. ΠΕΙΕΡΙΑC. *(sic)* ΖϹΥϹ. ΚΑϹΙΟC. *Templum 4. columnarum, intra quod lapis, juxta* Ϲ. AE. II. (Pellerin.)

AR. RR. AE. R.

Imperatorii:

13) ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Fulmen super mensa*, Augusti. (Vaill.)

14) ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΜ. *inter lauream*, Tiberii. (Vaill.)

15) ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Caput muliebre velatum turritum prominente pone palmae ramo, juxta* $\frac{BC}{K}$ *(sic)* Domitiani. (Noris, Morelli in Domit.)

16) ϹΕΛϹΥΚΕΩΝ. ΠΙϹΡΙΑC. ΖϹΥϹ. ΚΑϹΙΟC. *Templum 4. col., intra quod lapis, juxta* ϛ, Trajani. (Vaill.)

17) ϹΕΛϹΥΚϹ - - qP. *Pallas stans*, Antinoi. (Pellerin.) Vide de hoc numo infra in epocha.

18) ϹΕΛϹΥΚΕΩΝ. ΙϹΡΑC. ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ. *Iuppiter sedens d. fulmen, s. hastam*, Severi. (Vaill.)

Digitized by Google

19) CЄΛЄTKЄIAC. ΠIAIPIAC. (*sic*) ΛC. *Fulmen super mensa*, Caracallae. (Pellerin Rec. III. p. 241.)

20) ZЄTC. KЄPATNIOC. CЄΛЄTKЄΩN. *Fulmen super mensa*, Caracallae. (Vaill.)

21) CЄΛЄTKЄΩN. AT. K. A. *Tres Corybantum mulieres cum tympanis et bacillis circum Iovem puerum sellae insidentem saliunt*, Macrini. (Pellerin Lettres p. 10.)

22) CЄΛЄTKЄΩN. ΠIЄPIAC. CΠΘ. Alexandri. (Vaill.)

AE. RR.

* * *

Fulmen super mensa, typus obvius. De hoc Appianus de Seleuco conditore loquens [a]): *Ajunt, in condenda ad mare Seleucia secutum augurium fulminis, ideoque etiamnum fulmen tanquam deum consecratum, ac hymnis celebratum.* Atque ad Seleucenses pertinet, quod scribit Cyrillus [b]): *Graeci fulmen adorant.*

ZЄTC. KЄPATNIOC. in numo 20. Hesychius verbo Κεραυνιας addit: και Ζευς ἐν Σελευκια.

ZЄTC. KACIOC. frequenter inde a Trajano, specie lapidis informis. Pausanias [c]): *apud Graecos mos olim fuit, informibus lapidibus pro simulacris divinos honores habere.* Istud valet etiam ad Venerem Paphiam, Dianam Pergaeam, aliosque, ut suis locis dictum. Narrat Suidas [d]), *Trajanum argenteos crateres, et maximum cornu bovis inauratum primitias victoriae a Getis relatae huic Iovi Casio dedicasse addito ab Hadriano epigrammate*, quod ibi in subjecta nota integrum apponitur. Dictus autem est *Casius* a monte Casio urbi imminente. In hoc Syriae monte vetus Iovis memoria; nam fugientem Typhonem Iuppiter hucusque est persecutus, ut tradit Apollodorus [e]). ZЄTC. KACIOC. est etiam in numis Corcyrae, sed alia appellationis causa.

Iuppiter puer in Corybantum choro, numo 21. Simile argumentum vidimus etiam in moneta Apameae et Laodiceae Phrygiae urbium.

* * *

Magistratus:

ЄΠI. ΣIΛANOT. ZM. in numo Tiberii, de quo egimus in moneta Antiochiae.

Є. NIKOMHΔOT. vel potius: ЄΠI. KOMOΔOT. in numo 10., quem signatum censeo sub Antonino, ut infra in *epocha* dicetur.

* * *

Honorum tituli:

Numus hujus urbis vetustissimus, nempe cum capite Antiochi IV., nullum adhuc titulum, solam situs mentionem sistit. Quare censeo, numos omnes autonomos absque his titulis ad haec et vicina tempora pertinere.

Sacra, Asylum: leguntur primum in numo Antiochi VII., qui signatus est anno Seleucidarum ЄOP., et videtur urbs hos honores nacta aut sub hoc rege, aut paullo ante; nam in autonomo, qui per annum ΞP. novennio ante signatus est, iis adhuc abstinet. Ιερας mentio saepe occurrit. Ασυλια rarius, et tantum in hoc Antiochi VII.,

a) In Syriac. b) Catech. 13. c) L. VII. p. m. 579. d) in Κασιον. e) L. I. c. 6. §. 3.

Digitized by Google

in autonomo n. 12., et in numo Macrini, in quo legitur AT. K. A. id est: ΑΤτονομε Και Ασυλε.

Autonoma. Hujus frequens mentio, at dempto citato Macrini numo constanter jungitur cum IEPAΣ, uterque vero titulus post Augustum raro in moneta notatus fors incisis per intervalla privilegiis. Seleucenses autonomiam sibi extorserant inter discordias Antiochi VII. et VIII. fratrum. Factum istud secundum Eusebium V. C. 645., secundum Fastos Siculos 646. Norisius priori sententiae adhaesit. Haec libertas causa fuit Seleucensibus condendae novae epochae, ut dicetur.

* * *

Mentio situs a Pieria. Plinius: *in promontorio autem Seleucia libera, Pieria appellata.* Fuit in Macedonia regio teste item Plinio, quae a nemore *Pieria* appellabatur, a qua eum Syriae tractum, in quo fuit Seleucia, Seleucus Pieriam appellavit.

* * *

Epocha: quatuor forte variis epochis usi sunt Seleucenses docentibus numis:

I. *Seleucidarum* V. C. 442. Est haec sine dubio in numis loco II. et IV. allatis.

II. Ab obtenta *autonomia* V. C. 645. Hanc cum Norisio video in argenteis num. VII. citatis, expressam numeris a Δ usque AK, progredientibus. Pellerinius istud in dubium vocat, citatque varios numos Trajani aetate signatos, in quorum area variae literae solitariae vagantur, quae adeo ab anno autonomiae peti non possunt. At credo distinguenda esse tempora, et si solitariae hae notae, quae inde a Trajano usque ad Commodum in plerarumque Syriae urbium moneta visuntur, ad nullam epocham applicari possunt, non sequitur, idem esse sentiendum de literis, quae certo quodam progressu, atque adeo certa lege signatae sunt in tetradrachmis, duobus minimum saeculis ante Trajani aevum percussis. Observandum praeterea, eas notas imperatorum aevo numis impressas nunquam numerum Θ excedere, ut diximus in numis Berhaeae Cyrrhesticae. Ad eandem epocham Norisius quoque exigit numum loci XV., sic tamen, ut subjectam literam K non pertinere ad annum epochae, sed esse notam monetarii existimet.

III. *Pompejana* ab anno V. C. 690. Ad hanc Pellerinius exigit annum qP. descriptum in numo Antinoi num. XVII. Signatus ergo esset V. C. 879. Sed enim in vivis adhuc tum erat Antinous, ut dicitur in ejus numis, neque constat, ejus nomine, quoad vixit, signatos fuisse numos. Ad haec cum videam, in nulla Syriae urbe huic catamito dedicatos fuisse numos, typus Palladis plane alienus sit a Seleucensium moneta, in ipso vero numo aliud legi non possit, quam CЄΛЄTKЄ - -, jure vereor, ut numus sit hujus Seleuciae. Si non fallit Vaillantius, ab hac epocha pendebit annus CΠΘ Alexandri Severi, qui alteri epochae nulli applicari potest.

IV. *Actiaca* ab anno V. C. 723. Hujus est annus ZM in numo Tiberii num. XIV., de quo vide dicta in moneta Antiochiae, item annus ΛC. Caracallae num. XIX. Ad hanc etiam forte exigendus autonomus cum anno HΠP.

Digitized by Google

num. X., qui adeo signatus esset imperante Antonino.

Secundum horum numorum testimonia Seleucenses sub Tiberio secuti sunt aeram Actiacam, sub Hadriano Pompejanam, sub Caracalla Actiacam, sub Alexandro Pompejanam. Haec inconstantia facit, ut nonnihil virorum eruditorum praeconiis, quibus forte fallax lectio imposuit, liceat diffidere. Non absimilis levitas in variandis epochis aliquando etiam Sinopensibus et Amisenis objecta fuit, a qua tamen eos injuria feliciter purgavi. Quare saltem ea monumenta, quibus ea inconstantia confirmatur, novo videntur examini subjicienda. Fors tollenda Pompejana binis solum numis nixa.

* * *

Notae arithmeticae in numis
Trajani: A. Γ. Δ. Ε. ϛ.
Hadriani: Γ.
Antonini: Δ.

Cum apud plurimas Syriae urbes mos obtinuerit, ut in numorum area inde a Trajano usque ad Commodum signarentur similes notae solitariae, ad haec tempora revocandi haud dubie sunt autonomi his insignes. Vide, quae supra ad II. epocham dixi.

COELESYRIA.

ADRAMA.

Vide *Adraa* Arabiae.

CAPITOLIAS.

Quod fuerit vetus ejus nomen, non constat. Harduinus numos omnes Capitoliadis nomine inscriptos Coloniae Aeliae Capitolinae tribuendos docet, quem solidis argumentis refellit Norisius, praecipue quod Capitolias nostra sese autonomam dicit, quod coloniis non competebat, deinde quod hi numi coloniae mentione abstinent, quae tamen in numis certis Aeliae Capitolinae nunquam abest.

Imperatorii:

Ab Aurelio usque ad Macrinum. Singularis est numus editus a Liebeo: (Goth. p. 322.)

Π. CЄΠ. ΓЄTAC. *Caput Getae nudum.* Ꝟ IMAKΓ. KAΠIAA. *Caput muliebre, juxta annus* HP. AE. II.

Ingeniose auctor caput aversae ait esse Iuliae Domnae, et literas ἀρχαιϵσας explet: Ιυλια Μητηρ Αντωνειυ Και Γϵτα. ΚΑΠιτωλιϵων Ιϵρας Ασυλυ Αυτονομυ.

Epigraphe: ΚΑΠ., ut mox vidimus, ΚΑΠΙΤΩ, vel ΚΑΠΙΤΩΛΙЄΩΝ addito I. A. A. vel IЄP. AC. AT. et epochae anno.

Digitized by Google

Typi:

Mulier turrita stans d. hastam, s. cornucopiae, etiam in templo. In numo Macrini apud Pellerinium *caput humanum tenet.*

Iuppiter sedens d. globum, s. hastam in templo 8 col., in cujus fastigio quadrigae decurrunt. (Noris.)

Haud dubie hic est Iuppiter Capitolinus, a quo urbi nomen inditum.

Hi numi simillimi sunt numis Mocae Arabiae.

Tituli *sacrae*, *asyli*, *autonomae* in plerisque numis.

Epochae anni.

HΞ. Aurelii. (Vaill.)

ΘΞ. Veri. (Vaill.)

Γq. Commodi. (Vaill.)

HP. Severi. (Vaill. Mus. Christinae.)

HP. Caracallae. (Noris. Ep. Syrom. p. 478. Getae. (Liebe.)

PK. Macrini. (Mus. Caes.)

Libenter cum Norisio diffido lectioni ZKT. in numo Veri, quem ex museo Mauroceno is recitat [a], qui annus cum reliquis omnino non cohaeret.

Norisius initium epochae primum fixit ad annum V. C. 839 [b]. Serius adeptus numum Caracallae jam Augusti, illud distulit ad autumnum V. C. 843. Nondum vir summus viderat numos Aurelii et Veri cum annis HΞ. ΘΞ., qui deducti ab 843. incidunt in aetatem, qua neuter adhuc Augustus fuit. Numus Macrini, quem recens ex museo Caesareo protuli, initium necessario ad annum V. C. 850. vel 851. defigit, ad quod omnes alii aliorum imperatorum anni commode possunt exigi. Hi anni incidunt in postremum Nervae, et primum Trajani. Causam stabilitae hujus aerae apud auctores non reperio.

AR. RRR.

DAMASCVS.

Ejus tractus princeps, antiquae famae, et ab ubertate soli, aedium magnificentia, festorum splendore celebrata a Iuliano Aug. [c]. Olim Arabiae attributa, de quo vide Spanhemium [d].

Autonomi:

Epigraphe in his constans: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ.

Typi:

Caput muliebre turritum. Ɍ. *Victoria gradiens*, vel: *Mulier stans d. gubernaculum, s. cornucopiae.*

Caput Bacchi. Ɍ. *Duo thyrsi in decussem dispositi.*

Caput Solis. Ɍ. *Caput lunae, nempe: caput muliebre lunae impositum.* Typus explicabitur in Damasco colonia.

Aries currens et respiciens solem lunamque, ut in numis Antiochiae.

Cerva stans. V. Damascum coloniam.

Mulier turrita insidens rupi d. extenta, s. cornucopiae.

Pallas stans. Mercurius stans.

Sunt numi apud Pellerinium, Arigonium, Theupoli, in Museo Caesareo.

Epocha, quam dicemus esse Seleucidarum, pluribus numis est inscripta,

a) l. c. p. 280. b) l. c. p. 280. c) Epist. 24. ad Serapion. d) T. II. p. 609.

Digitized by Google

cujus anni incidunt in IIIvirorum, Augusti, Tiberii, Neronis aetatem.

In numis, in quibus est caput muliebre diadematum, et anni ΕΟΣ. ΠΣ., auctor catalogi Theupoli Cleopatrae effigiem videt [a]). Haec sententia etsi nihil habeat absoni, nam in ejus reginae moneta numum alium producemus Aradi verisimiliter signatum, tamen maluit Pellerinius id genus numos autonomis accensere.

AE. RR.

Regii.

ARETAS Damasci rex.

Caput regis diadematum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΕΤΟΥ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Mulier capite turrito rupi insidens d. spicas, s. cornucopiae, pro pedibus fluvius emergens.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli Specim. p. 227.)

Aretae Arabiae principes jam altero ante Christum saeculo memorantur, quos ex libris Macchabaeorum, et Iosepho collegit Frölichius [b]). Alii deinde Aretae Damasci reguli produntur. Horum uni, Arabici item sanguinis, Damasceni regum Syriae rixas et impotentiam pertaesi sese dediderunt teste Iosepho. Alter a Pompejo M. misso Aemilio Scauro ad pacem adigitur, de quo agemus in denariis Aemilii Scauri, quibus ipse inscriptus legitur: REX. ARETAS. Tertius Aretas Damascenus perhibetur a D. Paulo [c]). Numos praesentes Damasci signatos dubitare non sinit typus partis aversae huic urbi proprius. Ergo certum est etiam, esse alicujus Aretae Damasceni, atque aut primi, aut secundi. Titulus ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, *amantis Graecorum*, dubium non satis expedit.

Sub Trajano Cornelius Palma Syriae praeses pulso Arabum rege urbem Syriae adjecit, ac deinceps perpetuo Romanis paruit, deducta etiam, ut dicetur, colonia.

AE. RRR.

Imperatorii.

Sunt Augusti, Tiberii, Neronis, deinde a Trajano usque ad Alexandrum Sev. Ex his maxime conspicuus foret numus Anniae Faustinae Elagabali uxoris, isque maximi moduli, cujus aversa sic describitur in museo Theupoli: ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. ΕΛΦ. ΔΟΙΜΑΤΙ. ΣΤΝΚΛΗΤ - - - ΟΙΚΟΥΜΕΝΙΚ - - - ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Nolo in reliquis hujus epigraphes ineptiis refutandis diutius immorari. Satis numum male consarcinatum condemnat annus epochae ΕΛΦ., qui extra Elagabali aetatem cadit. Finxit numum homo impudens, quod sciret, hujus Faustinae numos propter raritatem expeti, sed prodidit eum ignoratio chronologiae. Vide etiam, quae de hoc numo in moneta hujus Faustinae observabo.

Epigraphe: ΔΑΜΑCΚΟΥ. ΔΑΜΑCΚΗΝΩΝ.

Typi: *Caput muliebre turritum, in nonnullis pone cornucopiae. — Mulier turrita rupi insidens s. cornucopiae, d. protenta piscem*, (ut putat Vaillantius) *spicas*, (ut Pellerinius) *in aliis videtur*

a) Pag. 1208. b) Not. elem. p. 199. c) Ep. II. ad Corinth.

Digitized by Google

bacillus, clava etc. Nonnunquam sub pedibus fluvius emergens. De aliis typis agetur infra in Colonia.

* * *

Ludi: CEBACMIA. in numis Elagabali et Alexandri, *intra coronam civicam.* Iidem frequenter occurrunt in numis Damasci coloniae.

* * *

Metropolis: ΔAMACKHNΩN. MHTPOΠOΛEΩC. primum legitur in numis Hadriani, et cum in aliquot ejus numis hic titulus omissus sit, dubium non est, ad eam dignitatem ab hoc imperatore fuisse evectam. In causa fuisse videtur odium ejus Augusti adversus Antiochiam; quare et Syriam a Phoenice sejungere meditabatur, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur, ut narrat Spartianus [a]). Parum validam ejus causam aliquando dedit Vaillantius [b]), quasi eum honorem nacta esset ab Hadriano in gratiam Nicolai Damasceni; at serius veriorem ex Spartiano amplexus est [c]). Metropolis mentionem deinceps vix amplius omisit, neque in numis etiam coloniae nomine.

* * *

Epocha praefixo L.

EKT. Augusti. (Vaill.)

EΛT. Tiberii. (Pellerin Lettres p. 257.)

EMT. Tiberii. (Vaill. Morelli.)

ΔOT. Neronis. (Morelli.)

ZOT. Neronis. (Vaill. Mus. Caes.)

ZΠT. Domitiani (Pellerin Mel. II. p. 319.) vi epochae adhuc Caesaris.

ΘΛT. AMT. Hadriani. (Vaill.)

TMΓ. Antonini. (Arigoni.)

Epocha est Seleucidarum ab anno V. C. 442., at fallit numus postremus, quem necesse est esse Hadriani.

* * *

Sacra: ΔAMACKOT. IEPA. MHTPOΠOΛ. Alexandri Sev. et Gordiani teste uno, quod norim, Spanhemio [d]).

AE. R.

Colonia. Hoc nomine signari numi incipiunt sub Philippo, et desinunt cum Salonino. Numus Elagabali apud Theupoli coloniae mentionem jam facit, cui vix adsentiar, nam exstant adhuc numi Alexandri Damasci non coloniae.

Epigraphe Latina: COL. DAMA. METRO., saepe etiam plenius, mixtis non raro literis Graecis; saepe turpiter barbara.

S. C. in aversa numi Aemiliani, ut in Antiochenis. (Vaill. Bandur.)

Typi:

Cupressus, cujus in Damasci moneta plantatae causam inde peto, quod haec arbor soli sacra fuit, nam Cyparissus Phoebo carus in hanc mutatus fuit. Solem autem inter praecipua fuisse Damasci numina, mox videbimus, et universim Syros veneratos esse Solem, narrat Dio [e]).

Cupressus inter equum et bovem. Typum explicat autonomus supra descriptus, in quo hinc caput Solis, inde Lunae. Fuit autem equus victima Solis, ut bos Lunae, quod utrumque satis olim probavi [f]). Cupressus item utrique numini sacra, Soli, ut continuo dictum,

a) In Hadriano. b) Num. colon. sub Philip. sen. c) Num. Graec. p. 208. d) T. I. p. 660. e) L. LXV. c. 14. f) Num. vet. p. 197. et 249.

Digitized by Google

Lunae, quae fuit eadem cum Hecate, vel Proserpina, idque quia Diti sacram pronunciavit Plinius.

Silenus stans propter cupressum utrem humero gestans, etiam intra templum. Fuit hic deaster solitum coloniarum numen, ut dicetur in tractatu de harum numis.

Bacchus stans inter duos palmites, Treboniani. (Vaill.) Bacchum vites per Syriam plantasse, at impeditum a Damasco quopiam, a quo urbi nomen, fabulatur Stephanus. (in Damasco.)

Cerva puero ubera praebens. Vaillantius animal illud *damam* dixit, quod fere eodem recidit, atque a *dama* fors Damascum appellationem trahere. At vero Damasci nomen Graecum non est, sed pervetustum Hebraicum, cum in sacris literis jam dicatur דמשק. Quid quod *dama* verbum Graecum non est, et verbum adfine δαμαλη non *damam*, sed *buculam*, *vitulum* significat, adeoque Damascus non potuit nomen trahere ab animali in numo signato, quod disparis naturae est illi, quod urbis nomen eloquitur. Dici posset, Latinos urbis colonos hoc typo damae vel cervae usos ea solum de causa, ut ad urbis nomen adluderent. Verum cerva jam fingitur in autonomo Pelleriniano, et alio apud Norisium [a]), qui coloniarum numis multo sunt priores. Est ergo argumenti Graeci. Iam vero videmus eundem cervae puellum lactantis typum in numis Tegeae Arcadiae, quem diximus esse Telephum, de cujus fabula constat. Si audimus Stephanum, Damascus Mercurii F. ab Arcadia in Syriam veniens urbem sui nominis condidit. Sin istud creditum revera fuit Damascenis Graecis, pronum est opinari, eos majoris suae patriae facta domestica in numis proposuisse. Quid quod Cyparissum, cujus memoriam Damasceni signata in numis, ut dixi, cupresso aliquo modo conservarunt, ejusdem Telephi filium faciat Servius [b]).

ΠΗΓΑΙ. *Specus, in quo fluvius decumbens*, Otaciliae. (Vaill.) Typus est, ut in numis Latinis inscriptis: AQVA. TRAIANA. Verbum ΠΗΓΑΙ *fontes* indicat. Fuit Damascus sita ad fluvium Chrysorhoam, sed qui aliorum fontium accessione vires accepit; nam et bini amnes apud Damascum aevo remotissimo in sacris litteris memorantur [c]): *Nonne meliores sunt Amanah et Parpar fluvii Damasci omnibus aquis Israelis?* Quare et in numo Herennii apud Pellerinium infra mulierem sedentem duo sunt fluvii emergentes [d]). Huc distuli explicationem numi Graeci cum capite Macrini, quem edidit Pellerinius [e]). In hoc fingitur *mons, ex quo duo fluvii decurrunt, quique ad ejus pedem videntur in unum coire.* Secundum hunc numum Ptolemaeus: *ex Damascenorum montibus fluvius Chrysorhoas appellatus.* Fluvii hi in plures secti canales et fertilitatem agro Damasceno singularem, et jucunditatem conciliavere. Quare Iulianus in laudata epistola inter reliqua encomia eum commendat etiam a πηγων ἀγλαΐᾳ καὶ ποταμων πληθει, καὶ γης ἐυφοριᾳ, *fontium amoenitate, fluviorum numero, et terrae ubertate.* Iure igitur merebantur

a) Ep. Syrom. p. 78. b) ad Aen. III. 680. c) Reg. IV. c. 5. d) Rec. II. p. VII. e) Lettres p. 9.

Digitized by Google

hi fontes et rivi, ut numorum quoque praeconio celebrarentur, quorum amoenitas et beneficia hodieque urbem commendant teste Pocokio.

Mulier turrita superne insidens monti, juxta quam Pegasus, et Silenus, inferne quinque mulieres sacrificant, Otaciliae. (Vaill.)

Stantes infra mulieres totidem urbium genii sunt, quae Damascum metropolin suam venerantur. Simile argumentum vidimus in numis Neocaesareae Ponti et Laodiceae Syriae. De Sileno actum. Pegasus, ut acute observat Vaillantius, videtur hic allegorice positus in locum των πηγων Damasci celebratarum, de quibus continuo egimus, quod et hic ἀπο των πηγων nomen nactus est.

* * *

Legiones:

Lupa cum gemellis, retro vexillum, in quo LEG. VI. F. Otaciliae. (Vaill.)

LEG. III. GAL. *inscriptum vexillo, hinc et inde aquila*, Volusiani, et Treboniani. (Vaill.)

Inscriptae ergo binae legiones in hoc tractu stetere. De legione III. testatur Dio loquens de legionum sua aetate stationibus: *Tres tertiae, una in Phoenice, Gallica nomine* a). Eandem jam prima Augustorum aetatae huic regioni fuisse applicatam, idem Dio refert, cum narrat, in exercitu Vespasiani fuisse legionem III. Gallicam, quae in Syria hiemare solebat b). De legione VI. idem Dio *Sextae duae, - - - altera in Iudaea, Ferrata* c), quo docemur praeterea, literam F, quae τῳ LEG. VI. additur, explendam: *Ferrata*. Narrat Tacitus sextam et tertiam legionem sub Corbulone in bello Armeniaco militasse ex Syria excitas d).

Mulier turrita rupi insidens, infra duo fluvii emergentes, hinc et inde vexillum, uni inscriptum S', *alteri* T., Herennii. (Pellerin Rec. II. p. VII.)

Hujus explicatio numi a praecedentibus pendet; nempe ut in his legio *sexta* et *tertia* notis VI. et III. indicantur, sic in praesente literis ἀεχαιϑσαις S. T. At non admittit istud Pellerinius; nam cum το S perinde notare posset *Sextam* et *Septimam*, et το T *Trigesimam* credibile ipsi non videtur, a Damascenis adhibitam inscriptionem, quae duplicem sensum admitteret. Quare legit potius *Scythica* et *Trajana*. Nimium hoc loco anxium video Pellerinium. Certum est, legionem VI. et III. vel earum saltem partem apud Damascum commoratam, et quidem Herennii aetate, cur ergo literas S. T. aliter explicemus? atque etsi de legione Scythica constet ex eodem Dione, eam huic regioni fuisse adfixam, an istud etiam de Trajana constat? Damascenis sensus duplex imponere non potuit, in quorum tantum usus haec pecunia percussa fuit. Legio III. GAL. legitur etiam in numis Tyri.

* * *

Ludi:

CEBACMIA. saepe in hujus coloniae numis, perinde atque in imperatoriis Graecis, ut dictum.

AKTIA. KAICAPIA. *intra quernam*, Philippi sen. Numum edidit Vaillantius ex thesauro regio, cujus iconismus propter

a) L. LV. c. 23. b) L. LXV. c. 14. et XV. 26. c) L. LV. c. 23. d) Ann. XIII. 35. 38.

Digitized by Google

inscriptum ΔAMA. numum Damascum quidem referendum docet, verum editor eum Tyri numis miscuit. Lapsum corrigant, quibus numum inspicere datur.

* * *

Nomen ab imperatore: COLONIA, AEMILIA. ΔAMAϹϹO. MHTPO. nempe ab Aemiliano, cujus est numus. (Bandur.).

* * *

Commemorandus denique aeneus infimi aevi, in quo juxta signum imperatoris stantis, quem Leonem IV. profitetur praeco Sestinus, legitur ΔAMAϹKOϹ, de quibus agemus in moneta Leonis IV. Chazari.

AE. C.

HELIOPOLIS.

Hodie *Baalbek*, ad Libanum montem, et fontes Orontis teste Plinio. Secundum etymon *Solis urbs*, cujus et insignem in hac urbe cultum mox docebimur.

Autonomi non exstant, ut nec *imperatorii* Graeci, etsi Holstenius ex Gotifredo numum proferat inscriptum: HΛIOΠO. ΠPϹϹ. ΛIBANON. [a]) sed qui ex typo viri equum ducentis certo est Laodiceae ad Libanum, de qua proxime. Quin consultus a me Cl. Montius *νυν ἐν ἁγιοις*, cujus curae museum Christinae commissum fuit, respondit, praeter verba ΠPOϹ. ΛIBAN. in hoc numo nihil aliud confidenter legi.

Colonia deducta fuit seu a I. Caesare, seu verius Augusto, ut arguunt addita IVL. AVG. Male Holstenius, aliique ejus conditorem arguunt Severum nixi testimonio Vlpiani [b]): *Est et Heliopolitana, quae a D. Severo per belli civilis occasionem Italicae coloniae remp. accepit*, quae verba non indicant, ab imperatore Severo deductam coloniam, sed jus Italicum concessum, nam sic et Paulus Carthaginem, Vticam, Leptim magnam a Severo *juris Italici factas* adserit [c]), quas pridem antea fuisse colonias constat. Litem terminant numi Nervae et Hadriani, qui ante Severi aetatem diu signati coloniae jam mentionem faciunt.

Numi sunt a Nerva (Pellerin) usque ad Gallieni aetatem.

Epigraphe: COL. HEL. vel: C. I. HEL. vel: COL. IVL. HEL. vel: COL. H. in numo Hadriani, (Vaill.) COL. HELIOP. Gordiani (Pellerin). Inde a Caracalla fere semper COL. IVL. AVG. FEL. HEL.

Typi:

I. O. M. H. COL. HEL. id est: *Iovi Optimo Maximo Heliopolitano. Templum* IO. *columnarum*, inde a Severo frequenter.

Fuisse Heliopolin Soli devotam, nomen prodit, numi distincte non indicant, qui potius Iovem peculiari ratione cultum manifestant. At rem optime conciliat Macrobius [d]), qui cum primum ex multis testimoniis docuisset, Iovem eundem esse cum Sole, mox propius haec memorat: *Assyrii quoque Solem sub Iovis nomine, quem Δια Ηλιοπολιτην cognominant, maximis caerimoniis celebrant in civitate, quae Heliopolis vocatur.* Addit, dei simulacrum sumptum ex cognomine Aegypti urbe Heliopoli, et habere aliqua Iovis, aliqua Solis, nam esse specie imberbi dextera elata cum flagro in aurigae

a) ad Steph. in Heliop. b) L. I. de Censib. c) L. II. de Censib. d) Sat. L. I. c. 23.

Digitized by Google

modum, laeva tenere fulmen et spicas, quae cuncta Iovis Solisque consociatam potentiam demonstrant. Sed et Iulianus Aug. Solem eundem cum Iove late comprobat in oratione in regem Solem. Vnde et Sarapis idem Iuppiter, idem Sol. Hujus etiam Iovis cultus extra Heliopolin viguit, neque modo apud vicinam Berytum, sed etiam remotissimos Puteolos docente istud marmore, quod edidit Muratorius sub Trajano positum: (pag. 231. 4.) CVLTORES. IOVIS. HELIOPOLITANI. BERYTENSES. QVI. PVTEOLIS. CONSISTVNT. De templo in numis his spectabili haec Malala [a]): *exstruxit hic* (Antoninus Pius) *apud Heliopolin Phoeniciae Libani magnum Iovi templum, quod et ipsum inter mirabilia opera numerandum est.* Et forte superstites adhuc ruinae, et tam propter magnificentiam, quam artem admirandae, quas pictas stitit Pocokius, ad idem templum pertinuere.

* * *

I. O. M. H. *Cupressus intra templum*, Philippi et Otaciliae. (Vaill.)

Typus hic mox dicta de Iove et Sole uno nomine comprehensis confirmat; epigraphe namque ad Iovem, arbor ad Solem refertur, cui eam sacram fuisse supra in Damasco docui, in cujus quoque numis visitur.

* * *

Caput muliebre velatum turritum, pone ramus lauri, typus obvius.

* * *

Legiones:

LEG. VIII. AVG. V. MACEDON. *Caput muliebre turritum cippo impositum adstante hinc et inde milite cum vexillo*, Philippi sen. (Vaill.)

Easdem legiones eloquitur frequens in his numis typus duarum aquilarum legionariarum. In numis Beryti non admodum distantis jam inde ab Augusto leguntur legiones V. et VIII., perinde ac LEG. III. GAL. in numis cum Damasci, tum Tyri. Ex quo apparet, legiones V. et VIII. partem stetisse Beryti; partem Heliopoli. Et docet Strabo [b]), Berytum a Romanis instauratam duabus legionibus ibi ab Agrippa collocatis. Quotae illae fuerint, Strabo non docet, sed docent numi. Legionem V. stetisse in Iudaea, et Titi partes secutam tradit Tacitus [c]). Haec vera sunt cum ex historicis, tum numis. At difficultatem non exiguam offerunt testimonia contraria cum historicorum, tum numorum. Legio V., quae aetate Augusti, Titi, Philippi in Syria stativa habuit, aetate Dionis adfixa fuit Daciae, ut diserte hic prodit: πεμπτον Μακεδονικον ἐν Δακιᾳ. Ibidem eam commoratam sub Philippo, et sequentibus imperatoribus, obvii Daciae numi satis confirmant. Non tantum mihi tribuo, ut ausim me hujus discordiae arbitrum ferre, nam et plures aliae mihi forent componendae, ut cum Dio legionem VIII. Augustam in Germania superiore constituit, quod et confirmatur tegulis apud Argentoratum effossis teste Schöpflino, in quibus scriptum: LEG. VIII. AVG. [d]) numi Beryti et Heliopolis ab Augusto usque ad Philippum saltem in Phoenicia et Syria; aut cum legionem IV. Scythicam in Syria ponit, quam numi Viminacii Moesiae superiori vindicant; aut

a) Chronogr. L. XI. b) L. XVII. c) Hist. V. 1. d) B. L. T. X. p. 457.

Digitized by Google

eum Tacitus imperante Nerone legionem V. e Moesis ad bellum Parthicum recens excitam narrat [a]), quae tamen in Beryti numis sub Augusto et Claudio signatis jam legitur. Vide de hoc argumento nonnulla praeclare observata a Fabricio [b]).

COL. H. LEG. H. *Quae mulieres stantes, quarum singulae gubernaculum tenent*, Hadriani. (Vaill.)

Alius, sed cum epigraphe: C. I. HEL. LEG. H. (Mel. I. p. 273.)

Vaillantius LEG. H. explicat LEG*io* *Heliopolis*, cum quo sentit etiam Pellerinius. Verum cum legio vel legiones in his numis notatae aliae verisimiliter non sint, quam V. et VIII., et haec non minus excubuerint Beryti, quam Heliopoli, mirum videatur, cur Heliopolitanae dicantur, quae perinde poterant dici Berytiae. Quod si Heliopolitanae vocabantur, miror, eas tantum sic vocari in numis Hadriani, nunquam in numis aliorum imperatorum, cum non cessaret appellationis causa. Quare potius censeam, eas legiones adulationis causa sese appellasse *Hadrianas*, quae appellatio τῷ H. indicaretur, et mortuo Hadriano, sublata nempe adulationis materia, desiverit. Pellerinius eorum sententiam recte refellit, qui LEG. H. explicant LEG*io* VIII. quia verisimile non est, notam Graecam inscriptioni Latinae additam. Addo, non solam hic stetisse legionem VIII. sed et V., quae utraque semper conjungitur sive inscriptione, sive symbolis, atque in praesente binae mulieres cum gubernaculis stantes certe utramque legionem indicant. Vide etiam numos Beryti Phoenices.

* * *

Ludi:

CER. SAC. CAP. OEC. ISE. HEL. vel: CERT. SACRV. CAPIT. OECV. ISEL. HEL. *Certamen sacrum Capitolinum Oecumenicum Iselasticum Heliopolitanum.* Typi: *Vna vel tres urnae*, vel: *Pugil nudus*, vel: *Duo viri sedentes urnam una sustinent*, Caracallae, Valeriani. (Vaill.)

Varios hos ludos explicatos vide in tractatu de ludis. Zenobius meminit ἀγωνος πενταετηρικὸν ἀγομενον ἐν Ηλιουπολει κατα το ἔθος, *certaminis quinquennalis, quod Heliopoli de more agebatur* [c]).

* * *

Nomina ab imperatoribus: IVL. AVG.

AE. R.

LAODICEA AD LIBANVM.

Ad Libanum montem, cujus mentione tam ab historicis, quam numis ab aliis cognominibus distinguitur. Ptolemaeus eam *Cabiosam* appellat.

Imperatorii:

Ab Antonino ad Decium usque. (Vaill.)

Epigraphe: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΛΙΒΑΝΟΤ. vel ΠΡΟC. ΛΙΒΑΝΩ. vel ΤΩΝ. ΕΝ. ΤΩ. ΛΙΒΑΝΩ.

ΤΥΧΗ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΛΙΒΑΝ. *Mulier turrita sedens d. signum militare s.*

a) Ann. XV. 6. b) ad Dionis L. LV. §. 23. seq. c) Proverb. Cent. II. §. 35.

Digitized by Google

caput humanum, pede icunculam calcat, Commodi.

MHN. *Mensis stans cum pileo Phrygio d. equum capistro retinet*, Severi.

Rarus hic deus in numis extra-Asiam minorem.

Vir paludatus stans d. labarum, s. parazonium, Antonini.

Caput muliebre turritum, typus frequentior.

* * *

Epocha: ΑΞΤ. ΒΞΤ. in numis Antonini. Est Seleucidarum ab anno V. C. 442.

AE. RR.

LEVCAS.

Leucadiorum unus Plinius meminit: *Coele habet - - - ad orientem Laodicenos, qui ad Libanum cognominantur, Leucadios, Larissaeos.* De situ nihil praeterea, sed ex numis docemur, fuisse positos ad Chrysorhoam fl. Belleyus, qui erudita dissertatione hujus Leucadis numos illustravit [a]), cum videret, a Ptolemaeo in eadem vicinia, nimirum inter Damascum et Heliopolin ad Chrysorhoam collocari Abilam, et omitti Leucadem, urbem, ut ex numorum numero apparet, non parum illustrem, contra a Plinio memorari Leucadios, et omitti Abilam, conjicit, Abilam esse eandem cum Leucade, et nomen Abilae fuisse vetus Syriacum, et Leucadis recentius a Graecis inditum, non tamen vetustum Abilae sic obliteratum, ut in usu esse deinceps desineret, quod pluribus Syriae urbibus, quibus Graeci vetera nomina detraxere, usuvenit. Conjecturam etiam petit ex nomine *Abila*, haud dubie urbi indito, quod ad rupem, Hebraeis אבל, sita fuit; fuisse autem rupi impositam, docent hodierna ejus Abilae rudera, quae copiosius exposita vide a Pellerinio [b]). Quare amplius conjicit ex eadem rupis causa a Graecis fuisse dictam *Leucadem*, exemplo Leucadis Graecae, sic dictae teste Strabone, quod ad albam rupem sita esset. Haec ingeniose Belleyus, quae tamen aliud non sunt, quam conjecturae probabiles.

Autonomi:

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Victoria.* Ꞩ ΚΛΑΥΔΙΑΙΩΝ. ΧΡΥCΟΡΟΑC. *Puer dimidius natans.* AE. III. (Pellerin.)

ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Victoria.* Ꞩ ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΚΛΑΥΔΙΑΙΩΝ. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. II. (Pellerin.)

ΗΡΗ. L. ΗΡ. *Caput Iunonis.* Ꞩ ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. *Avis.* AE. II. (Pellerin.)

AE. RRR.

Imperatorii.

Trajani, Hadriani, Caracallae, Macrini, Gordiani.

Epigraphe: ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ. vel: ΚΛΑΥΔΙΕΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΕΥΚΑΔΙΩΝ.

Typi: *Caput muliebre turritum intra templum 4. col.*, quae haud dubie est *Astarte*, quae in numo Gordiani

a) B. L. T. XXXII. p. 695. b) Suppl. I. p. I. dans l'explication.

Digitized by Google

apud Vaillantium *turrita in cippo stat, Victoria ei ex adverso coronam porrigente. — Sol in quadrigis d. elata, s. globum*, Macrini. (Pellerin.)

* * *

Epocha:

1) ЄN. Trajani jam *Dacici*. (Noris Ep. Syrom. p. 483.)

2) ΘΠ. Hadriani. (Pellerin Suppl. I. p. 36.)

3) ANC. Caracallae. (Belley l. c. p. 702.)

4) ΔNC. Macrini. (Pellerin, Theupoli.)

5) ΔOC. ЄOC. HOC. Gordiani. (Vaill. Pellerin Mel. II. p. 324.)

His adde:

6) HP. in autonomo descripto.

Inito calculo apparet, annos numis 1. et 2. inscriptos ab altero principio, eoque recentiore esse petendos, quam annos numis 3. 4. 5. insertos.

Epocham I. vetustioris principii in numis Caracallae, Macrini, Gordiani, Belleyus derivat ab autumno V. C. 717. Ejus causam hanc statuit [a]): Ptolemaeo Mennei F. Heliopolis et Chalcidis regulo V. C. 714. mortuo successit filius Lysanias. Ab hoc Abila, quae secundum Belleyum eadem est cum Leucade, cognomen *Lysaniae*, quo ab aliis cognominibus distingueretur, tulit. Sic Ptolemaeus: Αβιλα ἐπικληθεισα Λυσανιυ, et apud Lucam [b]): Λυσανιυ της Αβιλινης τετραεχοντος. Hic Lysanias a M. Antonio instigante Cleopatra caesus est V. C. 718., unde verisimile, Abilenses seu Leucadios libertati restitutos beneficium istud constituta epocha celebrasse. Hoc ratiocinium ut valeat, exigit, Abilam eandem fuisse cum Leucade.

Epocham II. ducit ab autumno V. C. 801. vi anni ЄN. in numo Trajani positi. Annum ΘΠ. in numo Hadriani Pellerinius eidem principio illigat. Circa id tempus Claudius mortuo Agrippa Abilam cum Syria conjunxit, eamque, ut videtur, variis beneficiis ornavit, quibus urbs delinita *Claudiae* nomen adoptavit. Vide de hoc plura apud Belleyum [c]). Rursum ergo hic exigitur, Abilam et Leucadem non fuisse urbes diversas. Ceterum quidquid erit, seu una fuit, seu distincta urbs, Belleyi causam non labefactat; nam etsi diversa fuit, vicinae ambae certo fuere, quod ex utriusque ad Chrysorhoam situ colligere licet, atque inde videtur communem semper Leucas cum Abila habuisse sortem.

Annus HP. citati autonomi dubium relinquit, utri epochae applicandus sit. Si priori, signatus est imperante Trajano, sin posteriori, imperante Antonino. Posteriori applicant Belleyus [d]), et Pellerinius [e]), et in capite anticae vident Faustinam jun. sub Iunonis specie. An vultus lineamenta respondeant, ipsi viderint.

AE. RR.

---

a) l. c. p. 701. b) Cap. 3. c) l. c. p. 703. d) l. c. p. 704. e) Rec. II. p. 199.

Digitized by Google

TRACHONITIS, ITVRAEA.

CAESAREA PANIAS.

Ad fontes Iordanis a Tyro in ortum. Ejus antiquissimum nomen proditur in sacris litteris *Lesen*, et *Lesen-Dan*, quoniam tribui Dan contributa fuit [a]). Serius dicta *Panias*, a qua etiam ager, in quo urbs sita, Panias vocatus fuit [b]). Nomen Paniados Plinius ducit a fonte Paneade, e quo Iordanis oritur. At verisimilius est eam sic vocatam a monte Panio. Eusebius [c]): *Apud Caesaream Philippi, quam Phoenices Paneada nominant ad pedes Panii montis, unde profluit Iordanes.* Hujus montis numi faciunt mentionem. Philostorgius nomen ducit a Pane [d]): *Secutis temporibus Caesarea Philippi cognominata est. Sed cum gentiles Panos simulacrum in ea collocassent, in Paneados vocabulum transiit.* Addi potest Παγειον, specus, quam peramoenam et aquis divitem laudat Iosephus, et juxta quam Herodes M. illustre templum in Augusti honorem erexit. Cum Pan montes et antra amet, dubium non est, et monti et antro ἀπο τυ Πανος nomen inditum.

Teste Iosepho [e]) Philippus tetrarcha Herodis M. filius *juxta Iordanis fontes in Paneade urbem condidit CAESAREAM*, et Hieronymus [f]): Philippus *in honorem Tiberii Caesaris CAESAREAM PHILIPPI, quae nunc PANEAS dicitur, appellavit.* Etiam in sacris literis dicitur *Caesarea Philippi* [g]). Ex quo videmus, hanc Caesaream, quo ab aliis cognominibus distingueretur, dictam fuisse *Paniadem* a monte, aut *sub Panio* nempe monte, cui subjecta fuit, aut *Philippi*, nempe a conditore. Haec propter ipsos numos commemoranda fuere, quae prolixius enarrant Norisius [h]), et Cellarius. Fuisse etiam dictam *Neroniada*, infra sub *Neronias* dicetur.

Imperatorii:

Ex his memorandi primum sequentes.

AVGVSTVS. *Ejus caput nudum.* Ꝛ C. A. *intra lauream, cui in aliquibus navium rostra intexuntur.* AEnei omnis formae, etiam maximi moduli.

AVGVSTVS. TR. POT. *Caput laur.* Ꝛ Λ T. C. A. *intra lauream*, AE. II. (Pellerin Mel. I. p. 36. cujus is similes quatuor nactus est.)

Ex posterioribus his numis praecedentium fatum pendet. Hi omnes hactenus nemine repugnante Caesaraugustae Tarraconensis urbi tributi fuere, ac po-

a) Iosue XIX. 47. b) Plinius. c) Hist. eccl. L. VII. c. 17. d) L. VII. c. 3. e) Bell. Iud. L. II. f) in Matth. cap. 16. g) Marci VIII. 27. h) Ep. Syrom. p. 371.

Digitized by Google

stremum ab ipso etiam Florezio eruditissimo monetae Hispanicae interprete.

Adversatur Pellerinius [a]), I. quia fabricae causis nimio abludunt a certis Caesaraugustanis, et sant operis plane Syriaci, quales sunt obvii inscripti S. C., qui Antiochiae Syriae tribui solent. II. In Caesaraugustanis semper praeponitur aliud C, nempe Coloniae nota, sic ut sit C. C. A. III. Si Caesaraugustani numos sic inscriptos signassent, reperirentur etiam similes non modo cum capite Augusti, sed etiam Tiberii, et Caligulae, sub quo demum desiverunt signare monetam. IV. Omnis epocha, qualem certe in altero descripto numo indicant literae ΛΤ., praeter morem Hispanorum est. V. Ejusmodi numi complures Pellerinio ex Syria allati fuere.

Suadente ergo fabrica, hos numos in Syriam derivandos, ut is urbem eliceret, ad quam ii possent referri, coepit primum in naturam epochae ΛΤ. inquirere. Est hic annus ejusmodi, ut ne quidem a perantiqua Seleucidarum aera possit deduci; nam additus ad V. C. 442. excedit aevum Augusti, cujus caput in his numis sistitur. Censet igitur, annum hunc deducendum ab anno V. C. 421., quo Alexander M. in Syria versabatur, eique a variis urbibus ingentes honores habiti sunt, cujus rei illustre argumentum suppeditat Arca, subinde Caesarea Libani dicta, quae illi templum struxit, in quo sacrificia adhuc Alexandri Sev. aetate peracta sunt. Si igitur initium epochae statuatur annus V. C. 421., praesens numus signatus est ab autumno V. C. 750.

Vt inveniatur urbs, quae literis C. A. possit notari, inquirendum, an elementum C possit indicare Coloniam; si hoc, tum sequens A erit litera ἀρχαιωσα urbis. Coloniae, quae primam hanc literam habent, in Syria late sumpta sunt tres, Antiochia ad Orontem, Ace et Arca. Antiochia notari nequit; serius enim aedificata a Seleuco epocha tam remota uti non potuit, et primum sub Caracalla deducta est colonia. Neque ad Acen referri potest, quae diu ante Augustum nomen suum in Ptolemaiden immutavit, quin et sub Claudio demum deducta colonia. Neque ad Arcam, quae, si sub Augusto facta fuisset colonia, quod ignoratur, antiquo nomine saltem solo usa non fuisset in numo, sed sese Coloniam Caesaream inscripsisset.

Cum igitur litera C Coloniam indicare non possit, alia via explicandi literas C. A. non superest, quam legendo *Caesarea Augusta*. Quatuor erant Syriae urbes Caesareae nomini: 1. Caesarea Germanicia, 2. Caesarea Libani, olim Arca, 3. Caesarea Palaestinae condita ab Herode. 4. Caesarea Panias. Germanicia vel propterea excludenda, quia Augusta nunquam dicta fuit. Idem dicendum de Caesarea Libani. Caesarea Palaestinae ab Herode M. e fundamentis excitata in annum ΛΤ. jus non habet. Sola igitur restat Caesarea Panias, cui tribuendos hos numos censet Pellerinius sequentibus praeterea motus rationibus.

I. Cum literis C. A., quas *Caesarea Augusta* interpretatur, conspirat urbis nomen, nam ab Aurelio usque ad Elaga-

a) l. c.

Digitized by Google

balum se scribit KAIC. CЄB. II. Annus ΛT. ductus ab anno V. C. 421. incidit in annum 750. et 751. At testibus historicis eodem anno 751. Philippus hanc urbem instauravit. Continuo etiam urbs cum nomine antiquo epocham mutavit, et annos computare coepit ab hac reparationis suae anno, ut confirmant numi, de quo infra. Quare Philippus in dedicatione hujus urbis hos numos magno numero feriundos curaverit exemplo patris Herodis, qui exstructa Sebaste Samaritidis et Caesarea Palaestinae magnifica certamina edidit in Augusti honorem, quod etiam eo verisimile fit, quia similes numi C. A. sub Tiberio aliisque non amplius occurrunt, quia uni tantum certo usui, nempe dedicationis solennibus servierint.

His ergo persuasus rationibus Pellerinius hos numos huic Caesareae tribuendos censet, quod ille totum argumentum singulari adcuratione et perspicacia sibi propria persequitur. Istud omne, quod adfert, etsi adsensum plenum non imperet, multum tamen habet probabilitatis. De eo tamen, quod suspicatur, numos, qui solum C. A. offerunt, esse Caesareae Palaestinae ad mare, et in quibus additur annus ΛT., esse Caesareae Paniados, dubitari fors jure possit. Ex rationibus pluribus, quas adducit, ea sola aliquid habet momenti, quae adfirmat, utriusque generis numos aliquantum differre fabrica, priores esse perelegantis, posteriores cum ΛT. artis inferioris. Istud argumentum si mittam, videtur verisimilius, utrosque ad unam eandemque Caesaream Philippi pertinere. Nam Caesarea Palaestinae vix unquam ab auctoribus *Caesarea Augusta* dicitur. Iosephus uno loco: Καισαρεια Σεβαςη, sed posterior haec vox in aliquibus exemplaribus abest, item Philo in legatione ad Cajum. In numis imperatoriis constanter, ut videbimus, dicitur: Καισαρεια ἡ πρὸς Σεβαστῷ λιμενι, nam urbs ipsa dicebatur tantum *Caesarea*, at portus *Sebastos;* in numis coloniae dicitur quidem *Augusta*, sed haec vox praeponitur, non sequitur, et indita fuit a Flavio Augusto, coloniae auctore. At Caesarea nostra in numis fere constanter dicitur *Caesarea Sebaste*, id est, *Augusta*. Vix etiam videtur verisimile, urbes duas diversas ita voluisse conspirare cum typo, tum inscriptione, cum potius urbes homonymae solitae fuerint adfectare criteria, quibus earum numi discernerentur. Mihi ergo omnes hi numi ad unam hanc Caesaream videntur referendi, etsi in tuenda hac sententia pertinacior esse nolim.

* * *

Agrippae I. numos binos in hac urbe signatos quaere in numis hujus Iudaeae regis.

Imperatorii:

Sunt a M. Aurelio usque ad Aquiliam, quibus adde numum Iustiniani, de quo in fine.

Epigraphe: KAIC. CЄB. IЄP. KAI. ACT. TΠ. ΠANЄIΩ. (Noris, Vaill.) ΠP. ΠAN. vel: Π. ΠANЄIΩ. (Mus. Caes.) KAICAPЄIA. ΠANIAC. (Pellerin.) KAICAP. ΠANIAΔOC. (Noris, Mus. Caes.) Παναιας scripsit Ptolemaeus recte secundum numos, et quod ea vox

Digitized by Google

ἀπὸ τῦ Πανος ducitur, unde et Nonno *Panos fistula* dicitur. Πανιαδος συριγγος [a]); at reliqui scriptores plerique Πανας.

Typi:

Pan nudus trunco innixus fistula canit, typus obvius. — *Fistula septem cicutarum*, Commodi. (Noris.)

De cultu Panos apud hanc Caesaream dictum supra.

Iuppiter nudus stans ad aram in templo tetrastylo d. pateram, s. hastam, in area pedum Panos, numus elegans Elagabali, quem ex museo Caes. edidi. (Sylloge I. p. 59.)

Vir nudus stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus serpens caput cristatum erigens, Commodi (Mus. Caes.)

Videtur in hoc numo propositus Caesareae genius.

Mulier turrita habitu succincto stans s. pede prorae navis insistit, d. inversum remum, s. cornucopiae, Severi, (Mus. Caes.) et Aquiliae. (Pellerin.)

Sistit hic typus Τυχην, seu *Fortunam urbis*, de qua vide, quae olim latius disputavi [b]).

* * *

Epocha:

POB. Aurelii et Lucillae. (Noris, Vaill.)

POB. Commodi juvenis. (Noris.)

PqA. Commodi. (Mus. Caes. Noris.)

PqΘ. Severi, Caracallae. (Mus. Caes. Vaill.)

CA. Domnae. (Vaill.)

CB. Getae Caes. (Noris.)

CIΔ. Caracallae. (Pellerin.)

KC. Diadumeniani. (Mus. Caes.)

CKΓ. Aquiliae. (Pellerin.)

Norisius aerae initium ex numis sibi cognitis constituit inter annos V. C. 751. et 755., intra quos adserit a Philippo tetrarcha Herodis M. filio et structam fuisse Caesaream, et hoc quoque nomine appellatam, quam et inductae epochae causam constituit. Citatus Diadumeniani numus aerae vagae limites arctius circumscribit, nimirum intra annos V. C. 750. 751. Sed et anno V. C. 750. videtur adversari numus Aquiliae cum anno CKΓ. Nam tum adhuc Iuliam Paulam Elagabali torum occupasse, docent ejus numi Alexandrini cum L. IΓ. et Δ., secundum quos adeo numos praeferendus certe pro epochae initio annus V. C. 751. Suadet idem principium historia Iosephi. Narrat is [c]), *Philippum Paneadem ad Iordanis fontes positam construxisse, eique CAESAREAE nomen fecisse, et cum vicum Betsaidam lacui Genetsaretico adsitum in urbis formam perduxisset, ei nomen dedisse a Iulia Caesaris filia.* Ex hoc testimonio sequentia ad adfigendum anno V. C. 751. aerae initium eruo. Constat, Herodem M. Philippi patrem mortuum in vere V. C. 750., neque Philippum statim patre mortuo tetrarchiam, in qua sita Panias, adivisse, sed post multas moras, et donec Augustus de dividendo inter filios Herodis regno sententiam dixisset, quae omnia prolixe enarrat Iosephus [d]). Haec dum rata fierent, facile effluxerit annus V. C. 750., ac tum denique potuit condendis urbibus applicare animum, nimirum V. C. 751., quas inter Iosephus priore loco nominat Caesaream no-

a) Dionys. L. VII. v. 49. b) Numi vet. p. 183. c) Ant. L. XVIII. c. 2. d) Ant. L. LXVII. c. 9. seq.

Digitized by Google

stram. Sed ex eodem testimonio colligo etiam, non potuisse Caesaream fundari serius; nam certum est, eam a Philippo aedificari coeptam ante Iuliadem, aut saltem eodem tempore, ne is majorem videretur habere honorem filiae Iuliae, quam patri Augusto. At necesse est, hanc etiam Iuliadem eodem anno 751. coepisse exstrui; nam constat, Iuliam anno mox sequente atrocium criminum convictam a patre in exilium ejectam, neque amplius restitutam. Quare ante hunc casum necesse est nomen Iuliadis urbi impositum, nullam vero postea neglectae palam mulieris rationem habitam. Non videtur vir summus Norisius ad hanc Iosephi narrationem advertisse, nam secus vel hac facem praeferente arctiores huic epochae limites fixisset. Haec jam olim iisdem verbis disputaveram [a]), quo loco praeterea binos Eusebii [b]) et Hieronymi [c]) parachronismos notavi, quorum ille nomen Iuliadis a Iulia Tiberii matre, hic nomen Caesareae a Tiberio arcessivit contra certam Iosephi et numorum auctoritatem.

* * *

Agmen claudat numus propter aetatem, qui ortum illi dedit, memorabilis.

THC. CЄB. KAICAPЄIAC. *Caput Iustiniani diadematum.* Ꝟ *Nomen Iustiniani in sigla.* AE. III.

Eum edidit Harduinus, et dissertatione singulari illustravit [d]). Is eum Caesareae Palaestinae tribuit, quoniam ut ait, haec una fuit, quae *Sebastes* cognomentum habuit. Mirum, cum is eodem opere Caesareae Paniadis numos descripserit *Sebastes* nomine addito. Quare si numus hic est genuinus, quod alii viderint, potius ad hanc Caesaream Paniadem pertinet, quae toties KAICAPЄIA. CЄBACTH. inscribitur. Exstant etiam Gabalorum Syriae numi aurei inscripti GABALORVM cum capite Iustini junioris.

AE. RR.

NERONIAS.

Eadem cum praecedente Caesarea, verum Agrippa II. rex Iudaeae cum urbem aedificiis variis ornasset, eam in Neronis gratiam *Neroniadem* appellavit, ut narrat Iosephus [e]).

Regius:

NЄPΩN. KAIΣAP. ΣЄBAΣTOΣ. *Caput Neronis.* Ꝟ ЄΠI. BAΣIΛЄ. AΓPIΠΠA. NЄPΩNIЄ. *intra coronam.* AE. III.

Eundem hunc numum jam vulgavit Frölichius [f]), sed putabat indicari ludos Νερώνεα favente ejus sententiae typo coronae Vulgavit etiam Vaillantius [g]), sed legit NЄPΩNI. Γ., quare putavit indicari annum Neronis III. At Pellerinius, qui numum restituit [h]), huic eum Neroniadi tribuit, atque, ut videtur, jure: nam in simillimo ejusdem Agrippae II. alio legitur TIBЄPIЄΩN. Vt ergo a Τιβερίας gentile flectere placuit

a) Sylloge I. p. 59. b) ad annum V. C. 778. c) Comment. ad Matth. c. 16. d) Opp. Sell. p. 907. e) L. XX. c. 9. §. 4. f) Regg. vett. numi p. 106. g) Num. Graec. sub Nerone. h) Rois p. 176.

Digitized by Google

in Τιβερίους, sic et a Νερωνιας Νερωνιευς. Tamen mortuo Nerone nomen Neroniadis continuo abolitum restituto vetere Caesareae Paniadis.

AE. RRR.

GABA.

In *autonomo* ΓΑΒΗΝΩΝ, quem Harduinus huc adegit, legendum est ΤΑΒΗΝΩΝ, estque is Tabarum Decapoleos.

Imperatorii

A Tito usque ad Caracallam.

Epigraphe ΓΑΒΗΝΩΝ in variis. —— ΚΛ. ΦΙ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Plotinae. (Pellerin Suppl. II. p. IV.) ΚΛΑΤ. ΦΙ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Hadriani. (Vaill.) ΚΛΑΤΔΙ. ΦΙΛ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Titi. (Frölich IV. Tent. p. 167.) ΚΛΑΤΔΙ. ΦΙΛΙΠ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Domitiae. (Ibid. p. 169.)

Antequam a Frölichio hic Domitiae numus vulgaretur, erat eruditorum communis sententia, το ΚΛΑΤΔΙ. ΦΙΛ. aut simile legendum esse ΚΛΑΤΔΙΟΦΙΛΩΝ. ΓΑΒΗΝΩΝ., quo epitheto Gabeni se *Claudii amantes* profiterentur. Id cum nondum desideratam lucem adferret, nam plures Gabae in hoc tractu memorantur, factum, ut suspensi haererent eruditi, cui ex pluribus numos sic inscriptos tribuerent. Tenebras plane depulit dictus Domitiae numus, inscriptus ΚΛΑΤΔΙ. ΦΙΛΙΠ., quo non modo praetensum ΚΛΑΤΔΙΟΦΙΛΩΝ disperit, et vera lectio ΚΛΑΤΔΙεως ΦΙΛΙΠπεως stabilitur, verum etiam docemur, hos numos alterius Gabae esse non posse, quam quae fuit in Ituraea, vel Trachonitide. Haec regio Herode M. mortuo ab Augusto data fuit ejus filio Philippo, ut aliquoties dictum a Iosepho, et confirmatur sacris literis: *Philippo autem fratre ejus tetrarcha Ituraeae et Trachonitidos* [a]). Quo factum, ut haec Gaba, quae ab aliis cognominibus distingueretur, *Gaba Philippensis* in numis diceretur. Praeterea Plinius Gabam cum Caesarea Paniade conjungit; quare, uti haec, quemadmodum dictum, vocata fuit *Caesarea Philippi* ab ejus tetrarcha Philippo, sic et haec in eadem regione sita Gaba. *Claudiae* praenomen Frölichius inde derivat, quod Agrippa senior dictam Philippi tetrarchiam a Claudio dono accepit [b]), quod cum beneficii loco ab oppidanis habitum fuerit, hi se *Claudienses* dixere. Hanc Frölichii doctrinam nulli amplius dubio perviam, suo primum suffragio comprobavit Pellerinius, et corrigendum secundum eam Vaillantium docuit [c]), at serius priorum oblitus veterem sententiam Κλαυδιω Φιλωι recoxit [d]), quod hic obiter monendum duxi. Notandum, numos simplice ΓΑΒΗΝΩΝ notatos tam fabrica, quam typis conspirare cum illis, qui ΚΛ. ΦΙ. praefigunt, ut adeo dubitari nequeat, numos hos varie inscriptos ad unam eandemque Gabam pertinere.

* * *

Typi: *Mensis stans*, *Miles stans*, *Victoria*. In numo Caracallae *pardus gradiens*. (Vaill.)

a) Lucae cap. 3. b) Ioseph. Ant. L. XX. c) Mel. II. p. 69. d) Suppl. II. p. IV.

Digitized by Google

* * *

Epocha:

ΡΛΓ. Titi, cujus caput est nudum, et tituli: ΑΤΤΟΚΡΑ. ΚΑΙCΑΡ. (Mus. Caes.)

ΡΛϛ. Domitiani item Caesaris. (Pellerin.)

ΡΜϛ. Domitiani Augusti. (Pellerin Suppl. II. p. IV.)

ΓΝΡ. Domitiae. (Mus. Caes.)

ΑΟΡ. Plotinae. (Pellerin l. c.)

ΖΟΡ. Hadriani. (Vaill. Noris.)

ΖΙC. Antonini. (Vaill. Noris.)

Norisius ex numis Hadriani et Antonini elicuit, epochae exordium vagari intra annos 693. et 696. Alii hic citati et serius cogniti nihil propius definiunt. Quare exspectandum aliorum numorum subsidium. Verisimile interea visum Norisio, eam orsam V. C. 693.

AE. RR.

DECAPOLIS.

ABILA LEVCAS.

In hujus urbis numos egregie more suo commentatus est Belleyus [a]), cujus observata in compendium redigam descriptis prius urbis numis.

Imperatorii:

ΑΕΤΚ. ΑΒΙΛΑ. ϛΛC. *Betrus*, Faustinae jun. (Pellerin Suppl. I. p. I.)

CЄ. ΑΒΙΛΗΝΩΝ. I. A. A. Γ. ΚΟΙ. CΤ. ΛC. *Hercules saxo insidens d. clavam*, L. Veri. (Belley ex Mus. Pellerin.)

CЄ. ΑΒΙΛΗΝΩΝ. I. A. A. Γ. Β. ΝЄ. ΝC. *Hercules instar Farnesii*, Commodi. (Ibid.)

Plures fuere in hoc tractu urbes, quibus Abilae nomen fuit, verum cum in secundo numo addatur ΚΟΙλης CΤ-ριας, ad aliam hi numi pertinere non possunt, praeterquam vel ad Leucadem Coelesyriae supra descriptam, cuique verisimile diximus fuisse etiam Abilae nomen cognomento Lysaniae, vel ad Abilam Leucadem Decapoleos, quae regio tota a variis auctoribus, ac praecipue Ptolemaeo omnibus his numis synchrono Coelesyriae inseritur. Strictius igitur loquitur marmor Palmyrenum: ΑΓΑΘΑΝΓЄΛΟC. ΑΒΙΛΗΝΟC. ΤΗC. ΔЄΚΑΠΟΛЄΩC [b]).

Non esse posse hos numos Abilae Lysaniae, docet inscripta illis aera Pompejana. Haec enim urbs anno V. C. 690. paruit Ptolemaeo Chalcidis regulo, cui eam Pompejus numeratis M. talentis confirmavit, et nonnisi anno

a) B. L. T. XXVIII. p. 557. b) Reland. Palaest. ill. p. 391. Muratori p. 115.

Digitized by Google

V. C. 718. mortuo Lysania in Romanorum potestatem pervenit. Ad haec numi Abilae Lysaniae propriam habent aeram, eamque duplicem, ut vidimus.

Esse vero hos numos Abilae Decapoleos, probatur primum ab aera Pompejana, qua pleraeque Decapoleos urbes usae sunt ex causa, quam infra dabimus. Deinde quia Gadara, quae urbs huic Abilae vicina fuit, iisdem honorum titulis, et eodem modo perscriptis usa sunt, quibus Abila, quae concordia nonnisi a vicinia proficisci potuit.

* * *

Typi:

Hercules eo cultu, qualem descripsimus. In adsitis Gadaris ejus caput saepe conspicitur.

Botrus, secundum quem typum Eusebius, et Hieronymus urbem apposite vocant *οἰνοφορον*, *vini fertilem*. (Onomast.)

* * *

Honorum tituli:

Sacra, *Asylum*, *Autonoma*, *Illustris*, ut explicandae videntur literae I. A. A. Γ. De prioribus tribus dubium non est, sed difficultatem creat elementum Γ; at quoniam aliis titulis honorificis additur, certum utique est, horum aliquem illo notari. Censet vero Belleyus, esse principium τυ Γνωριμυ, *illustris*, *praeclari*, perinde ac aliae urbes titulum ἐνδοξυ vel λαμπροτατυ sumpsere. Eadem litera additur etiam titulis vicinorum Gadarorum. Maffejus in Lebretiano pro Γ legit Η [a]). Abilae ἐπισημυ epitheton tribuit Eusebius [b]).

* * *

Nomen ab imperatore:

CЄβαςων ΑΒΙΛΗΝΩΝ, quo epitheto usa fuerit ob beneficia Augusti, ut vicina Gadara ob causam similem se *Pompejana* dixere.

* * *

Neocoratus, et quidem repetitus: B. NЄ. cujus raro mentio in numis Syriae quomodocunque late sumptae.

* * *

Duplex urbis nomen, Leucas Abila, exemplo plurium urbium, quae vetus suum nomen cum adventitio junxerunt. Cur Abila a Graecis dicta fuerit Leucas, vide conjecturas probabiles, quas paullo supra in Leucade Coelesyriae proposui, et quae latius proponuntur a Pellerinio [c]).

* * *

Epocha est Pompejana ab anno V. C. 690., nempe cum Coelesyriam ingressus Pompejus urbibus varia privilegia concessit.

AE. RRR.

ANTIOCHIA AD HIPPVM.

Haec urbs a geographis reticetur, quam numi non pauci stabiliunt. Norisius et Harduinus existimant, esse eandem cum urbe Hippo ad montem cognominem posita, et Gadaris vicina, quae in alicujus Antiochi gratiam Antiochiae nomen adoptaverit. Hanc conjecturam juvant epocha, et honorum

a) Aut. Gall. p. 115. b) Onomast. c) Suppl. I. p. I.

Digitized by Google

tituli cum vicinis Gadaris et Abila communes.

Imperatorii:

Antonini, (Pellerin, Mus. Caes.) Aurelii, Veri, Commodi. In Antonini numis legitur: ATTOKP. KTP. ANTΩNЄINOC. ubi το KTP. aliud notare non potest, quam KTPιος, *Dominus*, quae appellatio tum adhuc in monumentis publicis rara, devexo imperio obvia fuit.

Epigraphe: ANTIOX. ΠP. IΠ. THC. IЄP. K. AGTΛOT. vel: IЄP. ACTΛOC.

Typi: *Mulier capite turrito stans equum capistro retinet, s. cornucopiae*, qui typus fere perpetuus. Videtur haec mulier esse urbis genius ducens equum, qui adlusionem ad urbis aut adsiti montis nomen ἱππος facit, ad quod adludit quoque Pegasus in numo Veri. (Vaill.)

* * *

Epocha:

ΘKC. Aurelii, Veri. (Vaill.)

CMH. Commodi. (Vaill.)

Est Pompejana pro more ejus tractus ab anno V. C. 690.

AE. RRR.

CANATHA.

Versus Arabiam prope Bostram, jam in sacris literis memorata.

Autonomus:

KAN. *Caput juvenile dubium.* Σ EOΣ. *Victoria.* AE. III. (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

Claudii et Domitiani.

KANATHNΩN. BIP. *Caput muliebre velatum turritum*, Claudii. (Belley B. L. T. XXVIII. p. 568. Mus. Caes.)

In vulgando simili numo bis peccavit Vaillantius, primum, quod caput esse Augusti putavit, deinde quod legendum sibi visum PAMAΘHNΩN. BIP., et adeo Ramathae Palaestinae signatum numum contendit.

KANΩΘ. ZNP. *Caput muliebre turritum*, Domitiani. (Vaill. Pellerin, Morelli.)

* * *

Epocham Belleyus, qui in Canatae numos commentatus est, (l. c.) post Vaillantium, aliosque Pompejanam facit, et initium ducit ab anno V. C. 690. Iure istud; at displicet, quod eidem exordio illiget etiam annum EOΣ laudati autonomi, quo posito numus signatus esset sub Caracalla, quo tempore το Σ hac forma scripti vix amplius usus fuit. Adde, quod totus ejus numi cultus ejus imperatoris aevo videatur repugnare. Verisimiliter igitur duplex epocha statuenda, et quidem

I. Seleucidarum ab anno V. C. 442., a quo annus EOΣ videtur ducendus.

II. Pompejana ab V. C. 690., quam amplexi fuerint Canateni, ut sese mori vicinarum urbium confirmarent.

AE. RRR.

DIVM.

Prope Gadara, nomen nactum a Dio Macedoniae urbe.

Digitized by Google

Imperatorii:

Tres solum cogniti, omnes Getae Caesaris.

Epigraphe: ΔЄIHNΩN.

Typus in omnibus: *Mulier capite tutulato stans d. scipionem cum aquila, s. Victoriolam, pro pedibus hinc et inde bos*, ambiguae haec omnia explicationis. Numi duo citantur ab Haymio [a]), tertius a Belleyo in commentariis ad Dii numos [b]).

Epochae annos singuli praeferunt, suntque

HƎC. OC. ЄOC.

Est solita Pompejana ab anno V. C. 690. Annus ЄOC. vetat, quo minus in annum 691. moveri queat.

AE. RRR.

GADARA.

Vrbs Decapoleos maxime illustris, et teste Iosepho metropolis Peraeae [c]).

Imperatorii:

Frequentes ab Augusto usque ad Gordianum.

Epigraphe: ΓAΔAPA. ΓAΔAPƎIΣ. ΓAΔAPЄΩN.

NATMA. ΓAΔAPЄΩN. ΔKC. *Triremis cum multis vectoribus*, M. Aurelii. (Pellerin.) *Alii, sed sine* NATMA. Caracallae, Elagabali, Gordiani. (Mus. Caes. Arigoni, Vaill.)

Pellerinio, qui numum, de quo agimus, edidit [d]), mira videtur et vox NATMA., quae explenda est legendo NATMA$\chi\iota\alpha$, et typus triremis, quo utroque non dubitat indicari certamina remigiis instituta; quare hos numos censet aliis potius Gadaris tribuendos. Rationes adfert sequentes: I. teste Ammiano in vicinia Gadarorum non erat fluvius navium patiens [e]). II. typus navis in numis Graecis generatim notat ubem maritimam, neque is videtur unquam ab urbe mediterranea advocatus. III. cum Stephanus prodat etiam aliqua in Palaestina sita Gadara, quin et Strabo, ubi de maritimis Palaestinae urbibus agit, memorat etiam regionem aliquam dictam *Gadaridem*, cujus haud dubie caput fuerit urbs *Gadara* vocata, quae verisimiliter est eadem, quae in libris Macchab. et apud Iosephum vocatur *Gazara*, infert, numos omnes cum typo triremis debere tribui maritimis Palaestinae Gadaris, quoniam, verba sunt ejus, naumachiam Gadara Decapoleos mediterranea exhibere nullo pacto potuere.

Vt non negavero, exstitisse forte in Phoenicia praetensa haec Gadara, eisque posse numos triremе insignitos competere, atque etiam perinde ac alias Phoeniciae urbes aera Pompejana uti, ita istud statuere ex adjectis binis aliis causis necesse omnino non est. Nam primum fallitur, typum navis semper arguere urbem maritimam, et nunquam eum ab urbe mediterranea usurpatum. Caesarea Germanicia longe a mari, et cognito saltem fluvio navigabili distabat, et tamen in ejus numis

a) T. I. p. m. 271. b) B. L. T. XXVIII. p. 568. c) L. V. c. 3. d) Rec. III. p. XL. e) L. XIV.

Digitized by Google

ampla navigia velis remisque instructa feruntur. Taceo Nicopolin ad Istrum ampla navigia exhibentem. Testimonium Ammiani nescio an Pellerinii causae faveat, nam Cellarius ex veterum scriptis probat, Gadara fuisse sita prope ripam Iordanis lacu Gennesareth egredientis. Dictum lacum navigiorum fuisse patientem, nemo dubitabit, sed ea neque Iordan in vado destituit; testatur enim cl. Schaw [a]), se in Africa et oriente post Nilum non vidisse fluvium Iordane aquarum mole auctiorem. Favet Gadaris nostris et illud, quod Tiberias eidem lacui, sed in ripa opposita, adsita naves et ancoram in moneta proposuit. Quod si etiam propter Ammiani auctoritatem velimus Gadara aliquantum a Iordane et lacu removere, istud tamen certum, Gadara fuisse vicina Hippo, et Hippum prope lacum sitam. Quid ergo prohibet in dicto lacu naumachiam fuisse celebratam, praecipue cum hic lacus justae fuerit magnitudinis, atque ab ipsis veteribus *maris* nomine, nempe *Tiberiadis* saepe honoretur? Ad instituendam vero naumachiam quis unquam mare spatiosum et apertum requisivit? Cui non cognitum similis generis certamen a Claudio in lacu Fucino multo arctioris ambitus armatis undeviginti millibus editum? alia in ipso Tiberi, circis, amphitheatris? Quid quod in eodem lacu justum praelium navale a Vespasiano commissum est, ejusque momenti, ut is non dubitaverit eam victoriam in plurium annorum numis jactare, an poterit jure excludi naumachia ludicra? Videntur ergo hi ludi acti ab ejus tractus urbibus praesidentibus Gadarenis, quorum urbs metropolis fuit, et in hujus numis haec naumachia exhibita, ut Tarsenses ludos in remotis Codrigis institutos in moneta sua descripsere, et est verisimile, hanc naumachiam institutam in memoriam victoriae navalis, quam a Vespasiano in lacu Gennesareth de Iudaeis relatam mox dixi, de quo vide, quae plura in hujus Augusti numis ad annum V. C. 824. notabimus.

Typi alii frequentiores:

Caput muliebre turritum — Duplex cornucopiae — Caput Herculis imberbe laureatum, qui Tyrius videtur. — *Iuppiter in templo*, — *Caracalla et Geta stantes jungunt dexteras*, et proponuntur in antica numi. (Pellerin.)

* * *

Honorum tituli:

Sacra, *Asylum*, *Autonoma*, *Illustris*, expressi hoc modo: ΠΟ. ΓΑΔΑΡ. Ι. Α. Α. Γ. Κ. CT. in numis Antonini et Veri. (Pellerin, Arigoni.)

Solitarias has literas jam explicavimus supra in Abila Leucade, quae urbs iisdem usa est. Hae literae ἀεχαισαι cum antea non satis intelligerentur, ex iis una vox temere constata est. Sic Vaillantius eas legit: -- ΙΔΑC., auctor musei Theupoli ΚΟΤΙΔΑC, uterque in nummo Veri. Titulum *ἱερας* confirmat etiam epigramma vetus, agens de Meleagro poeta [b]): ὁν Θεσπιας ἠνδρωσε Τυρος, Γαδαρων δ' ΙΕΡΑ χθων. Literae Κ. CT. significant urbis situm, nempe Κοιλης CTριας, ut dictum supra in Abila.

a) Voyage T. II. p. 71. b) Anal. Brunck. T. I. p. 37.

Digitized by Google

* * *

Nomen ab imperatore Pompejo: ΠΟ. ΠΟΜΠ. ΠΟΜΠΗ., at in numo Caracallae musei Caesarei plene ΠΟΜΠΗΙΤЄΩΝ. Nomen Pompeji grati Gadareni accepere, nam is dirutam urbem deprecante liberto Demetrio, qui apud eos natus est, instauravit, ut diserte Iosephus a). *Gadara deinde paullo ante diruta instauravit in gratiam liberti sui Gadarensis Demetrii.*

* * *

Epocha in omnibus fere notatur praefixo saepe L. vel ЄΤ.

ΔΜ. Augusti (Vaill.)

Bϙ. Tiberii. (Vaill.)

ΑΛΡ. Neronis. (Vaill. Theup.)

ЄΛΡ. Vespasiani. (Pellerin.)

ЄΛΡ. Titi. (Arigoni.)

ЄΞΡ. Domitiani, (Vaill.) manifesto errore, scribendumque vel ЄΜΡ. vel ЄΝΡ.

ЄΞΡ. ΖΞΡ. Trajani. (Vaill.)

ΗϹ. Antonini. (Vaill.)

ΓΚϹ. Antonini. (Pellerin.)

ΔΚϹ. Aurelii. (Vaill. Pellerin.)

ЄΚϹ. ϛΚϹ. Veri. (Vaill.) ΘΚϹ. (Pellerin Mel. II. p. 319.)

ΓΜϹ. Faustinae jun. (Arigoni.)

ΓΜϹ. Commodi. (Vaill.) Crispinae (Pellerin.)

ΒΞϹ. Caracallae et Getae. (Pellerin.)

ΖΟϹ. ΗΟϹ. Caracallae. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΑΠϹ. ΒΠϹ. Elagabali. (Vaill. Arigoni.)

ΓΤ. Gordiani. (Vaill.)

Epocha Gadarenorum ex numis invicte stabilitur ad autumnum V. C. 690. Anni ΔΚϹ. Aurelii, ΓΜϹ. Commodi, ΑΠϹ. Elagabali docent, non posse ejus initium moveri in annum anteriorem, anni ΑΛΡ. Neronis, ΓΜϹ. Faustinae junioris, non posse moveri in posteriorem. Optime epocham constituit annus ΓΜϹ. in numis Faustinae, et idem in numis Commodi et Crispinae, nam complectitur ultimum annum Aurelii, et primum Commodi. At necesse est, in numo Faustinae additum ΘЄΑ, nam quadriennio ante diem obiit.

AE. R.

GERASA.

Vrbis hujus duo tantum numi cogniti fuere Vaillantio, iique

Imperatorii

Hadriani et Crispinae, in utroque:

ΑΡΤЄΜΙϹ. ΤΤΧΗ. ΓЄΡΑϹΩΝ. *Caput Dianae.*

AE. RRRR.

PELLA.

Teste Stephano antea dicta *Butis*, nomen novum inditum a Macedonibus a Pella Alexandri M. patria.

Imperatorii:

ΠЄΛΛΑΙΩΝ. ϛΜϹ. *Vir stans d. pateram, s. scipioni innixus*, Commodi. (Mus. Caes.)

ΠЄΛΛΑ --- *Vir nudus stans in templo*, Elagabali. (Pellerin Lettres p. 56.)

a) L. XIV. c. 8.

Digitized by Google

Epocha est Pompejana, quam Frölichius, qui priorem numum primus edidit [a]), ducit ab autumno V. C. 691. At verisimilius censet Belleyus auspicandam ab anno 690 exemplo aliarum Decapoleos urbium [b]). Iosephus nominatim Pellam a Pompejo habitatoribus suis concessam tradit [c]).

AE. RRRR.

PHILADELPHIA.

Olim dicta *Ammana*, secundum Stephanum deinde *Astarte*, deinde *Philadelphia* a Ptolemaeo Philadelpho Aegypti rege. Vrbs fuisse illustris perhibetur.

Autonomi:

ΦΙΛΑΔΕΛΦΕ. *Caput muliebre.* Ꝟ L. ΓΜΡ. *Quinque spicae.* AE. II. (Pellerin Rec. II. p. 248.)

ΦΙΛ. ΚΟΙ. CΤΡ. *Protome Cereris d. spicas.* Ꝟ ЄΤΟΤC. ZΚC, *Corbis spicis et papaveribus repletus.* AE. III. (Panel ex le Bret. Mem. Trevoux.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

Sunt a Tito usque ad Commodum.

Epigraphe: ΦΙΛ. in numis Antonini et Commodi. (Mus. Caes.) et Aurelii, (Theup.) in reliquis ΦΙΛΑΔЄΛΦЄΩΝ.

Typi:

ΗΡΑΚΛЄΙΟΝ. P. M. A. *Currus a quatuor equis tractus*, Aurelii, max. mod. (Theupoli.)

ΗΡΑΚ - - - ΑΠΑΛΑ. *Sacellum quadrigis vectum*, Commodi. AE. II. (Mus. Caes.)

Numum alterum jam alias vulgavi [d]), quo loco dixi, nomine ΗΡΑΚΛЄΙΟΝ intelligendam aliquam Herculis statuam, aut sacrum ei aliquod symbolum, aut λειψανον, aut sacellum statis diebus per pompam traduci solitum, ut sane Herculem inter principes in hac urbe deos habitum plures alii ejus numi Herculis imagine insignes decent. Vide, quae ibi plura alia exempla similium per urbes pomparum attuli. Ceterum explicationem non reperio seu literarum P. M. A. in numo Theupoliano, seu ΑΠΑΛΑ in numo musei Caesarei, quod quidem ambiguae est lectionis.

* * *

Mentio situs a Coelesyria plerumque additur: K. C. vel ΚΟΙΛ. C. vel: ΚΟΙ. CΤΡ. vel ΚΟ. CΤΡΙΑC. vel plene ΚΟΙΛΗC. CΤΡΙΑC.

* * *

Epocha. Annus ΓΜΡ. praefixo L. notatur aeque in numis Titi, Domitiani, et autonomo. Est aerae Pompejanae, cujus initium exemplo aliarum Decapoleos urbium ducendum ab autumno V. C. 690. Sed auctor chronici Alexandrini ad annum II. Olympiadis CLXXIX. Philadelphenses ab hoc sua tempora numerare ait, qui respondet anno V. C. 691.

AE. RR.

---

a) IV. Tent. p. 226. b) B. L. T. XXVIII. p. 568. c) Ant. L. XIV. c. 4. d) Syllogc I. p. 55.

Digitized by Google

TABAE.

Antequam de urbe disseram, juvat producere numos, quos huc refert Pellerinius.

Autonomi:

1) ΔHMOC. TABHNΩN. *Caput juvenile laur.* ☧ ΔIAOP. *Capricornus supra quem* ϛI. AE. III.

2) *Caput Iovis laur.* ☧ TABHNΩN. ЄO. *Pilei Dioscurorum.* AE. III.

3) *Alii, sed cum annis* K. ΓP. IP. AE. III. (Pellerin, Hunter.)

4) *Caput Palladis.* ☧ TABHNΩN. ΓOP. *Victoria.* AR. III.

5) TABHNΩN. *Caput Bacchi.* ☧ KAΛΛIKPATHΣ. POΔ. *Pilei Dioscurorum super basi communi.* AE. III.

6) *Caput laureatum barbatum.* ☧ TABHNΩN. ΣOΛ. *Pilei Dioscurorum, juxta cornucopiae.* AE. (Pellerin Suppl. II. p. 50.)

In hos numos commentatus Pellerinius a) quo aliorum judiciis occurrat, praemonet, in plerisque adlatis numis literam primam certum T esse, nullo pacto Γ, ut adeo nequaquam legi possit ΓABHNΩN, atque etsi apud Vaillantium exstet numus Hadriani inscriptus KΛATΔI. ΓABHNΩN. ZOP., qui adeo similis est autonomo numeri IV., tamen quoniam in hoc suo, tum aliis manifestum T legitur, necesse est, hos pertinere Tabas, ut alios cum Γ Gabas Ituraeae.

Inquirenda jam urbs horum numorum patria. Habemus Tabas Cariae eppidum, cujus suppetunt cum autonomi, tum imperatorii, verum has fastidit Pellerinius, quoniam earum numi differunt fabrica, et in Cariae et Lydiae moneta anni epochae saltem certae fidei hactenus observati non sunt. Praefert igitur alias Tabas in hoc, de quo agimus, tractu positas, de quibus Stephanus: *Tertia Peraeae, quam Alexander in opere de Syria interpretatur BONAM*, nempe a טוב, *bonus.* Addendum tamen, nullum omnino esse scriptorum alium, qui Tabarum in Peraea, aut Decapoli, aut Palaestina, aut Syria meminisset. Ergo Pellerinius necessitate compulsus, quoniam Lydiae Cariaeve Tabis hi numi non possunt competere, aliae alterius regionis a nemine produntur, Stephani unius auctoritate acquievit.

Quod Pellerinii sententiae opponam, nihil praesto est, malimque cum eo ob adlatas causas adhaerere Tabis Peraeae, licet obscuris, quam alteris Cariae. Observanda tamen videntur quaedam.

Autonomus primo loco descriptus verius videtur Tabas Cariae pertinere cum propter vocem ΔHMOC, tum quod ab reliquis nimium videtur abludere, atquae etsi Gaza quoque idem ΔHMOC inscriptum offerat, insolitum tamen istud in hoc tractu est. Literae arithmeticae ϛI. Tabis Cariae non videntur officere, nam et in harum numis comparent literae solitariae B. Γ. Iudicium, quo Pellerinius literas ΔIAOP. ad indicandam epocham adigit, speciosius est, quam ut eruditis videatur posse proba-

a) Rec. II. p. 243.

Digitized by Google

ri. Sed neque ipse illud importune[a] obtrudit, remque potius in medio relinquit.

Epocham Pellerinius exemplo aliarum ejus tractus urbium Pompejanam facit ab anno V. C. 690. Ex hac lege annum ΣΟΛ., aut ut ipse legendum docet, ΣΟΑ., respondere censet anno V. C. 960., et capite laureato barbato exhiberi Severum. Fateor, proposita capitis lineamenta nihil habere Severi; ad haec ipsam numi speciem, quae plane simplex est manifesto altioris aetatis indicio, minus ad Severi aevum facere, denique litera Σ pro C plane videtur extremis Severi annis repugnare. Ergo haud dubie epocha altius ordienda, quo his difficultatibus occurratur.

Ceterum videmus spissam adhuc caliginem his numis offusam. Sed enim, cum ex elegantibus his numis, quorum etiam unus est argenteus, ex quo metallo nullus adhuc in toto hoc tractu est compertus, jure debeat argui, has Tabas nobile fuisse oppidum, atque adeo credibile prorsus non sit, nullam ejus apud scriptores existere mentionem, occurrit, fuisse hanc urbem duplicato nomine praeditam, ut tot alias, a scriptoribus vero neglecta Tabarum appellatione aliud constanter nomen adventitium usurpatum. Vide, quae hac super re plura ad Antiochiam ad Sarum Ciliciae, et Leucadem Coelesyriae monuimus. Hoc si admittamus, necesse non erit in his Peraeae Tabis acquiescere, sed possunt etiam hi numi alteri urbi Syriae vel Ciliciae aptari, quod mysterium forte dies explicabit.

AR. RRRR. AE. RR.

PHOENICE.

Universae regionis cogniti numi

Imperatorii:

KOINON. ΦOINIKHC. *Templum*, in numo Caracallae. (Vaill.)

* * *

Autonomi in variis catalogis citantur cum epigraphe ΦOINEIKAIΩN vel ΦOINEIKEΩN. vel ΦOINEIKAIEΩN., sed quos esse Phoenices Epiri, in hujus urbis numis diximus.

AE. RRR.

In numo Romano Antonini Pii, quem dabimus ad annum V. C. 892, legitur PHOENICE, quo loco monebo, hanc regionem, etsi rarius, scribi etiam *Phoe-*

a) Caes. Iuliani p. 48.

Digitized by Google

nicia. Infra in numis coloniae Tyri videbimus scriptum PENIC.

ARCA.

Serius dicta Caesarea Libani:

Autonomum Arcae nomine exhibuit Haymius, sed quem esse Acrarum Siciliae, in his diximus.

Imperatorium Tiberii APKAIΩN se vidisse Romae in collectione Ligorii testatur Spanhemius [a]), sed nemini alteri hactenus conspectum. Vt adeo certam monetam Arcae nomine non habeamus; nomine Caesareae Libani producentur infra.

ATABYRIVM.

In Phoenicia teste Stephano. Numum Diadumeniani: ATABTPAIΩN. *Iuppiter sedens*, huc revocant Vaillantius et Harduinus. Citatur ex museo Gottifredi, quod conjunctum fuit cum museo reginae Christinae, in quo numus adhuc est, sed a me in examen vocatus certam lectionem KIBTPATΩN offert. Est ergo Cibyrae Phrygiae, et similis illi, cujus iconismus a Vaillantio numis Diadumeniani praefigitur.

BERYTVS.

Maritima ad ostia Lyci, urbs perantiqua, et adhuc sub Romanis nobilis, et ab his deducta colonia, at multo adhuc nobilior saeculo infimo propter literarum studia, ac praecipue juris prudentiae, a Theodosio metropoleos honore ornata [b]).

Autonomi:

Rari fuere ante Pellerinium, qui horum justum numerum vulgavit.

Epigraphe: BHPT. BHPTTIΩN. In singulari apud Pellerinium et Pembrockium: BIPT., quod videtur monetarii vitio tribuendum. In alio apud Pellerinium est epigraphe Phoenicia pro solita Graeca; numus ipse per typum, et additum ΛΑ𐤃 certe est hujus urbis, de qua epigraphe Pellerinius alibi fusius agit [c]). Alius apud Hunterum et nomen urbis BH. inscribit, et praeterea epigraphen Phoeniciam addit.

Typi: Antica fere sistit *caput Iovis*, aut *muliebre turritum*, interdum *etiam velatum. Caput unius Dioscurorum inter duo astra*, cujus simile cum exstet in numo parvo aureo anepigrapho, eum Pellerinius non dubitat ad hanc Berytum referre. Forte in caput istud non Dioscuri, sed Cabiri jus habent, quibus donatam Berytum infra dicetur.

In aversa *Neptunus hippocampis vectus, aut ejus attributa, pilei Dioscurorum*, *Mulier navi insistens*, *Victoria*, *clava intra lauream.*

Literae solitariae, quae per aversarum aream vagantur, indomitae hactenus sunt. Saepe in his legitur ΛΑ𐤃., quae literae annum epochae notare videri possent, sed praeterquam quod nimis altum iis esset principium quaerendum, qui ipsi haud dubie stante rep. Romana sunt signati, vetat etiam, quod

a) Caes. Iuliani p. 48. b) Cod. L. XI. tit. 21. c) Suppl. IV. p. 65.

Digitized by Google

in aliis pro ΛΑΦ. legitur ΒΗΦ. aut ΛΑ. ΒΗΦ. Harum ergo literarum sensus adhuc occultus est.

Epochae tamen anni certi in aliquibus reperiuntur, de quibus propter praefixum L. dubitari nequit. Sic legitur L. K. apud Liebe, (p. 168.) L. ΓΝ. (ibid. et Mus. Caes.) AP. sine tamen praefixo L. (Pellerin). A quo principio hi anni procedant, definire ex numis hactenus notis non potest. Liebeus, qui annum CXV. Seleucidarum pro principio statuit, nihil probat ipso etiam judice Pellerinio. Maffejus annum ΓΝ. a deducta colonia repetit a), verum desivere numi Graeci feriri, ex quo esse coepit colonia.

AV. unicus, sed dubius. AE. RR.

Regii:

Caput Antiochi IV. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *ex adverso epigraphe Phoenicia. Neptunus togatus stans d. pateram, s. tridentem, in area* ΛΑΦ. AE. II. (Pellerin Rois p. 78. Mus. Caes.)

Pellerinius et Barthelemyus numos hos Laodiceae signatos putant. Mihi certum videtur, esse hujus Beryti, I. quia Neptunus eodem insolentiore cultu, ut in his numis proponitur, est obvius in numis Beryti, in aliis nunquam. II. quia in horum area est ΛΑΦ in solis item Beryti numis conspicuum. III. quia Berytum constat in numis quandoque inscriptione Phoenicia usam, ut patet ex numo 8. tabulae LXXXI. apud Pellerinium, at istud de Laodicea non constat.

AE. RRR.

Coloniae:

Colonia a Romanis deducta est, verum an a I. Caesare, an Augusto, litigatur. Qui I. Caesarem auctorem putant, nituntur eo, quod exstat numus, in quo hinc *Caput I. Caesaris laureatum.* Ϟ COL. IVL. BER. *Colonus agens boves.* Quare cum haec colonia tantum dicatur *Iulia*, suspicatur Patinus, numum vivo dictatore signatum, eumque coloniam deduxisse b). Augusto eum honorem adserit Norisius c), nimirum ab Vlpiano vocatur *colonia Augustana* d). Eusebius in Chronico narrat, Berytum et Patras deductas colonias anno III. Olympiadis CXCI., qui respondet anno V. C. 740., et eundem hunc annum fuisse, quo Augustus militares colonias condidit, docet marmor Ancyranum. Denique Strabo diserte testatur, Berytum a Romanis instauratam duabus legionibus ibi ab Agrippa constitutis e). Dissidium componere nititur Vaillantius, coloniam revera deductam a I. Caesare, sed serius ab Augusto collocatis ibi legionibus V. et VIII. auctam.

Autonomi:

COL. *Silenus.* Ϟ BER. *Prora navis.* AE. III. (Pellerin Rec. II. p. 216.)

Silenus. Ϟ C. B. *intra lauream.* AE. III. (Pellerin Rec. III. tab. 116. n. 9.)

a) Ant Gall. p. 115. b) ad Sueton. Iulium c. 42. c) Cenot Pis. Diss. I. c. 2. d) de Censib. e) L. XVI.

Digitized by Google

Alterum hunc numum, quem ejus praeco inter incertos posuit, huc quoque pertinere, opportune me monuit cl. Neumannus noster.

AE RRRR.

Imperatorii

Beryti coloniae admodum sunt frequentes a I. Caesare usque ad Saloninam.

Epigraphe: COL. BER. — COL. IVL. BER. — Inde ab Augusto: COL. IVL. AVG. BER. — COL. FEL. AVG. BER. — COL. IVL. AVG. FEL. BER. Epigraphe etiam nonnunquam in utramque numi superficiem dividitur, sic: COL. *Caput M. Aurelii.* ☧ BER. *Caput L. Veri, utrique capiti adstituitur aquila.* (Vaill.) Idem exemplum est in numo Severi et Caracallae eodem modo conjunctorum. (Vaill.) Disjectam etiam epigraphen vidimus in autonomo.

Exstant numi Augusti, in quorum antica est: AVG. *Caput Augusti.* ☧ *Sine epigraphe. Colonus arans*, in aliis: COL. IVL. in aliis: COL. IVL. AVG. Hi numi variam fortunam experti sunt. Welserus eos Augustae Vindelicorum tribuit, alii Fidentiae agri Parmensis, ut videre est apud Mediobarbum, Iobertus adseruit, esse Phari juxta Alexandriam Aegypti, quam dictam fuisse *coloniam Caesaris* prodidit Plinius a), inter ignotos alii habuere. Similem nactus sum ego cum capite Vespasiani, et inscriptum: COL. AVG., an additum sit IVL., non discerno. Vespasiani mento incusum est signum integerrimum sistens Astarten stantem cum omni eo cultu, quali tantum in Beryti numis comparet; stat nimirum d. hastam tenens, s. pede prorae navis insistens, s. manu femori admota; eam coronat Victoriola columellae insistens. Hic typus obvius est in Beryti numis inferiore aevo signatis. Quare videntur Berytii immutato forte veteris monetae suae valore eidem posteriorem suam notam impressisse. Videntur igitur hi numi esse Beryti, quae *Iulia* et *Augusta* dicta fuit, et inde ab Augusto copiosos signavit. Istud non negligendum, numum hunc mihi ex Syria adlatum cum pluribus aliis, inter quos plures alii Beryti numi cum coloniae, tum autonomi fuere.

* * *

Typi praeter obvios *coloni arantis.*

V. VIII. COL. BER. *Duae aquilae legionariae*, in numis Augusti et Claudii.

Eaedem aquilae, sed omissis numeris, per omnes fere imperatores usque ad Gallienum conspiciuntur. Legiones binas hic ab Agrippa constitutas, supra ex Strabone vidimus, qui tamen, quae numero fuerint, non prodit. Eaedem etiam nominantur in numis vicinae Heliopolis Coelesyriae coloniae, in cujus numis plura ad has legiones pertinentia adnotavi. Ad has etiam pertinet typus, qui est in numo Elagabali apud Pellerinium: *Victoria stans cum signo militari dexteram porrigens versus duas figuras, quae singula vexilla*

a) Sc. des méd. T. II. p. 4.

Digitized by Google

militaria tenentes in navi sedent a). Videtur utraque legio V. et VIII. virtute sua ad victoriam Actiacam multum contulisse, atque adeo XVII. annis post ab Augusto meritis praemiis adfecta eam Berytum deducendo, quae causa typi praesentis omnino fuisse videtur. Eandem utriusque legionis virtutem maritimam respicit etiam typus in numo Heliopolitano, in quo *stant duae mulieres remum singulae tenentes scripto juxta:* LEG. H., quod *Legiones Hadrianae* interpretor, ut in Heliopolis numis dixi. Quid quod et Nonnus idem innuere videtur, sic de Beryto, quam Beroën vocat loquens b):

Σκηπτρον ὁλης Αυγυςος ὁτε χθονος ἡνιοχευσει,
Ρωμῃ μεν ζαθεῃ δωρησεται Αυσονιος Ζευς
Κοιρανιην, Βερῃ δε χαρισεται ἡνια θεσμων,
Οπποτε θωρηχθεισα φερεσσακεων ἐπι νηων
Φυλοπιν ὑγρομοθοιο κατευνησει Κλεοπατρης.

Cum Augustus capessiverit sceptrum totius terrae,
Ausonius quidem Iuppiter dabit divinae Romae
Imperium, Beryto vero largietur frena legum,
Quando armata scutiferis in navibus
Pugnam bellicosae in mari sedabit Cleopatrae.

Ad ipsam Berytum hi versus non pertinent, quae utique in illo bello ab Antonio et Cleopatra stetit; ergo ad binas legiones, quae ex navibus dimicantes vim Cleopatrae repressere, atque adeo hae περολητικως dicuntur Berytus, quippe futuri post XVII. annos ejus urbis incolae.

* * *

PE - - - SILANI. *Duae aquilae legionariae*, in numo Augusti. AE. III. (Mus. Caes.)

PERM. SIL. *inter duas aquilas legionarias.* (Pellerin Mel. I.)

Epigraphen numi II. Pellerinius legit PERM*issu* SIL*ani*, quam lectionem confirmat numus prior serius repertus, et a me nuper vulgatus c). Est hic Q. Caecilius Silanus, qui fine Augusti, et initio Tiberii Syriam rexit, ut docent obvii numi Antiocheni cum ejus praesidis nomine. Etiam numi Africae veteris permissum Dolabellae et Apronii proconsulum offerunt, ut dicetur.

* * *

SEC. SAEC, id est: SEC*uritas* SAEC*uli* typo *Neptuni*, in numis Antonini, Aurelii, Commodi, (Theupoli, Arigoni.) aut *Astartes in templo*, Commodi. (Vaill.)

* * *

DECENNALES. ANTONINI. COS. III. *Astarte stans*, Severi. (Vaill.)

Numus signatus est V. C. 961., quod Caracalla COS. III. processit, et simul vota X. peracta sunt, nam in numis Latinis Caracallae hujus anni legitur quoque: VOT. SOLVT. DEC. COS. III.

* * *

Astarte stans in templo d. hastam cruce praefixam, s. cornucopiae, s. pede prorae navis insistit, coronatur a Victoria columellae insistente.

a) Meb I. b) Dionys. L. XLI. v. 389. c) Sylloge I. p. 56.

Digitized by Google

Hic typus frequens in numis inde a Trajano, sed etiam mira est ejus variatio; saepe *extra templum, et d. vexillum tenet*, circum aetatem Valeriani, aut *infra templum duo Cupidines d. tridentem tenentes delphinis vecti*, in numo Diadumeniani, (Pellerin, Mus. Caes.) aut *ejus protome in templo inter duo signa militaria, infra navicula*, (non leo, ut visum Vaillantio) in numis Gordiani. (Mus. Caes.)

* * *

Neptunus Nympham d. amphoram gestantem et humi inclinatam manu arripit, Caracallae, et Elagabali. (Vaill. Mus. Caes. Theup.) Eodem habitu uterque proponitur in fastigio templi super elegante numo Diadumeniani, quem pictum sistit Pellerinius, (Mel. I. p. 297.) et qui est etiam integerrimus in Museo Caesareo.

Est haec Nympha Beroe, erudite jam istud observante Vaillantio, cujus fabula ultimae antiquitati involvitur, a qua urbi nomen. At juvat audire Nonnum sic canentem [a]):

Πρωτοφανης Βερον πελε συνγχρονος ἡλικι κοσμῳ,
Νυμφης ὑψιγονοιο φερωνυμος, ἡν μεταναςαι
Τιεες Αυσονιων ὑπατηια φεγγεα Ρωμης
Βηρυτον καλεουσι.
Beroe prima apparens fuit coaeva aequali mundo,
Nomen gerens Nymphae serius genitae, quam coloni
Filii Ausones summa lumina Romae
Berytum vocant.

Ex Nonni ergo doctrina fuit urbs Beroe seu Berytus aequalis mundo ipsi, ut etiam Stephanus eam κτισμα Κρονου, *Saturni opus* vocat, et a Nympha Beroe nomen adepta, quamvis Stephanus eam sic dictam velit propter abundantiam aquae, quia Βηρ indigenis *puteum* significat, ut et Hesychius: Βηρ, το φρεαρ, Συροι, et consentit Eustathius [b]). Revera בְּאֵר Hebraeis est *puteus*, et constat ex sacris literis, puteos in hoc tractu propter utilitatem fuisse expetitos, et a puteis multa loca vocata. Posterior igitur sententia magis est historice vera, sed prior mythologica indigenis lubentius credita. Ceterum non a Romanis primum, ut vult Nonnus, urbs pro Beroe vocata est Berytus, sed id nomen jam prius obtinuit, quod vel ex numis autonomis palam fit. In epigrammate vetere promiscue dicitur *Beroe* et *Berytus* [c]). Ad numi typum ut revertar, narrat Sanchoniaton apud Eusebium [d]): Και επι τουτοις ὁ Κρονος Βυβλον μεν την πολιν Θεᾳ Βααλτιδι, τῃ και Διωνῃ, δωσι, Βηρυτον δε Ποσειδωνι και Καβιροις. *Interea Saturnus Byblum urbem deae Baaltidi, quae et Dione, dono dedit, Berytum vero Neptuno et Cabiris.* Perhibet item [e]), Neptuno et Baccho inter se pro Beroe Nympha dimicantibus eam Neptuno praetulisse Bacchum, et nonnisi Iovis imperio invitam marino deo nuptam. Quare in numo videmus, Beroen a Neptuno reluctantem trahi. Cum igitur Berytus fuerit donum Neptuno proprium, factum, ut toties in numis ipse proponatur, etiam

a) Dionys. L. XLI v. 364. b) ad Dionys. Perieg. v. 911. c) Anal. Brunck. T. III. p. 13. d) Praepar. Evang. L. I. e) Dionys. L. XLIII. sub init.

Digitized by Google

intra templum, aut vectus hippocampis, etiam in autonomis Graecis frequenter.

Bacchus vario cultu, stat inter palmites, etiam Satyrum amplectitur.

Ratio Bacchi ex modo dictis petenda.

Silenus cum utre intra templum, Elagabali. (Vaill.)

Vide, quae dicentur in tractatu de numis Coloniarum, in quibus Silenus typus frequens.

Hercules nudus inter duos angues, Elagabali. (Vaill.)

Aeneas Anchisen efferens, Elagabali. (Theup.)

Hic typus symbolum est coloniae Romanae.

Octo figurae sedentes in circulum, infra navis, Elagabali. (Pellerin, Arigoni.)

Argumentum videtur idem quod in numis variarum Ciliciae urbium sunt complura capita in circulum disposita, verum utriusque significatio mihi ignota.

AE. C.

BOTRYS.

Maritima inter Tripolin et Berytum, vetustate sua commendata.

Imperatorii

M. Aurelii, Elagabali, (Vaill. Noris, Arigoni.) Soaemiadis. (Arigoni.)

Epigraphe: BOTPTHNΩN. *Astarte stans in templo.*

Epochae annus CC. in unico Elagabali. Norisius epocham Iulianam suspicatur ab anno V. C. 705. Tamen ex unico numo, eoque forte non satis integro nihil certi adfirmari confitetur [a]).

AE. RRR.

BYBLVS.

Maritima prope Botryn ad Adonin fl. Ejus antiquitas oppido venerabilis; nam Sanchoniaton a Saturno conditam scribit, at serius deae Baaltidi, quae et Dione, dono datam [b]). Isidem quoque huc veniese quaesitum cadaver Osiridis ad Bybli litus ejectum tradit Plutarchus [c]).

Imperatorii

Ab Augusto usque ad Valerianum.

Epigraphe ΒΥΒΛΙΩΝ in numo Augusti, (Vaill.) ab hoc constanter ΒΥΒΛΟΥ. ΙΕΡΑC.

Typi:

Isis velum explicans, frequens inde a Claudio. Fuisse Bybliis rationem ejus deae colendae, paullo ante dictum. Addendum, creditum indigenis, Osirin apud se sepultum [d]), et Isis Osirin suum plorans Bybli diadema capiti suo detraxit [e]).

Astarte in templo, quam Victoria cippo insistens coronat.

Astartes, seu peregrinae hujus Veneris frequens in Phoenice typus. Singularem Veneris in hoc tractu cultum testatur Lucianus ἀντόπτης [f]), et Nonnus Panopolites [g]):

---

a) Epoch. Syrom. p. 392. b) Euseb. Praep. Evang. c) de Is. et Osir. d) Lucian de dea Syr. e) Eustath. ad Dionys. v. 912. f) l. c. g) Dionys. L. III. v. 109. seq.

Digitized by Google

ὑ ῥοον εἰδες Αδωνιδος, ὑ χδονα Βυβλυ
Εδραμες, ἠχι πελει Χαριτων δομος, ἠχι χορευει
Ασσυριη Κυθερεια;
non flumen nosti Adonidis, non terram Bybli
Vidisti, ubi est Charitum domus, ubi chorum ducit
Assyria Venus?

Mulier turrita puellum sinistra ducit, Augusti. (Morelli Impp. tab. 39.) Incertus hujus typi explicatus.

* * *

Ιερας, *sacrae*, titulus haud dubie propter sacra Adonidis hoc loco obita, quae praedicat Strabo [a]), et Eustathius [b]): ἡ Βυβλος κτισμα Κρονυ, Αδωνιδος ἱερα, Κινυρυ βασιλειον ἀρχαιοτατον, *Byblus Saturni opus, Adonidi sacra, Cinyrae regia antiquissima.*

* * *

Epochae annus CKΔ. De ejus exordio tanto magis disputatur, quod antiquarii inter se discordant, sitne caput anticae Caracallae, an Elagabali. Vaillantius aliquando decidere, cujus caput sit, ausus non est, ut testatur Norisius [c]). Idem in suo de Graecis numis opere dubium nullum movet, eumque Elagabalo numum adserat, epochae principium fixit ad annum V. C. 748. Harduinus Caracallam mavult, et aeram orditur ab V. C. 734. Norisius rem propter dictum dubium in medio relinquit. Ipse ex binis numis, qui sunt in Caesareo, vereor decidere, sitne potius Elagabali, an Caracallae juvenis. *AE. RR.*

CAESAREA AD LIBANVM.

Vrbis sic vocatae meminit Victor Schotti, qui Alexandrum Severum natum adserit in urbe *Syriae, cui duplex Caesarea et Arca nomen est* [d]). Eandem etiam Lampridius *Arcam Caesaream* vocat [e]). Habuit ergo *Caesareae* nomen urbs magis cognita primaevo *Arcae* nomine, aeque tamen constat, cujus Caesaris beneficio id nomen sibi sumpserit. Fuit haec Arca non procul a mari prope Tripolin, et ad radices Libani montis posita, ut ex variorum testimoniis eruit Belleyus, qui urbis hujus historiam et numos descripsit [f]). Stetit in hac templum Alexandri M. honoribus dicatum, in quo natus est Alexander Severus, cum parentes festorum occasione ad illud inviserent, cujus causa velut illustris ominis nomen ei *Alexandri* inditum [g]).

Imperatorii:

Eos primus detexit Haymius inscriptos KAICAPЄIAC. ΛIBANOT., eosque per hanc ipsam epigraphen ad hanc Arcam pertinere suspicatus est, quod judicium prolatis subinde numis aliis stabilire aggressus est Belleyus. Sunt omnes Antonini, et Aurelii adhuc Caesaris,

a) L. XVI. b) ad Dionys. v. 912. c) Ep. Syrom. p. 396. d) in Alex. Sev. e) in Alex. Sev. f) B. L. T. XXXII. p. 685. g) Lamprid. l. c.

Digitized by Google

sub Antonini adeo imperio signati, omnes epocha insignes.

* * *

Typi: Caput muliebre turritum, vel: *Figura paludata stans d. vexillum, s. arcum.* Hac Belleyus exhiberi simulacrum Alexandri M. conjecit, quale in celebri illo ejus templo fuerit propositum.

* * *

Epochae anni in his leguntur: ϛNΓ. HNΓ. AΞΓ. BΞΓ. ZΞΓ. suntque exigendi ad aeram Seleucidarum V. C. 442. (Belley l. c. p. 686.)

AE. RRR.

Colonia serius deducta est a quo, quave occasione, non liquet. In definiendis hujus coloniae Caesareae numis graviter olim peccatum. Iuvat omnes hos numos hactenus cognitos describere, quo confidentius de iis judicari possit.

1) TITO. FLAVIO. VESPASIANO. *Caput Titi laur.* ✠ COL. CAESARIA. LIB. ΦΛΑ. *Caput muliebre turritum.* (Vaill. Spanheim T. I. p. 527. Morelli in Tito tab. XIII. n. 1.)

2) *Epigraphe et caput Elagabali.* ✠ COL. CAESAREA. AIB. AAΦ. *Mulier loto insignis intra templum.* (Vaill. in Coloniis, sed sub Caracalla.)

Hunc ipsum Vaillantii numum nuper museo Caesareo acquisivi, cujus talis est status:

- - - ANTONINVS. *Caput Elagabali laur.* ✠ COL. CAESARIA. LIB. AAΦ. *Fornix templi a duobus hermis fultus, intra quod imago mulieris ad medium usque corpus, capite velato, et in sinistrum humerum inclinato, cui insuper luna bicornis imminet, juxta superne hinc astrum solis, inde lunae, ad dexterum latus sceptrum.* AE. I.

3) IMP. M. ATR. ANTONINVS. *Caput Elagabali laur.* ✠ COL. CAESARIA. LIB. AAΦ. *Protome muliebris capite turrito.* (A me vulgatus ex museo Savorgnan in meis Num. vet. p. 281.)

4) ATR. AΛEXANΔROS. CAISAR. *Caput nudum Alexandri adhuc Caesaris.* ✠ KAISARIA. BΛΦ. *Astarte stans in templo coronatur ab adstante figura paludata.* (Pellerin Mel. I. p. 28.)

In hos numos erudite commentatus est Pellerinius, et annosum veterum antiquariorum errorem feliciter abstersit [a]). Nam Spanhemius et Vaillantius epigraphen aversae in praetenso Titi numo explicuere: *Colonia Caesarea Libera Flavia*, at epigraphen numi II. *Colonia Caesarea Libera anno* 531. Eorum quoque sententiae subscripsit Gorius [b]), Aliam interpretationem attulit Harduinus, quam alioqui falsam commemorare supervacaneum. Omnes hi viri eruditi numos hos Caesareae Palaestinae tribuerunt.

Iudicium istud nimio suspectum visum Pellerinio; nam I. in numis Caesareae Palaestinae multo alia est epigraphe. II. Quo titulo Caesarea Palaestinae uteretur aera Seleucidarum, quam illi in numo secundo ex litteris AAΦ. agnoscunt, quae ab Herode M. in honorem Augusti exstructa fuit? III. Cur titulus ΦΛΑ., secundum hos auctores *Flavia*,

a) l. c. b) Morelli Impp. T. II. p. 385.

Digitized by Google

scribitur Gracce, cum reliqua tota epigraphe Latina sit? Ex his ergo arguit Pellerinius I. το LIB. legendum *Libani*, et indicare situm ad montem Libanum, perinde ac in numis Graecis supra citatis το KAICAPEIAC. ΛIBANOT. Arguit II. τα ΦΛΑ. ΑΛΦ. ΒΛΦ. esse annos aerae Seleucidarum. Cum vero secundum viros hos eruditos in numo Titi scriptum sit ΦΛΑ., qui annus imperium Titi multum excederet, recte observat Pellerinius, aut in hoc Titi numo alias esse scriptas literas, quam ΦΛΑ., aut si hae revera leguntur, numum esse debere Elagabali, non Titi, quam suspicionem jam aluit Bimardus, nimirum in numo hoc, qui ex museo Christinae citatur, caput et epigraphen Elagabali ab adulteratore in caput et epigraphen Titi fuisse conversam a). Causa admissi peccati fuit duplex, prima, cum numi Graeci inscripti KAICAPEIAC. ΛIBANOT. antiquariis adhuc essent ignoti, et simul haec urbs vix unquam Caesareae nomine fuerit appellata, numos hos, quod maxime congruum visum, Caesareae Palaestinae tribuerunt: at cum haec nimium a Libano dissita fuisset, oportebat τῳ LIB. aliam explicationem quaerere; quo factum, ut in voce LIB*era* acquiescerent, tanquam privilegio urbi a Romanis concesso. Altera causa, cum numum I. revera crederent esse Titi, non poterant propter causas adlatas in literis ΦΛΑ. epochae annum suspicari. Cum ergo exitus quaerendus esset, et το ΦΛΑ. viros eruditos gentis *Flaviae* opportune commonefaceret, ex qua erat Titus, factum, ut eas literas *Flavia* interpretarentur. Numus III. a me, ut dixi, editus, et cetera Spanhemiano simillimus aperte docet, hunc quoque Spanhemii numum esse Elagabali, eumque aut male lectum, aut ab adulteratore depravatum.

Ex typis mentionem meretur is, quem secundo loco ex museo Caesareo descripsi, nimirum protome muliebris velata, et capite lugentis more in humerum inclinato. Qui typus in memoriam revocat, quod de Venere Adonidem suum lugente narrat Macrobius b), *simulacrum hujus deae*, inquit, *in monte Libano fingitur capite obnupto, specie tristi, faciem manu laeva intra amictum sustinens, lacrymae visione conspicientium manare creduntur. Quae imago praeter quod lugentis est deae etc.*

* * *

Epocha igitur in his quoque numis, et quidem anni ΑΛΦ. ΒΛΦ. hi queque ad Seleucidarum aeram exigendi. Secundum hanc annus ΒΛΦ. coepit in autumno V. C. 973., quo labente, sed anno V. C. 974. constat adoptatum ab Elagabalo Alexandrum, quod cum laete a Caesariensibus acciperetur, qui natum apud se Caesarem noverant, mox cum ejus imagine numos in gaudii sui testimonium signavere.

AE. RRR.

DORA.

Maritima, et longae vetustatis, secundum Stephanum condita a Doro Neptuni F.

a) ad Iobert T. II. p. 241. b) Sat. L. I. c. 21.

Digitized by Google

Bini vulgati a Pellerinio, in quorum uno *epigraphe:* ΔΩΡΕΙΤΩΝ., in alio: ΔΩΡΙΤΕΙΤΩΝ. Panelius in suo legit ΔΩΡΙΗΤΩΝ., in Hunteriano: ΔΩΡΙΕΩΝ. Etiam apud scriptores reperiuntur Δωριεων, Δωριτων, Δωρεων, ut videre est apud Norisium [a]). Apud Stephanum Δωριτης, et Δωριευς.

Typus: *Caput Iovis.* ℞ *Mulier stans d. vexillum, sive potius hastam cruce praefixam, s. cornucopiae.* Haud dubia Astarte solitus hujus orae typus.

Epochae anni: L. ΡΚΗ. et ΑΛΡ. in Pellerinianis leguntur, de quibus infra. Vterque Nerone imperante signatus.

AE. RRR.

Regius

Cum capite Tryphonis quaerendus in ejus regis numis.

Imperatorii:

Trajani, et Hadriani.

Epigraphe et tituli:

ΑΩΡΑ. ΙϵΡΑ. Trajani (Vaill.)

ΑΩΡ. ΙϵΡ. ΑϹΤΛ. ΑΤΤ. ΝΑΤΑΡ. Hadriani. (Vaill. Noris.)

Sacrae et *Asyli* titulos videtur captasse propter religionem Iovis, cujus caput plerumque tam in autonomis, quam imperatoriis comparet. Vtroque titulo jam in indicato Tryphonis numo gloriatur. *Navarchida* notant triremis et acrostolium Iovis capiti adstitutum apud Norisium. *Autonomia* a Pompejo obtenta, quod mox docebit Iosephus.

* * *

Epocha:

ΡΟϵ. in numis Trajani.

ΙΙΡ. in numis Hadriani.

Est Pompejana, quam Vaillantius et Norisius ducunt ab anno V. C. 691. Pellerinius 690 [b]). Iosephus de Dora nominatim: *Similiter et maritimas Gazam, Ioppen, Dora, et Stratonis turrim Pompejus liberas esse jussit.* (L. XIV. c. 8.)

AE. RRR.

MARATHVS.

E regione Aradi. Verius Seleucidi Syriae inserenda. Tamen cum Strabo eam vocet *antiquam Phoenicum urbem*, et numi charactere Phoenicio inscripti sint, huc referri commode potest.

Autonomi:

Hujus tantum classis exstant numi; nam serius exhausta fuit, postquam ejus agrum Aradii per vim occuparant, ut testatur Strabo [c]).

Caput muliebre velatum, in aliis: *Mercurii*, in aliis: *Apollinis.* ℞ *Epigraphe Phoenicia. Vir togatus stans d. acrostolium, s. columnae innixus.* AE. III. (Pellerin, Mus. Caes.)

De literis Phoeniciis Marathi monetae inscriptis agam in tractatu singulari post numos hujus regionis.

AE. R.

ORTHOSIA.

Maritima prope Eleutherum fl.

a) Ep. Syrom. p. 381. b) Rec. II. p. 217. c) L. XVI.

Digitized by Google

Autonomis

HΞT. *Caput mulicbre turritum.* Ɪ --- ΩCIЄΩN. *Iuppiter Nicephorus sedens.* AE. II. (Pellerin.)

Caput simile. Ɪ OPΘΩCIЄΩN. L. ϛT. *Vir nudus freno regens duo animalia, quae pantherae videntur, iisque quasi insistens, ut vir in notis Tarsi numis.* AE. II. (Pellerin.)

Similis quoque typus est in numo Antonini [a]).

AE. RRRR.

Imperatorii:

A Vespasiano usque ad Alexandrum. Quem Vaillantius cum capite Augusti huc adegit, esse Orthosiae Cariae, in hac diximus.

Epigraphe: OPΘΩCIЄΩN.

Typi: *Dioscuri stantes cum equis,* typus obvius. *Astarte d. hastam coronatur a Victoria columnae insistente, et pede fluvium calcat,* Antonini. (Vaill.) *Templum, in quo Astarte stans inter Dioscuros,* Caracallae. (Vaill.)

Epocha:

HΞT. ϛT. in autonomis.

BΞT. Antonini. (Vaill. Noris.)

BΛΦ, ΓΛΦ. Alexandri, de quibus mox.

ΔΛΦ. ejusdem. (Pellerin Mel. II. p. 325.)

Est Seleucidarum ab anno V. C. 442. In describendis numis cum annis BΛΦ. ΓΛΦ. hallucinatur Pellerinius [b]). Ait, utrumque hunc numum offerre caput Alexandri nudum, et cum solo Caesaris titulo, at in ectypo numi ipso cum anno ΓΛΦ. est quidem epigraphe M. ATP. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟC. KAICAP., sed tamen caput laureatum, et sic etiam describitur in catalogo [c]). Videtur ergo in numo BΛΦ. tantum esse caput nudum, et in numo ΓΛΦ. laureatum, ut revera numus quoque musei Caesarei cum posteriore hoc anno laureatum caput exhibet. Etiam in numo Caesareae Libani conjungitur annus BΛΦ. cum capite Alexandri nudo, et solo Caesaris titulo, atque, ut ibi diximus, labente hoc anno is ab Elagabalo fuit adoptatus. Ceterum intra annum Seleucidarum ΓΛΦ. Alexander et Caesar, et Augustus fuit, nam is coepit in autumno V. C. 974., at Alexander nonnisi proximo vere per Elagabali necem Augusti titulum abstulit.

AE. RR.

SIDON.

Maritima ad Bostrenum fl. antiquitatis summae, et fama satis superque cognita. Iuvat describere numos secundum verisimilem eorum aetatem, permixtis numis cum autonomis, tum regum, et imperatorum, quo de annis epochae securius judicari queat.

1) Antiochi IV. *Caput regis diadematum.* Ɪ BAΣIΛEΩΣ. ANTIOXOT. ΣIΔΩN. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE.

Antiocho IV. hunc numum tribuit Frölichius. (Annal. Syr. p. 51.)

2) Ejusdem. *Caput radiatum.* Ɪ ΣI-

a) Noris Ep. Syrom. p. 474. b) Rec. III. p. 245. c) Mel. II. p. 183.

Digitized by Google

ΔΟΝ - - - *Europa tauro vecta.* AE. (Haym.)

3) Ejusdem. *Caput regis laureatum sub imagine Apollinis.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. HMP. *Europa tauro vecta.* AE. (Pellerin Rois p. 78.)

4) Demetrii I. *Caput diadematum.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Frōl. Ann. p. 57.)

5) Ejusdem. *Caput simile.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. ΘΝΡ. *Navis cum remigantibus.* AE. (Ibid. p. 61.)

6) Alexandri I. *Caput diadematum.* ☧ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΙΔΩ. ϛΞΡ. *Aquila cum ramo palmae.* AR. I. (Pellerin Rois.)

7) Ejusdem. *Caput simile.* ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Navis, in imo literae Phoeniciae.* AE. III. (Mus. Caes.)

8) Demetrii II. *Caput diadematum.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩ. ΘΞΡ. *Aquila stans cum ramo palmae, in area acrostolium.* AR. I. (Mus. Caes.) In alio annus OP. (Mus. Duane.)

9) *Alius, sed* OP. *et* AR. III. (Frōl. Ann. p. 75.)

10) *Alius, sed* ΔΟΡ. et AR. I. (Frōl. Ann. p. 79.)

11) Antiochi VII. *Caput diadematum, pone* ΘΟΡ. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Navis, et scriptura Phoenicia.* AE. (Frōl. Ann. p. 83.)

12) Demetrii II. *Caput diadematum.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΓΠΡ. *Astarte in navi, juxta scriptura Phoenicia.* AE. (Pellerin Rois.)

13) Antiochi VIII. *Caput regis.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΗΠΡ. *sine mentione typi.* (Frōl. Ann. p. 91. ex Harduino.)

14) Ejusdem. *Capita jugata Cleopatrae velatum diadematum, Antiochi VIII. diadematum.* ☧ ΒΑΣΙΛΙΣΣΗΣ. ΚΛΕΟΠΑΤΡΑΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣ. AqP. *Aquila stans, pone palmae ramus, in area acrostolium.* AR. I. (Pellerin Rois.)

15) Ejusdem. *Caput diadematum.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ϚqP. *Astarte navi insistens.* AE. (Pellerin Rois.)

16) Antiochi IX. *Caput diadematum.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣΤ. Σ. *Aquila gubernaculo insistens cum ramo palmae, in area acrostolium.* AR. I. (Pellerin Rois.)

Hactenus aera Seleucidarum.

* * *

17) Antiochi IX. *Caput diadematum.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΣΙΔΩ. ΙΕΡ. ΑΣΤ. Ε. *Pallas stans d. Victoriolam, s. hastam.* (Frōl. Ann. p. 101. Mus. Duane.)

18) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. E. *Aquila gubernaculo insistens, pone palmae ramus.* AR. I. (Pellerin.)

19) Autonomi: *Caput Iovis.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. Θ. *Europa tauro vecta.* AE. (Theup. Pembrock.)

20) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. K. *Astarte super navi.* AE. (Mus. Caes.)

21) Demetrii III. *Caput diadematum cum modica barba, juxta* AK. ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Navis, pone literae Phoeniciae.* AE. (Frōl. Ann. p. 111.)

22) Autonomi: *Caput Iovis.* ☧ ΣΙΔΩΝΩΣ. L. BK. *Victoria super prora*

Digitized by Google

navis, *infra literae Phoeniciae.* AE. (Pellerin.)

23) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. EK. ZK. ΘK. *Astarte cum hasta crucigera insistens navi*, *infra literae Phoeniciae.* AE. (Pellerin, Mus. Caes.)

24) *Alii cum annis* L. Λ. ΑΛ. AE. (Pellerin, Mus. Caes.)

25) Autonomi: *Capita jugata*, *barbatum*, *et muliebre turritum.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. L. ΑΛ. ΕΛ. *Navis*, *infra literae Phoeniciae* AE. (Pellerin. Föl. Ann. p. 117.)

26) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. L. ϛM. *Aquila gubernaculo insistens*, *pone palmae ramus.* AR. I. (Pellerin.)

27) Autonomi: *Caput Bacchi.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Cista cum thyrso*, L. ΘM. ΓN. Ξ. *infra literae Phoeniciae*, *omnia intra hederaceam.* AE. (Pellerin.)

28) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. O. *Victoria super navi.* AE. (Mus. Caes.)

29) Autonomi: *Templum 4. column.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. ΓP. *Europa tauro vecta.* AE. (Theup.)

30) Augusti. L. IP. (Pellerin Mel. II. p. 326.)

31) Augusti. *Hujus caput.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. ZIP. *Europa tauro vecta.* (Vaill.) *Currus Astartes.* (Noris.)

32) Augusti. *Caput laur.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. L. ΓKP. *Europa tauro vecta.* (Pellerin Mel. II.)

33) *Alius*, *sed* ΔKP. (Mus. Caes.)

34) Autonomi: *Templum 4. column.* ☧ ΣΙΔΩΝΙΩΝ. ZKP. *Europa tauro vecta.* (Hunter.)

35) Autonomi: *Caput muliebre turritum*, *juxta* $Z\frac{A}{\varsigma}$ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. EMP. *Navis*, *infra scriptura Phoenicia.* (Pellerin Suppl. II. p. 88.)

36) Caligulae. *Caput laureatum.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. L. HMP. *Europa tauro vecta.* (Pellerin.)

37) Autonomi: *Caput Bacchi.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. L. ΔNP. *Cista mystica*, *omnia intra hederaceam.* (Mus. Caes. Theup.)

38) Autonomi: *Caput muliebre turritum.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ENP. *Navis*, *infra scriptura Phoenicia.* (Hunter.)

39) *Alius*, *sed:* L. ΞP. (Theup.)

40) Claudii. *Hujus caput.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. AΞP. *Europa tauro vecta.* (Vaill.)

41) *Alius*, *sed* BΞP. (Pellerin Mel. II. p. 326.)

42) Autonomi: *Caput Bacchi.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. EΞP. *Cista Bacchi intra hederaceam.* (Hunter.)

43) Autonomi: *Caput muliebre turritum*, *juxta* $\frac{A}{\varsigma}$ ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ϛΞP. *Navis*, *infra scriptura Phoenicia.* (Pellerin Suppl. II. p. 88. Mus. Caes.)

44) Autonomi: *Caput muliebre turritum*, *juxta* $\frac{B}{\varsigma}$ ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΘΞP. *Navis*, *infra scriptura Phoenicia.* (Ibid.)

45) Neronis. *Hujus caput.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΘΞP. *Europa tauro vecta.* (Mus. Caes.)

46) Neronis. *Hujus caput.* ☧ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. EOP. *Europa tauro vecta.* (Vaill. Theup.)

Digitized by Google

47) Autonomi: *Caput muliebre turritum.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΤ. ΚΑΙ. ΝΑΤΑΡΧ. ϛqP. *Navis.* (Mus. Caes.)

48) Autonomi: *Caput Bacchi.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. HqP. *Bacchus togatus stans d. diotdm, s. thyrsum.* (Pellerin.) In alio: *Navis.* (Mus. Caes.)

49) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum, juxta astrum, et acrostolium.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. HqP. *Navis infra* Λϛ. (Mus. Caes.)

50) *Alius, sed* HIΣ. *infra* Λϛ. (Mus. Caes.)

51) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΚΣ. *Navis.* (Frōl. Ann. p. 108.)

52) Trajani. *Hujus caput.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΝΑΤΑΡΧΙΔΟΣ. L. ΕΚΣ. *Mulier seminuda in navi d. extenta.* (Vaill.)

53) *Alius cum anno* ZKΣ. (Noris. Mus. Caes.)

54) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum, hinc astrum, inde acrostolium.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ZKΣ. *Protome Astartes in curru,* aut *Navis,* aut *Cista intra hederaceam.* (Mus. Caes. Pellerin, Theup. Beger. Frōl. Ann. p. 113.)

55) Hadriani. *Hujus caput.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ZKΣ. HKΣ. *Protome Astartes in curru.* (Vaill.)

56) Ejusdem. *Raptus Europae, et annus* HKΣ. (Arigoni.)

57) Autonomi: *Caput muliebre velatum turritum, prae quo astrum, pone acrostolium.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΙΕΡΑΣ. ZKΣ. ΘKΣ. *Protome Astartes in curru.* (Theup. Mus. Caes.)

58) Autonomi: *Similis adversa.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. HKΣ. *Navis.* (Pellerin.) *Currus seu thensa.* (Mus. Caes.)

59) Autonomi: *Similis adversa.* Ϡ ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. ΛΣ. *Navis.* Sic numum ex museo Granelliano descripsit Frōlichius, (Annal. p. 115.) at in eo manifeste legitur Λϛ.

* * *

Recitatis Sidonis numis ad figendas epochas aggrediamur.

Epocha I. Seleucidarum, quae certa est vel ex adductis numis regum Syriae.

Epocha II. coepit V. C. 643. in autumno. Istud conficitur ex numis Trajani et Hadriani, in quibus, ut vidimus, communis annus ZKΣ. legitur. Si ergo annum 227. subtracta unitate addamus ad 643., emerget annus 869.; anno sequente mense Augusto mortuus est Trajanus, et regnare coepit Hadrianus. Dubium quidem movet Norisius, et suspicatur, annum ZKΣ. non in Hadriani, sed Trajani tantum numis legi; at eundem numerum serius Vaillantius reipsa in Hadriani numo musei regii deprehendit. Consentit tamen, cum in certis Hadriani numis legatur HKΣ., hoc notari primum annum Hadriani, sicut τὸ ZKΣ. postremum Trajani, adeoque initium epochae ad autumnum V. C. 643. immotum manet [a]). Reliqui anni in impp. numis contenti ad colligendum annum certum nihil conferunt. Numus Caligulae docet tantum, aeram non potuisse incipere citius, quam ab autumno V. C. 642.

Quaeritur I., quae fuerit causa con-

a) Epoch. Syrom. p. 352.

Digitized by Google

stitutae novae epochae. Historici nihil adferunt. Verisimile est, occasione belli, quo tum fratres Antiochus VIII. et IX. inter se commissi fuere, Sidonios sibi autonomiam extorsisse, cujus tamen mentionem in numis nunquam fecere, nisi forte huic sententiae obsint numi 17. et 21., jam epocha propria insignes, in quibus quia adhuc comparent regum capita, tum adhuc his videntur fuisse subjecti.

Quaeritur II., ad cujus aerae initium exigendi sint anni in autonomis contenti, v. g. EK. ZKΣ. etc. Frölichius omnes annos minores E. AK. ΘM. aerae posteriori, seu Sidoniorum illigat, et jure istud; nam si anni isti ducerentur ab aera Seleucidarum, prodirent anni, quibus Sidon adhuc Ptolemaeis paruit, nondum Seleucidis. At quod idem annos majores KΣ. ZKΣ. aerae Seleucidarum applicet a), haud dubie peccat. Nam cum hi anni responderent annis V. C. 661. 668., sequeretur, Sidonios post inductam anno V. C. 643. novam suam epocham, atque eam jam in numis suis notatam, ut apparet ex annis E et Θ., per vices ad Seleucidarum epocham transivisse. Non nego, istud fieri potuisse, neque desunt in aliarum urbium numis ejus variationis exempla; verum in his habemus certam rationem, quam docent numi, in Sidone nullam; quin adsunt rationes statuendi, Sidonios inde ab inducta altera aera in hac constanter perseverasse. En illas:

I. Si nonnunquam ad priorem Seleucidarum redivissent Sidonii, istud fecissent in regum Syriae gratiam, ut revera videmus, Tyrios jam post inductam aeram propriam in numis Seleucidarum imagine signatis Seleucidarum item aera usos. Verum apparet ex numis 17. et 21., eos vel in ipsis numis regum capite insignibus adhibuisse annos novae epochae, cur ergo aera Seleucidarum uterentur in autonomis?

II. Non modo annus ZKΣ. autonomis inscriptus, quem Frölichius ex Seleucidarum aera ducit, sed etiam typi in his signati reperiuntur aeque in numis Trajani et Hadriani, ergo ratio non est, eum ad vetustiorem aeram exigendi, imo analogia posteriorem suadet.

III. Si annus KΣ. ducendus est ab aera Seleucidarum, etiam annus ϛqP. numi 47., in quo Sidon *navarchis* dicitur, ab eadem epocha erit derivandus, quoniam utriusque numi aetas non magnopere differt. Esset ergo hic numus signatus V. C. 637. At certum est, ναυαρχιδος, *classicae*, honorem primum collatum fuisse a Romanis, qui per varios portus classem securitati imperii servientem distribuerunt. At si annus hic deducatur ab altera epocha, nempe 643., appareat numum signatum V. C. 838. imperante Domitiano. Revera sub hujus patre Vespasiano Sidon navarchides titulo primum uti coepit.

Video, Pellerinium quoque aerae Seleucidarum nimio indulsisse, qui ab ea annos quoque EMP. ϛΞP. ΘΞP. in parvis autonomis exaratos ducit b), cujus sententiae causam, quae convinceret, nullam reperio. Quin fabrica (nam iidem sunt etiam in museo Caesareo) tam remotum aevum non sapit, et verisimile

a) Annal. p. 105. 108. 113. b) Suppl. II. p. 88.

Digitized by Google

censeo, Sidonios cum Seleucidarum aera autonomos nullos signasse, quam certe legem a vicinis Tyriis observatam horum numi aperte docent. Ergo quamdiu a Syriae regibus pendebant, nonnisi cum horum capite et aera signavere monetam, abacta deinde, aut saltem imminuta servitute sibi redditi coepere uti cum moneta, tum epocha propria.

Observandae item literae aliae minores in citatis numis Pellerinii, et musei Caesarei, in quorum antica juxta caput muliebre turritum est: $Z\frac{A}{\varsigma}$, in aversa EMP. vel hinc $\frac{A}{\varsigma}$ inde $\varsigma\Xi$P. vel hinc $\frac{B}{\varsigma}$ inde ΘΞP. Alii duo numuli musei Caesarei praeter annos epochae HqP. et HIΣ. in ima parte exhibent $\Lambda\varsigma$. Hae notae quam habeant significationem, hactenus ignoro.

* * *

Typi:

Navis, in Sidonis antiquissimis. Re maritima Sidonios forte omnium gentium primos valuisse, lippis notum. Ab his orti Tyrii primum, deinde Carthaginienses fecerunt, quod et mater et avia docuere.

Aquila gubernaculo insistens, retro palmae ramus, in argenteis seu autonomis, seu cum capite regum. Idem typus est etiam in numis Tyri, quam vide.

Mulier d. acrostolium, vel coronam, s. hastam in crucis formam tenens navi insistit.

Est haec Astarte vetustissimum hujus urbis numen, nam ipsum jam Salomonem coluisse *Astartem deam Sidoniorum*, queruntur sacrae literae [a]), in quibus et *Astaroth* legitur. Quae fuerit haec Astarte, controversum vel inter ipsos indigenas. Eam S. Augustinus Iunonem putat, ut Baal Iovem [b]). Sanchoniaton a Phoenicibus Venerem dici testatur. Lucianus lunam putat, et addit, audivisse se Sidone ex sacerdote, esse eandem cum Europa Cadmi sorore, istud tamen inficiari reliquos indigenas [c]). Cum sacrificulo Sidonio sentit quoque Norisius motus eo, quod juxta imaginem Europae tauro vectae legitur ΘΕΑΣ. ΣΙΔΩΝΟΣ. [d]) Argumentum invalidum, nam eandem epigraphen habent numi, in quibus pro typo est navis, Bacchus, vel ejus cista mystica, ut vidimus. Sed quis superstitionis deliria componat? Hujus Astartes protome saepe proponitur intra vehiculum in numis Trajani et Hadriani aevo signatis, quod est instar sacelli quatuor columnis fulti, et rotis impositi inclusa intus deae protome. Hunc morem viguisse in Phoenice tradit apud Eusebium Philo Byblius, qui memorat ναον ζυγοφορουμενον εν φοινικη, et Macrobius [e]): *vehitur simulacrum dei Heliopolitani ferculo, velut in pompa ludorum Circensium deorum simulacra.* Sic etiam apud Aegyptios teste Herodoto fuit plaustrum 4. rotarum, quo vehebatur sacellum cum simulacro, quod in eo est [f]), quae omnia erudite jam notavit Cuperus [g]).

---

a) III. Reg. c. 23. b) Quaest. XVI in lib. Iudic. c) de dea Syr. sub init. d) Ep. Syrom. p. 350. e) Sat. L. I. c. 23. f) L. II. c. 63. g) in Harpocrate.

Digitized by Google

Addo ego typos aliorum populorum similis rationis. Thensam in numo Philadelphiae Coelesyriae in Herculis honorem, Solem Elagabalum in curru in numis Elagabali commatis Romani, cujus religio ab hoc tractu in urbem fluxit, ΑΠΗΝΗ. ΙΕΡΑ. in numis Ephesi, et thensam seu carpentum in Romanorum numis.

Europa tauro rapta, obvius typus inde ab aevo Augusti. Fabula est domestica; nam fuit illa Agenoris Sidoniorum regis filia. Reliqua in vulgus nota. Hi numi etiam Luciano cogniti, nam *numus*, ait [a]): *quo Sidonii utuntur, habet Europam tauro, Iovi videlicet, insidentem.* In aversa autonomi, quem olim edidi [b]), conjungitur templum, quod haud dubie illud ipsum est, quod Sidone Europae positum narrat Lucianus [c]).

Alios typos vide in numis Sidonos coloniae.

* * *

ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. Hanc epigraphen passim interpretantur antiquarii, tanquam notaretur Astarte, quae fuit *dea Sidonis*; alii in hac Sidonis dea Europam vident, qua in sententia fuere Norisius, ut mox dictum, et Bimardus [d]). Causa utrique, quia ea verba juxta Europam tauro vectam leguntur, et constat, numorum inscriptionem generatim referri ad typum, quem ii sistunt. Verum istud ipsum est, quod utriusque sententiam labefactat. Nam si Europa propterea erit Sidonis dea habenda, quia haec verba juxta scribuntur, etiam navis, et Bacchus, et cista mystica Sidonis deae erunt habenda, quia, ut in numorum catalogo vidimus, eadem verba his quoque adstituuntur. Ex quo efficitur, hac inscriptione neque Astarten, neque Europam intelligendam. Ad haec si το ΘΕΑΣ. ad alterutram referretur, reperiretur etiam nonnunquam scriptum ΘΕΑΣ. ΣΙΔΩΝΙΩΝ., nam ubi το ΘΕΑΣ. abest, promiscue scribitur ΣΙΔΩΝΩΣ, vel ΣΙΔΩΝΙΩΝ, certo argumento, quae Sidon est, eandem etiam esse deam. Addendum etiam fuisset ipsius deae nomen, perinde ac in numis Hierapolis legitur: ΘΕΑC. CΥΡΙΑC. ΙΕΡΟΠΟ., non tantum: ΘΕΑC. ΙΕΡΟΠΟ., et in numis Ephesi: ΑΡΤΕΜΙC. ΕΦΕCΙΑ., non ΘΕΑ. ΕΦΕCΙΑ. Ex quo patet, in his numis urbem ipsam Sidonem *deae* nomine compellari. Si quis ex me curiosius sciscitetur, quo superorum plebiscito Sidon inter coelicolas adlecta sit, reponam, eodem, quo ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. Fecerit summa urbis antiquitas, propter quam ea maximi apud omnes gentes habita est, ut fastuosus hic titulus urbi adeo venerabili facile ac citra invidiam permitteretur.

* * *

Postremi imperatorii certi hujus urbis sunt cum capite Hadriani, et quidem anno imperii primo, aut ad summum initio secundi signati. Cur deinceps desiverit signare monetam, non constat. Numum Macrini profert unus

a) de dea Syr. sub init. b) Num. vet. p. 232. c) l. c. d) ad Iobert T. II. p. 259.

Digitized by Google

Arigonius, sed dubitare liceat de sincera lectione. Alium cum capite Elagabali, quem Vaillantius ex museo regio citat cum praetensa epigraphe: CIΔΩ-NOC. NATAPXIΔOC. BΛ⊅. et typo navis, cum propter Seleucidarum epocham jure suspectus esset, Pellerinius novo examini subjecit, et esse vicinae Tripolis facile agnovit, ut ipse docet a). Ea aetate, quam annus BΛ⊅. designat, colonia jam fuit Sidon, et hoc tantum nomine, et inscriptos Latine numos emisit, de quibus continuo.

Numi regum AR. RRR. AE. RR.
Autonomi AR. RRR. AE. R.
Imperatorii AE. RR.

Colonia deducta ab Elagabalo. Hactenus cogniti fuere tantum numi Elagabali, ejusque gynaecei, et Alexandri Severi, serius numum Etruscillae museum Theupoli invexit, sed quem suspicamur male lectum; nam videtur Sidon temporaria tantum fuisse colonia et metropolis, ademptis Tyro tantisper juribus et Sidonem translatis, quae sub Alexandro fuere restituta, de quo vide plura in numis Tyri coloniae.

Epigraphe: COL. A. P. M. SID. aut plenius: COL. AVR. PIA. METROP. SIDON.

Typi praeter jam notos Europae a tauro raptae, vel currus, in quo Astartes protome, qui etiam nonnunquam solitarium in numi area typum facit,

Astarte stans in templo d. hastam cum cruce coronatur a Victoria columellae insistente, pro pedibus Silenus, idem

Silenus solus typum facit, in numo Paulae. (Arigoni.) De Sileni solito in coloniarum numis typo agitur alibi.

Mulier seminuda navi insistens velut progressura et profuga, et una respiciens, dextera extenta velut viam commonstrans, quo ire pergeret, Elagabali.

Eundem typum habet etiam numerus supra sub 52. descriptus. Non abs re censent aliqui, eo fingi Didonem Sidone profugam. (Vaill.) Ea apertius exhibetur in numis Tyri.

Mulier stans s. infantem, dexteram versus adstans animal extendit, quod asinus videtur, in area currus Astartes, Elagabali. (Pellerin Lettres p. 15.)

Miri hujus typi explicatum non reperit Pellerinius, neque mihi plus spei. Fabulam eo domesticam latere, id unum possumus arbitrari.

AETER. BFI. *vel* AETERNVM. BENEFI. *Modius protuberantibus spicis.* Elagabali. (Vaill. Theup.)

Eadem aversa est etiam in numis Laodiceae Syriae coloniae, quam vide.

Colonus arans, retro vexillum, cui inscriptum: LEG. III. PAR. In alio: *Tria signa militaria praefixis superne aquilis, singulis in imo adfixa tabellae, cui insculptum rostrum navis.* In alio: *Mulier capite turrito stans ante aram, juxta aquila legionaria prorae navis infixa.* Elagabali, Ann. Faustinae. (Vaill.)

Severus legiones Parthicas tres conscripsit, tertiamque ac primam in Mesopotamia collocavit, ut narrat Dio coaevus b). Parthica legio etiam me-

a) Mel. II. p. 326. b) L. LV. c. 24.

Digitized by Google

moratur in numis Gallieni Romanis. Prodantur etiam hujus nominis legiones IV. et V., quas in nota huic Dionis loco subjecta citat Fabricius a). Quid adfixa rostra significent, non adsequor. Cohors speculatorum in numis M. Antonii rostra item offert.

* * *

Ludi:

CER. PER. ISEL. OECVM. *Mensa cum duabus urnis, infra ιας, et poma;* Elagabali. (Vaill. Theup.)

CERT. SAC. PER. OECVME. ISELA. *inscriptum coronae*, in numis Elagabali et Ann. Faustinae. (Vaill.)

De ludis *Periodicis Iselasticis* vide, quae dicentur in tractatu de ludis.

* * *

Metropolis: Hunc honorem abstulisse videtur, cum colonia deducta est.

* * *

Nomina ab Imperatore. Aurelia ab Elagabalo. *Pia*, haud dubie, quod pia fuit in Elagabalum, quo modo et legiones *Piae* dictae sunt, Tyro interea impia de quo argumento vide numos coloniae Tyri, vel sic dicta, quia Elagabalus *Pius* quoque vocabatur.

AE. C.

TRIPOLIS.

Maritima, omnium veterum consensu nomen nacta, quod tribus urbibus constaret, quas condidere Tyrii, Sidonii, Aradii.

Autonomi:

Capita jugata laureata Dioscurorum imminentibus astris. Ꝛ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΤ. *Astarte capite turrito stans d. scipionem, s. cornucopiae, annus* Λ, *in alio* ΑΛ., *in alio* ΒΛ. m. m. (Pellerin, Pembrock.)

Illustres hi numi soli sunt argentei reliqui aenei.

Epigraphe in his, et quidem in antiquioribus ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ., in sequentibus, ut inscripti anni docent, ΤΡΙΠΟΛЄΙΤΩΝ. Arigonius huc refert numum, in quo ΤΡΙ., (ΤΡ. monogrammate ligatis) et typus palmae. Palma Graecis φοινιξ, a qua Phoenice.

Typi insigniores sunt:

Caput muliebre velatum turritum, pone crux. Ꝛ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. L. Γ. in alio: ΙΘ. *Victoria super navi.* AE. II. (Mus. Com. Erbach, Hunter.) in alio: *annus* ΑΠC. AE. II. (Mus. Vitzai.)

Caput muliebre velatum turritum. Ꝛ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. L. ΑΣ. *Nemesis gradiens d. stolam a pectore diducit, omnia intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

In simili suo Pellerinius vidit L. A., haud dubie minus integro, perperam adeo miratus annum epochae primum, qui vix aliquando in numis comparet. Integerrima quoque in meo praesente est imago Nemesis, rara in hoc tractu, at obvia in numis Asiae minoris. Numum hunc olim vulgavi, pictamque stiti b).

Capita jugata Dioscurorum. Ꝛ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. L. ϛΤ. *Palmae ramus, omnia intra lauream.* AE. II. (Mus. Caes.)

a) Nota 195. b) Sylloge I. p. 57.

Digitized by Google

Ibidem a me editus. Rursum peccavit Pellerinius, cum in simili suo legeret L. ς. pro manifesto L. ςT. Epocha utriusque numi est Seleucidarum.

In numis aliis. *Dioscuri stantes cum vel sine equis, aut ipsi equites*, de quibus infra in imperatoriis, *Pilei Dioscurorum. Raptus Europae, Ramus palmae, Victoria navi insistens.* Sunt in variis museis.

Tituli:

Sacra, autonoma, in citatis argenteis.

Asylum: hunc titulum colligit Pellerinius ex numo: ---- ΩΝ. ΤΗΣ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΤΛΟΥ. ΑΤΤΟΝΟΜΟΥ. Etsi deest integrum fere urbis nomen, tamen huc vocandum putat Pellerinius propter binas in aversa Dioscurorum protomes, qui typus Tripoli fere proprius fuit. Idem numus est etiam in Caesareo, sed urbis nomine aeque vitiato.

Sacrae et asyli honores abstulerit propter religionem Cabirorum, de quibus infra. Autonomiam adepta videtur a Pompejo, nam anni numis cum hoc titulo inscripti ejus aeram loquuntur.

Metropolis: ΤΡΙΠΟΛΙΤ. ΜΗΤΡ. L. ΜΔ. *Victoria super navi.* Ex quo apparet, V. C. 733. Tripolin metropolis honore gloriatam, cujus in nullo alio etiam serius signato meminit. Idem numus bis exstat in museo Caesareo, sed vox ΜΗΤΡ. dubiae lectionis est.

Epocha, de hac in imperatoriis.

AR. RRR. AE. C.

Regius.

Caput Antiochi IV. radiatum jugatum capiti muliebri. Ϡ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΖΜΡ. *Dioscuri in equis.* AE. III. (Mus. Caes.)

DIONYSIVS *Tripolis rex.*

Δ - - - - *Caput regis imberbe diadematum.* Ϡ ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΘΜΣ. *Dioscuri in citis equis.* AE. III.

Numum hunc ex museo nobilissimi Savorgnani Veneti edidit Blondius [a]). Docuit illustre hoc cimelium, in antica propter diadema agnoscendum regem, ejusque nomen a Δ incipere, quae litera sola superstes est, signatum praeterea Tripoli Phoeniciae, et quoniam hanc aera Seleucidarum usam constat, annum ΘΜΣ. respondere anno V. C. 690. Haec omnia, ut erudite observat Blondius, belle conspirant in Dionysio, de quo haec narrat Iosephus [b]): *και την Πτολεμαιυ τυ Μενναιυ χωραν κατενοησεν ἀνδρος πονηρυ, και ὀδεν ἐλαττονος* ΔΙΟΝΤΣΙΟΥ ΤΟΥ ΤΡΙΠΟΛΙΤΟΥ *τυ πελεκισθεντος, ὁσπερ και κηδευων ἐτυγχανεν ἀυτῳ κ. τ. λ. et Ptolemaei Mennaei F. regionem inspexit* (Pompejus) *hominis improbi, non minus quam fuerat DIONYSIVS TRIPOLITA securi percussus, quique illi adfinitate conjunctus erat, etc.* Constat, Pompejum V. C. 690. Syriae, Phoenices, Iudaeae res constituisse, quo tempore hic Dionysius Tripolin in sua potestate habuit, quem cum, ut diximus, everteret Pompejus, ejus causa beneficii grati Tripolitae proscri-

a) Observ. sur quelq. méd. p. 59. b) Ant. L. XIV. c. 3. §. 2.

Digitized by Google

pta tantisper Seleucidarum aera Pompejanam invexerunt, ut dicetur infra.

AE. RRRR.

Imperatorii.

A M. Antonio III. viro (Vaill.) usque ad Maximum Caes., cujus numus est apud Arigonium.

Epigraphe: ΤΡΙΠΟΛΙΤΩΝ. ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ.

Typi: *Dioscuri stantes*, vel: *eorum capita*, vel: *eorum pilei*, de quorum cultu mox infra.

Astarte pede prorae navis imposito, d. baculum.

ΗΛΙΟϹ. ϹЄΛΗΝΗ - - - ΡΙΠΟ - - *Sol et luna stantes*, Antonini. (Pellerin Mel. I. p. 343.) Ex residuis literis omnino videtur consarcinanda vox τΡΙΠΟλιτων.

* * *

Numi CABIRORVM.

Hi a variis sunt vulgati, praecipue Pellerinio (Mel. I. p. 77.) En illos:

Caput Apollinis. Ϗ ΘΕΩΝ. ΚΑΒΙΡΩΝ. ΣΤΡΙΩΝ. *Cabiri hastati stantes, omnia intra lauream. AR.* m. m. (Pellerin Mel I. pag. 77.)

Epigraphe et caput Domitiani. Ϗ ϹΤΡΙ. ΚΑΒΙΡΩ. *Capita duo se respicientia medio palmae ramo.* AE. III. (Pembrock P. III. tab. 50. Catal. d'Ennery.)

Caput Antonini Pii. Ϗ *Capita adversa Faustinae sen. et M. Aurelii nudum media palma.* (Pellerin l. c.)

ΟΤΗΡΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Caput Aurelii nudum.* Ϗ ϹΤΡΙ. ΚΑΒΙΡΩ. *Caput Antonini laur., ex adverso Faustinae jun. cum astro media palma.* (Ibid.)

Eadem adversa. Ϗ ϹΤΡΙ. ΚΑΒΙΡΩΝ. *Capita adversa nuda, infra apis et astrum media palma.* (Ibidem, et apud Arigonium.) Quorum sint capita aversae, disputabitur in numis Annii Veri Caes.

- - - - - *Capita adversa Aurelii et Veri.* Ϗ ΚΑΒΙ. ϹΤΡΙΩΝ. *Capita adversa nuda imminentibus astris Commodi et Annii Caess. media palma.* (Ibid. et Theupoli.)

Pellerinius eodem loco in numos hujus classis commentatus docet primum ex Sanchoniatone, Cabiros spectata origine fuisse Syros, Saturno ipsi saltem coaevos, qui naves fabricare primi aggressi sunt, Berytum etiam Neptuno et Cabiris dono datam. Propter sua in genus humanum merita, quae reperta arte nautica stetere, a Syris consecratos, eorumque cultum a Phoenicibus in Samothraciam delatum. Retentum etiam peregrinum Cabirorum nomen a Graecis, quod creditur duci ab Hebraico גביר, *potens*, ut revera hi dii dicti fuere θεοι μεγαλοι, θεοι χρησοι, θεοι δυνατοι [a]). Cabiri nomen exstat in notis Thessalonicae numis, scripto ΚΑΒΕΙΡΟϹ, *Cabirus stans habitu curto, d. malleum tenet*, nam et Vulcani filii ab aliquibus habiti sunt, ac propterea magni eorum in Lemno Vulcano sacra fuere honores. Ceterum incredibile, quam absurda, varia, et male cohaerentia Graeci de horum natalibus, ac religione somniaverint, constitutis in Samothrace mysteriis, de quibus lege copiose

a) Macrob. Saturn. L. III. c. 4.

Digitized by Google

disserentem Matthaeum Aegyptium [a]). Istud tamen ex typis, et adfictis functionibus colligi potest, Graecos, qui alienos cultus omnes facile civitate donavere, sed ne ex alieno petiti viderentur, sic fabulis involvere, ut apud se nati viderentur, hos inquam Graecos ex his Cabiris Dioscuros suos formasse, nam utrique, tam Cabiri quam Dioscuri ficti fuere imminentibus capiti astris, utrique navigationis auctores et praestites habiti. Vnde et Cajus quidam dicitur ΙΕΡΕΤΣ. ΘΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ. ΚΑΒΕΙΡΩΝ [b]). Quam formam primum Phoenices Cabiris suis adfinxerint, non constat; serius cum Cabirorum idem fuerit munus, quod inter Graecos Dioscurorum, videntur Phoenices, ac praecipue serius Hellenophoenices Cabiros suos retento patrio nomine Dioscurorum habitu, et forma proposuisse, ut ex numis, de quibus hic agitur, satis apparet. Vtrique praecipue culti ab omnibus iis, quibus res maritima cordi fuit. Avita haec fuerat Phoenicibus religio, quorum navigandi studium inde a principio cognitum fuit, neque alia de causa Phocaeenses Ioniae eorum in moneta sua cultum testantur, quam quod teste Herodoto hi primi ex Graecis fuere, qui longinquas navigationes susceperunt. Ex eadem rei maritimae causa hos sibi patronos delegere Ponti Euxini accolae. Vide etiam, quae de his alia docebimus ad denarios Sulpicii Rufi, ac praecipue dissertationem Freretii [c]).

Fecit adulatio, ut urbes, quae hos deos in primis numinibus habuere, eorum nomina et attributa Caesaribus impertirent. Ita Lacedaemonii, cum epigramma Aurelio et Vero dedicarent sic de iis: ΘΕΟΙC. ΟΛΥΜΠΙΟΙC. ΝΕΟΙC. ΔΙΟCΚΟΥΡΟΙC [d]). Ex eadem ratione in praesentibus numis Antoninus, Aurelius, Commodus, Annius CΥΡΙΩΝ. ΚΑΒΙΡΩΝ. nomine compellantur. Quin et in feminas eundem derivatum honorem videmus, et utramque Faustinam in Cabirarum numerum venire, neque injuria istud; nam et *Cabiridas* ex veteribus eruit Pellerinius.

Cur vero numi hi huic sint Tripoli tribuendi, inquirendum. Verisimile quidem primo videri posset, eos Berytum referendos, quoniam haec urbs, ut diximus, donata fuit Cabiris, et ex ejus numis constat, Dioscurorum cultum in ea urbe constitutum. At cum ea a I. Caesare deducta fuerit colonia, et inde ab hoc alii numi nisi cum coloniae nomine cusi non fuerint, jure arguit Pellerinius, numos praesentes vix huc posse pertinere. At pro Tripoli eo judice pugnant causae plures, fabrica, palma arbor, Dioscurorum typus in ejus numis perpetuus, quorum cultus sub Cabirorum nomine a vicina Beryto in hanc urbem duci facile potuit, ac tanto proclivius hic stabiliri, cum ea urbs olim aeque ac hodie mercatoribus constiterit, quorum magnopere interest, horum opem fluminum sibi nauticam exercentibus praesto esse.

* * *

Navarchis. ΤΡΙΠΟΛΙΤ. ΝΑΥΑΡΧ.

---

a) S. C. de Bacch. sub init. b) Gruter p. 319. 2. c) B. L. T. XXVII. p. 9. d) Caylus Rec. d'Ant. T. V. p. 190.

Digitized by Google

ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΑΛΦ. *Navis expanso velo*, Elagabali. (Pellerin Rec. III. p. 259.)

In nullo alio catalogo reperio, Tripolin inscribi *navarchida*. Tamen binos adhuc alios sic inscriptos huc pertinere docuit Pellerinius, nimirum unum Sidonis cum capite Elagabali, quem perperam sic describit Vaillantius: CIΔΩ-NOC. NATAPXIΔOC. typo navis, alium Tyri cum ejusdem Elagabali capite in quo lectum a Vaillantio: TTP. IЄP. AC. NATAPX. BΛΦ., quem idem Tripolin quoque retrahendum comperit [a]).

* * *

Neocoratus, rarus in hujus tractus urbibus, in unico numo notatur, quem continuo descripsi.

* * *

Sacra, *Asylum*, in numo mox laudato, quem Tyro perperam largitus est Vaillantius. In autonomis, sed perpaucis iidem tituli occurrunt.

* * *

Epocha. In hac notanda sedula fuit Tripolis. Numi docent, eam primum usam aera Seleucidarum, deinde Pompejana, serius ad primam Seleucidarum redivisse.

I. Seleucidarum:

ZMP. in numo Antiochi IV.

L. AΣ. in autonomo citato, pro quo perperam a Vaillantio lectum L. A. diximus.

ΘMΣ. in numo regis Dionysii.

II. Pompejana.

L. Γ. H. HI. in autonomis. (Mus. Com. Erbach, Mus. Caes. Pellerin.)

L. ΓK. in numo Antonii IIIviri. (Vaill.)

Λ. AΛ. BΛ. in autonomis argenteis.

L. MΔ. in autonomo. (Pellerin.)

III. Seleucidarum iterum.

L. ΠΣ. Augusti. (Vaill.) Lectio suspecta, ut dicetur.

AΠC. in autonomo supra descripto.

L. T. Augusti. (Morelli Impp. Tom. I. p. 405.)

AT. ejusdem. (Theup.)

L. ϛT. in autonomo. (Mus. Caes.) Pellerinio perperam L. ϛ., ut diximus.

AΛT. Tiberii. (Vaill.)

MT. Ejusdem. (Pellerin Mel. II. p. 328.)

L. ΘOT. in autonomo. (Pellerin.)

HKT. Trajani et Hadriani. (Vaill. aliique.)

BΛT. Hadriani. (Pellerin Mel. II. p. 328.)

NT. TNΔ. Antonini. (Arigoni.)

ΓNT. ЄNT. ΘNT. Ejusdem. (Vaill. Mus. Caes.)

ΘNT. Aurelii Caes. (Vaill.)

ΔIΦ. Caracallae. (Arigoni.) Plautillae. (Vaill.)

ΓKΦ. ΔKΦ. ЄKΦ. ZKΦ. Domnae, Caracallae. (Vaill. Arigoni, Pellerin, Theup.)

HKΦ. Caracallae. (Pellerin Mel. II. p. 328.)

ΘKΦ. Diadumeniani. (Catal. d'Ennery p. 488.)

AΛΦ. Elagabali. (Vaill. Pellerin Rec. III. p. 259.)

BΛΦ. Elagabali, Soaemiadis. (Vaill.) Paulae. (Pellerin.)

ΓΛΦ. Elagabali, Soaemiadis. (Vaill.)

ΦΛΓ. Alexandri capite laur. (Theup.)

Numos tres priores sistere annos ae-

a) Mel. II. p. 326. et 328.

Digitized by Google

rae Seleucidarum, controversum esse nequit.

Numi sequentes Pompejanam offerunt, quae incipit ab autumno V. C. 690. vel 691. Fuit haec ignota Norisio, at Vaillantius eam eruit ex numo M. Antonii cum anno ΓK., in cujus aversa, ut ipse ait, est caput Cleopatrae diadematum. Singularis est Harduini sententia, qui cum annum hujus numi aerae Caesarianae adplicaret, contra unanimem scriptorum omnium et monumentorum consensum pugnam Actiacam ad annum V. C. 727. distulit, quae deliria miremur refutare voluisse Frölichium a). Sitne in hoc Antonii numo, ut Vaillantius censet, revera caput Cleopatrae, etsi diademate revinctum adserat, dubitare liceat, quamquam neque Frölichius, neque Pellerinius istud impugnent. Demus, initium aerae Pompejanae a Tripolitanis ductum ab autumno V. C. 691., annus numi ΓK. coepit ab autumno V. C. 713., at labente hoc Tripolitanorum anno Antonius Octaviam Octaviani sororem duxit. Quare nemo non videt, non potuisse citra canoram offensionem Cleopatrae vultum cum M. Antonio conjungi. Accedit, antequam Octaviam duceret, vixisse Fulviam ejus veram uxorem, atque etsi jam tum Cleopatram deperiret, tamen nondum eam publice pro uxore habuit, quin et amores suos tum adhuc tectos voluit. Quare mirum videretur, ausos fuisse Tripolitanos utriusque caput jungendo utriusque etiam illicitum commercium in moneta publica proponere. Mallem igitur, caput illud pro Octaviae capite haberi. Numus hic, quem Vaillantius ex museo regio citat, adcurate denuo esset inspiciendus, an vere caput illud diademate ornetur. Vltimus annus certus hujus aerae compertus est annus MΔ., qui incipit ab autumno V. C. 734., si epocha coepit ab autumno 691. Causa constitutae epochae non modo est generalis illa, quod hoc anno Pompejus Syriae et Phoenices res constituit, verum etiam privatum adversum Tripolitanos beneficium; nam teste Iosepho Pompejus Dionysium Tripolitanae urbis tyrannum capite plecti jussit, ut supra ad ejus numum dictum.

Seleucidarum aeram antiquata Pompejana denuo respexere Tripolitani. Quando istud contigerit, indagandum. Hanc Vaillantius primum videt in numi Augustei anno ΠΣ. Non adridet haec sententia. Annus hic deductus ab anno 442. inciperet ab autumno V. C. 721. Verum annis 720. 721. 722. usurpatam Tripoli aeram Pompejanam, probant autonomi supra citati cum annis Λ. ΑΛ. ΒΛ. Eandem ad annum 734. rursum comprobat annus MΔ. numi autonomi, sed aeram Seleucidarum rursum postulant anni T. et AT. in numis Augusti, qui respondent annis V. C. 741. 742. an verisimilis tanta Tripolitanorum in aerae negotio inconstantia? Ad haec si causa praetensi anni ΠΣ. numus signatus est anno 721, qua ratione lauream, qua Augusti caput redimitum testatur Vaillantius, cum aliis hujus aetatis nu-

a) Animadv. in num urb. p. 97.

Digitized by Google

mis componemus, in quibus semper capite nudo proponitur? Hujus quidem numi natales is biennio differt; ait enim: (Num. Graec. p. 288.) *Tripolitae Augusto numos dedicarunt anno aerae Seleucidarum* 280, *quem si addideris ejus capiti* 442, *incides in autumnum anni V. C.* 723, *quo Augustus M. Antonium ad Actium superavit.* At scribendum fuerat, annum Seleucidarum 280 incipere in autumno V. C. 721, atque adeo biennio ante pugnam Actiacam. Quare cum neque ea aerarum confusio credibilis videri posset, neque cultus Octaviani huic aetati competat, verisimile est, annum ex numo male exceptum, et quovis pignore certarem, pro ΠΣ. exstare in numo MZ, qui annus ad aeram Pompejanam exactus respondet anno V. C. 737. Numum citat Vaillantius ex museo Foucault, quod nunc est Neapoli. Istud si verum, postremum annum aerae Pompejanae habemus dictum MZ, seu V. C. 737, et cum aerae Seleucidarum restitutae habeamus primum annum T in numo Augusti, qui respondet anno V. C. 741, apparet, eam mutationem accidisse intra dictos annos 737, et 741. Haec scripsi, cum forte incidi in numum autonomum supra citatum cum anno ΑΠC, qui nunc est in praeclaro museo ill. Comitis Vitzai. Est is certe aerae Seleucidarum, respondens anno V. C. 722, quo tempore diximus apud Tripolitanos valuisse aeram Pompejanam, et Vaillantii adeo lectionem ΠΣ, quam suspectam diximus, videtur confirmare. Quidquid erit, istud jam fere certum, primis Augusti annis utramquae epocham apud Tripolitanos in usu fuisse, subinde plane abolitam Pompejanam. Similem aerarum permixtionem vidimus in numis Apameae Seleucidis.

Aera Seleucidarum a Tripolitanis his numis invicte ad annum V. C. 442 figitur, et quidem I. a numis Trajani et Hadriani cum eodem anno HKT, qui incipit in autumno V. C. 869, qui annus Seleucidarum fuit postremus Trajani, Hadriani primus. Idem praestat annus ΓΛΦ inscriptus tam numis Elagabali, quam Alexandri jam Augusti, et respondens anno V. C. 974. Cum ergo ex his numis certum sit, inter autumnos 974 et 975 caesum Elagabalum, et Alexandrum dictum Augustum, his quoque judicibus affligitur eorum sententia, qui caesum in Septembri Elagabalum dixere. Nam cum annus Seleucidarum coeperit circa Octobrim, si peremptus fuisset Elagabalus mense Septembri, non potuisset ejus necis, et admoti ad imperium Alexandri nuncius pertingere in Phoeniciam currente adhuc anno ΓΛΦ, neque intra tam exiguum temporis spatium, et antequam inciperet annus ΔΛΦ, confici matrices pro Alexandri jam Augusti numis. Etiam numus Caracallae cum anno HKΦ probat, non posse epocham serius anno V. C. 442 incipere. Mirus est calculus Freretii, ex anno HKT probantis, Tripolitanorum aeram coepisse V. C. 443 a).

Annus BΛΦ in numo Paulae probat,

a) B. L. T. XVI. Mem. p. 295.

Digitized by Google

hanc adhuc in autumno V. C. 943. Elagabali thorum occupasse.

AE. C.

TYRVS.

Sidone nata, sed matrem opulentia et rebus gestis longe superavit, deductis Carthaginem et Gades coloniis, tolerata Alexandri M. in complures menses obsidione ingens nomen adepta. De ejus antiquitate lege dissertationem Abbatis Fontenu [a]).

Numi hujus urbis abundant, at cum ea duplice aera usa fuerit, et difficile multis visum statuere, utri adplicandi sint varii anni in his signati, e re fore existimavi, si, ut in Sidone facere instituī, omnes hujus urbis numos cum regum nomine percussos, tum autonomos, quos in adcuratioribus catalogis reperi, descripsero, addita in fine ordinis chronologici a me observati ratione.

* * *

1) Antiochi IV. *Ejus caput.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΤΡΙΩΝ. ΔΜΡ. vel ΕΜΡ. vel ΖΜΡ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Frölich Annal. Syr.)

2) Demetrii II. *Ejus caput.* ℣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΤΡΙΩΝ. ΑΝΡ. ΔΝΡ. ΗΝΡ. ΘΝΡ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Frölich, Catal. d'Ennery.)

3) Alexandri I. *Ejus caput.* ℣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΓΞΡ. ϛΞΡ. *Aquila rostro navis, vel gubernaculo insistens, retro palmae ramus, in area clava, supra quam monogramma Tyri.* AR. I. (Frölich.)

Primus hic est ex illustribus Tyri tetradrachmis. Eorum meminit Iosephus quoque [b]): τῦ Τυρίου νομίσματος, ὁ τέσσαρας Αττικὰς δύναται, nempe drachmas.

4) Demetrii II. *Hujus caput.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΖΞΡ. *in alio* ΘΞΡ. *Reliqua ut num.* 3. AR. I. (Frölich.)

5) *Eadem adversa.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΤΡΙΩΝ. ΗΞΡ. *Navis infra literae Phoeniciae.* AE. (Frölich.)

6) *Eadem adversa.* ℣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΤΤΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. ΒΟΡ. Typus non proditur. Eum Frölichius ex Harduino citat. AR. I.

7) Antiochi VII. *Ejus caput.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΙΕΡΑ. ΑΣΥ. ΔΟΡ. vel ΕΟΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. III. (Frölich, Catal. raisonn. p. 7.) *In aliis* ΖΟΡ. AR. I. (Mus. Duane.)

8) *Eadem adversa.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΤΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΖΟΡ. *in alio* ΗΟΡ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Frölich.)

9) *Eadem adversa.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΙΕΡΑ. ΑΣΥ. ΠΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. I. (Frölich.)

10) Demetrii II. *Ejus caput.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΤΤΡ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΑΠΡ. *Navis.* AE. (Frölich.)

11) Antiochi VII. *Ejus caput.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΙΕΡ. ΑΣΥ. ΒΠΡ. ΓΠΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. I. (Frölich, Mus. Caes.)

12) Demetrii II. *Ejus caput.* ℣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Α. ΙΕ.

a) B. L T. XVIII. p. 17. b) Bell. Iud. L. II. c. 21. §. 2.

Digitized by Google

ΑΣΤ. ΓΠΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. I. (Mus. Caes.)

13) Antiochi VII. *Ejus caput.* ☧ ΑΝΤΙ - - - ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Α. ΙΕ. ΑΣΤ. ΔΠΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. (Frölich ex museo Granelliano, nunc Caesareo, sed in hoc lego potius ΒΠΡ.)

14) Demetrii II. *Ejus caput.* ☧ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. Α. ΙΕ. ΑΣΤ. ΕΠΡ. ϛΠΡ. ΖΠΡ. *Typus, ut num.* 3. AR. I. (Frölich, Pellerin.)

Annus postremus ΖΠΡ. respondet anno V. C. 628, quo ipso anno Tyrii novam aeram, nempe propriam suam inchoavere, ut infra dicetur.

Numi cum aera Tyriorum.

15) *Caput Herculis laur.* ☧ ΤΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. ΚΑΙ. ΑΣΥΛΟΥ. L. Δ. *Aquila gubernaculo insistens, retro palmae ramus, in area clava.* AR. I. (Mus. Caes.)

16) *Alius, sed* L. H. AR. I. (Beger.)

17) *Alius sed* L. I. AR. I. (Pellerin.)

18) Antiochi VIII. *Ejus caput.* ☧ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΥΡ. ΙΕΡ. ΑΣΤ. ϛΣ. *Aquila stans.* AR. I.

Numum describit Frölichius ex museo Faukener [a]), cujus annus ϛΣ. cum necessario ducendus sit ab aera Seleucidarum, eo interrumpitur series aerae Tyriorum jam coeptae. At facile perspicitur, cum numus regis Seleucidae caput sistat, in ejus gratiam Tyrios Seleucidarum aera in dedicata ei moneta usos. Tam civiles non fuere Sidonii, qui neque in numis regum capite insignibus ab inchoata semel sua aera discessere, ut supra vidimus.

19) *Vt num.* 15, *sed* L. ΚΕ. AR. I. (Noris.)

20) *Alii, sed* L. Λ. ΒΛ. AR. I. (Mus. Caes.)

21) *Alius, sed* L. M. *in area* ΚΡ. K. AR. I. (Mus. Caes.)

22) *Alius, sed* ΜΕ. *in area* ΚΡ. AR. I. (Mus. Caes.)

23) *Alius, sed* Mϛ. *in area* ΚΡ. AR. I. (Catal. d'Ennery.)

24) *Caput muliebre velatum turritum, retro palmae ramus.* ☧ ΤΤΡ. *(monogr.)* Α. ΙΕΡ. ΑΣΤ. L. q. *Navis infra literae Phoeniciae.* AE. (Mus. Caes.)

25) *Vt num.* 15, *sed* ΡΖ. AR. I. (Pembrock.)

26) *Vt num.* 15, *sed* ΡΙΓ. ΡΙΔ. ΡΙΕ. ΡΙϛ. ΡΚϛ. *in omnium area* ΚΡ. AR. I. (Pellerin.)

27) *Vt num.* 15, *sed* ΡΛΕ, *pone* ΚΡ. AR. I. (Hunter.)

28) *Caput muliebre velatum turritum, retro palmae ramus.* ☧ ΤΤΡ. *(monogr.)* Α. ΙΕΡ. ΑΣΤ. ΡΜΑ. *Navis infra literae Phoeniciae.* AE. (Pellerin.)

29) *Vt num.* 15. *sed* ΡΞΑ. ΡΟΑ. ΡΟϛ. ΡΟΗ. *in omnium area* ΚΡ. AR. I. (Hunter.)

30) *Caput Herculis.* ☧ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΗΟΡ. *et literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Mus. Caes.)

31) *Vt num.* 15, *sed* ΡΠΒ, *in area* ΚΡ. AR. II. (Pellerin.)

32) *Caput Herculis laur.* ☧ ΤΤΡ.

a) Ann. Syr. p. 101.

Digitized by Google

(monogr. super clava) in area ΡΠΒ, *et literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Mus. Caes.)

33) *Caput muliebre velatum turritum.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ΙЄΡΑC. ΑΣ. *Palma.* AE. (Mus. Caes.)

34) *Caput idem.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* Α. ΙЄΡ. ΑΣΤ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Mus. Caes.)

35) *Caput Herculis laur.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr. super clava) in arca* CΓ. Α. *et literae Phoeniciae.* AE. (Mus. Caes. Pellerin.)

36) *Caput mul. velat. turr. pone palmae ramus.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* Α. Α. ΙЄΡ. ΑΣΤ. CΓ. *Navis, infra literae Phoeniciae.* AE. (Pellerin.)

37) *Alius, sed* ϛΣ. AE. (Mus. Caes.)

38) *Caput Herculis laur.* Ϟ ΤΤΡΟΤ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ΘΣ. *et juxta literae Phoeniciae, clava, omnia intra lauream.* AE. (Pellerin.)

39) *Caput mul. velat. turr. retro palmae ramus.* Ϟ ΤΤΡ. ΜΗ. Α. *(omnia uno monogrammate ligata)* ΕΡΑΣ. (sic) ΘΣ. *Palma.* AE. (Mus. Caes.)

40) *Caput Herculis laur.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr. super clava) in area* ΙΣ *et literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Beger.)

41) *Caput mul. velat. turr.* Ϟ Μ. ΤΤΡ. *(monogr.)* ΙЄΡΑΣ. ΘΙΣ. *Palma.* AE. (Frölich.)

42) *Caput Herculis laur.* Ϟ ΤΤΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΚΣ. *Clava intra lauream.* AE. (Mus. Caes.)

43) *Caput mul. velat. turr.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΙЄΡΑC. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ΑΚΣ. *Navis.* AE. (Hunter.)

44) *Caput mul. velat. turr. retro palmae ramus.* Ϟ ΜΗΤ. ΤΤΡ. *(monogr.)* ΛΣ. *Astarte navi insistens d. acrostolium, s. sceptrum.* AE. (Mus. Caes.)

45) *Caput mul. velat. turr.* Ϟ ΤΤΡΟΤ. ΜΗΤΡΟΠ. ΙЄΡΑΣ. ΔΛΣ. *Palma.* AE. (Frölich.)

46) *Caput Herculis laur.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr. super clava.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ΗΛΣ. *et literae Phoeniciae.* AE. (Pellerin.)

47) *Caput mul. velat. turr. retro palmae ramus.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΙЄΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩΣ. ΗΛΣ. *Navis.* AE. (Mus. Caes.)

48) *Caput Herculis laur.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΑΜΣ. *Clava et literae Phoeniciae intra quernam.* AE. (Theup.)

49) *Caput mul. velat. turr. retro palmae ramus.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΙΕΡΑΣ. ΑΜΣ. ΒΜΣ. *Palma.* AE. (Mus. Caes.)

50) *Alius, sed* ΓΜΣ. (Pellerin, Mus. Caes.)

51) *Caput simile.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. ΙЄΡΑ. ЄΜC. AE. (Mus. Caes.)

52) *Alius, sed* ZMC. AE. (Mus. Caes.)

53) *Caput Herculis laur.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr. super clava)* ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ϛNC. *in area literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Mus. Caes.)

54) *Caput mul. velat. turr.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΙΕΡΑΣ. ϛNΣ. *Palma.* AE. (Theup.)

55) *Caput Herculis laur.* Ϟ ΤΤΡ. *(monogr. super clava.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ϛNC. HNC. *in area literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Pembrock, Hunter.)

56) *Caput mul. velat. turr. retro pal-*

Digitized by Google

mae ramus. ☧ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΙΕΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΞΣ. ΕΞC. ΘΟΣ. *Navis.* AE. (Neumann, Hunter, Mus. Caes.)

57) *Caput Herculis laur.* ☧ ΤΤΡ. *(monogr. super clava.)* ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΘΟC. *et literae Phoeniciae, omnia intra quernam.* AE. (Noris.)

58) *Alius, sed* ΑΠΣ. AE. (Mus. Caes.)

59) *Caput mul. velat. turr.* ☧ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΙЄΡΑC. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ΔqC. *sine typo.* AE. (Pellerin.)

60) *Caput mul. velat. turr. pone palmae ramus.* ☧ ΤΤΡ. *(monogr.)* ΙΕΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΘqΣ. *Navis.* AE. (Hunter.)

61) *Eadem adversa.* ☧ ΓΤΡ. *(monogr.)* ΙЄΡΑC. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. ΑΚΤ. *Navis.* AE. (Mus. Caes.)

62) ΤΤΡ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩC. *Caput Herculis laur.* ☧ ΚΟΙΝΟΤ. ΤΗC. ΦΟΙΝΙΚΗC. ΑΚΤ. *Templum 8. column.* AE. (Pellerin.) sed apud Hunterum: ΚΟΙΝΟΝ. ΦΟΙΝΙΚΗC. In simili alio pro ΑΚΤ. perperam lectum ΑΚΤΙ., ut dicetur infra in *Ludis.*

* * *

Epocham apud Tyrios fuisse duplicem, non numi modo, sed et veterum testimonia evincunt.

I. *Seleucidarum*, ab anno V. C. 442. inscripta numis regum Seleucidarum et secundum aliquorum sententiam etiam autonomis compluribus, in quod infra inquiremus.

II. *Propria Tyriorum.* Hanc eruditi varii a variis principiis duxere, at Norisius Scaligerum secutus, nixus testimoniis Eusebii in Chronico, et actis conciliorum, in quibus diserte anni Tyriorum mentio fit, ejus principium invicte ad autumnum anni V. C. 628. fixit. Argumentis brevitatis causa abstineo, quae qui volet, ab egregia Norisii sagacissimi diligentia petat [a]). Idem vir eruditus causam epochae propriae petit ab autonomia, quam censet Tyrios impetrasse ab Alexandro II. Zebina. Nam cum Demetrius II. ab Alexandro II. apud Damascum victus Tyrum fugisset V. C. 628, mox haud dubie in Alexandri gratiam morte adfectus est, pro qua observantia certum videtur Tyrios autonomiam reportasse. Isthaec eleganter confirmat numus Tyri supra num. 14 cum anno ΖΠΡ. descriptus, et capite Demetrii II. insignis, qui docet I., cum numus signatus fuerit ab autumno V. C. 628, Tyrios adhuc sub autumnum adhaesisse Demetrio II., et quoniam monetam ei dedicavere, regis loco habitum. II. hunc Demetrium primum post autumnum V. C. 628, quo nempe apud Tyrios annus ΖΠΡ. coepit, caesum fuisse. Fuit ergo hic annus ΖΠΡ. respondens anno V. C. 628 postremus aerae Seleucidarum a Tyriis adhibitae, et primus autonomiae, cujus annos deinceps inscripsere, etsi deinceps quoque in numis Seleucidarum regum effigie insignibus in eorum gratiam Seleucidarum aera usi fuerint, ut supra ad numum 18 notavi. Ceterum concessam Tyro a regibus autonomiam testantur scriptores, etsi tempus non definiant. Strabo [b]): *non a regibus modo, verum a Romanis quoque autono-*

a) Ep. Syrom. p. 323. b) L. XVI.

Digitized by Google

miam obtinuere Tyrii. Et Iosephus [a]): M. Antonium varias Phoeniciae et Palaestinae urbes Cleopatrae subjecisse demptis Sidone et Tyro, *quod eas antiquitus liberas esse scivit.* Autonomiam Tyrii in numis non notavere saltem expresse, quod satis ea per ipsos epochae annos significaretur.

Constitutis epochis alia oritur quaestio, ad utram referendi sint anni numis autonomis impressi. De regum numis dubitandi locus non est, quorum anni Seleucidarum aeram sequuntur etiam in numis post inductam aeram propriam signatis, ut aliquoties diximus. Soli ergo autonomi in jus vocantur.

Censet Frölichius Spanhemium secutus, numos urbium Syriae, praesertim Tyri, Sidonis, et Antiochiae, quorum epochae numerum CC. superant, ante Augustorum tempora signatos, si alia vetustatis signa, et characterum vetustiores formae adsint [b]). Apertius infra [c]): *illud in Tyriorum numis adverto, numos argenteos aeram Tyriorum novam et propriam, aeneos vero veterem Seleucidarum exhibere.* Horum sententiae sese adplicat quoque Pellerinius [d]). At Norisius annos ΗΛΣ. ΘΙΣ. ΘΟΣ. ad aeram novam confidenter exigit [e]), quam sententiam, cum multo mihi videatur verisimilior, hic pluribus argumentis stabilitum eo. Praemonendum vero, numum Elagabali cum anno Seleucidarum ΒΛΦ, quem Vaillantius huc revocavit, non esse Tyri, sed Tripolis, ut in imperatoriis dicetur.

I. Omnium confessione autonomi argentei sequuntur aeram novam, ac necessario quidem, nam anni multi his inscripti tam modici sunt, ut ab aera Seleucidarum duci non possint, Tyro anno primum Seleucidarum 94 ab Antiocho M. subjugata. Exhibent hi annos ordine varios a Δ usque ΡΠΒ, seu ab anno V. C. 631 usque 809. Cum in his magno numero signatis nunquam appareat litera C pro Σ, verisimile est, illud hac aetate apud Tyrios nondum fuisse in usu, et quod sequitur, etiam ab aeneis synchronis abesse debuisse. Iam vero videmus in numis supra a numero 33 usque 38 citatis cum annis ΑΣ. ΣΓ. ΘΣ. jam existere elementum C, qui si aerae Seleucidarum adplicentur, signati forent V. C. 642, 644, 650. Si elementum istud jam anno 642 valuisset Tyri, incredibile foret, illud saltem non aliquando usurpatum in numis certis argenteis et copiosis usque ad annum 809 signatis. Verum, opponit Frölichius, ex characteribus capiendum indicium, et qui vetustioris sunt formae, esse aerae Seleucidarum, qui recentioris, esse aerae novae. Ad quam ergo aeram pertinere censebit numos, in quorum una eademque facie comparet tam Σ, quam C? ut numero 33: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. ΙΕΡΑϹ. ΑΣ, et num. 35: ΑΣΤ. ΣΓ, et num. 39: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. ΘΣ, et num. 40: ΜΗΤΡΟΛΕΩϹ. ΗΛΣ etc. In his το Σ suadet aeram Seleucidarum, et C aeram novam. Ex quo jure arguitur, cum illud

a) Ant. L. XV. c. 4. §. 1. b) Ann. Syr. p. 105. c) pag. 107. d) Rec. II. p. 228. 229. e) Ep. Syrom. p. 331. 333.

Digitized by Google

elementum in numis certae aetatis usque ad annum saltem 809 signatis non appareat, illud tum in usu non fuisse, atque adeo numos dicto elemento praeditos intra hanc aetatem collocandos, id est, ab epocha ducendos non esse, vi cujus intra hanc aetatem caderent, quod fieri necesse est, si ducantur ab aera Seleucidarum. Primum C occurrit in numo 33 sub Vespasiano signato, atque ab hoc tempore videmus utrumque elementum, tam Σ, quam C, promiscue usurpatum. Postremum Σ observatur in numo 60 cum anno ΘqΣ, qui ductus ab aera II. respondet anno V. C. 926. imperantis M. Aurelii XII. Fateor, jam Antonini Pii aetate vix amplius sigma hac forma reperiri, ut docui in Prolegomenis generalibus capite XVII. p. CII., at absurdum non est suspicari, literam hujus formae aliquanto diutius Tyri, quam apud alias urbes perseverasse.

II. Si numi majores ducendi essent ab aera Seleucidarum, ex numis supra num. 33, 38, 39, 42 etc. citatis sequeretur, Tyrum jam fuisse metropolin, et se talem professam in numis annis V. C. 642, 650, 660 etc. signatis. Verum infra, ubi de *metropoli* agam, multo serius id honoris impertitum Tyro, aut saltem Tyrum multo serius hoc titulo in numis usam docebo. Huc etiam adcommoda, quae infra ad *Sacra* et *Asylum* dicentur.

III. Vix verisimile est, et tantum pro libitu fingitur, placuisse Tyriis alia aera uti in argenteis, alia in aeneis. Quin neque verum istud est contradicente numo num. 24, eoque integerrimo musei Caesarei, in quo legitur L. q. Hic annus nonagesimus ex principio aerae Seleucidarum pendere nequit, nam anno primum hujus aerae XCIV. Tyrus proditore Aetolo Theodoto Antiochi M. jugum subivit, ut refert Polybius [a]). Ergo annus hic adcommodandus est aerae novae, ergo Tyrii eodem tempore annos aerae suae novae numis tam argenteis, quam aeneis intulere. Cum praeterea necessarium non sit, ad hanc in diverso metallo aerarum permutationem confugere, et nihil omnino repugnet, quo minus modo simplice omnes annos ab aera II. ducamus, statuendum omnino videtur, Tyrios inducta semel aera propria ab hac, nisi in numis regum, nunquam discessisse. Eam promiscuarum epocharum licentiam a viris eruditis aliis quoque urbibus perperam adfictam, ubi ubi potui, atque ut spero, feliciter reprimere adnisus sum.

Secundum hunc calculum numi postremi cum anno AKT. incidunt in initium imperii Severi, a quo subinde facta colonia numos Graecos fabricare desivit.

De epocha III. vide infra in coloniae numis.

* * *

Typi: Horum in numis Tyri aequabilis semper et constans ratio.

Numi argentei omnis formae, si regum sunt, in antica offerunt *horum caput*, si autonomi, *caput laureatum Herculis Tyrii*, in aversa utrobique *aquilam*.

a) Hist. L. V.

Digitized by Google

Numi aenei regum in aversa constanter *triremem.*

Numi aenei autonomi:

In quorum antica est *caput muliebre velatum turritum*, in horum aversa est *triremis* vel *palma arbor.* In uno *Astarte navi insistens.*

In quorum antica est *caput Hereulis Tyrii*, in horum aversa est *monogramma Tyri super clava, claudente oram corona querna*, vel *nomen urbis plene scriptum, in medio clava.*

Haec de typorum negotio generatim; seorsim:

Aquila insistens gubernaculo, aut prorae navis, (raro utrumque abest) *retro palmae ramus.*

Ratio hujus typi ambigua. Norisius eam repetit ex Nonno narrante [a]), Herculem jussisse condi Tyrum super scopulis, qui magis deinde solidarentur conspersi sanguine aquilarum diis mactatarum [b]). Sed enim idem typus est etiam in numis Sidonis, et si fulmen gubernaculo substituas, in numis Ptolemaeorum. Aliunde ergo petitus communis hic typus videtur.

Caput Herculis laureatum imberbe.

Herculis cultus perantiquus Tyri, et deinceps etiam solennis. Iosephus ex Menandro Ephesio docet [c]), Hiromum Tyri regem, aequalem Salomonis, dejectis antiquis delubris nova templa aedificasse, Herculisque et Astartes fana consecrasse. A vetusto hoc cultu etiam *Tyrii* cognomentum abstulit deus, de quo Tullius [d]): *quartus Iovis et Asteriae Latonae sororis, qui Tyri maxime colitur*, tum et Arrianus [e]). De ejus templo plura Herodotus [f]). Herculi Tyrio cum intra urbem sacrificare vellet Alexander M., repulsam ab oppidanis passus urbem obsidione cinxit, ac demum excidit. Herculis Tyrii imaginem in numis quoque Antiochiae Syriae, quin et Sardium Lydiae propositam, in utriusque moneta diximus.

Triremis, ut in Sidoniorum moneta, pertinax Tyriorum navigandi studium notat.

Palma arbor, aut ejus saltem ramus capiti muliebri turrito, vel aquilae adstitutus.

A palma, ἀπο τυ φοινικος, Phoenice hac arbore praeprimis dives nomen traxit, cujus cum metropolin se ferret Tyrus, eam arborem opportune monetae suae insevit.

Dioscuri et Astarte.

Iusti typi. Illi navigationis praesides, haec dea in Phoenicia domi, ejusque antiquissimum templum Tyri stetisse mox sub *Hercule* docui. De hac vide etiam infra in Colonia.

* * *

Tituli:

Sacra et Asylum. His titulis primum coepit uti in numo Demetrii II. cuso anno Seleucidarum 172, iique deinceps conjuncti constanter leguntur usque ad annum V. C. 833, post quem asyli titulus non amplius comparet, retento solo IEPA, novo argumento, numeros ab epocha Seleucidarum ducendos non esse,

a) Dionys. L. XL. b) Ep. Syrom. p. 328. c) contr. Apion. L. I. c. 18. d) de Nat. deor. L. III. c. 16. e) de Exped. Alex. L. II. c. 16. f) L. II. c. 44.

Digitized by Google

nam tum numi solo IEPAΣ notati percusi forent ea aetate, qua, ut ex numis autonomis, quorum aetas est certa, constat, asyli nomen nunquam omissum fuit. Fuisse Tyrum sacram et asylum, historia quoque docet; nam Demetrius II. praelio victus Tyrum religione templi se defensurus petiit, ut narrat Iustinus [a]). Haec privilegia ei attulerit religio Herculis.

Metropolis. In eorum sententia, qui numeros majores ex aera Seleucidarum ducendos contendunt, Tyrus satis mature se metropolin in moneta professa est. Nam anni AΣ. ΘΣ. numis 33 et 38 una cum metropolis titulo inscripti efficerent, Tyrum metropolis honore jam fuisse decoratam annis V. C. 642, 650 etc. At si hac aetate metropolis jam fuit Tyrus, cur titulus tam splendidus omittitur in magnificis argenteis eodem aevo signatis, in quibus tamen alii tituli IEPAΣ. KAI. AΣYΛOT nunquam negliguntur? Ea difficultas perpetuo vellicabit patronos aerae Seleucidarum. Neque favet iis testimonium Strabonis adserentis [b]); *controversum esse, utra urbs*, (Tyrus, an Sidon) *Phoenicum metropolis dici debeat*, ex quo sequeretur, jam Tiberii aetate Tyrum fuisse metropolin. Nam ut recte advertit Norisius, hoc loco metropolis nomen sumitur pro *matre urbium*, quae in alias regiones colonos miserit, non eo sensu, qui collatum in alias ejusdem regionis urbes jus doceret. Etsi enim spectata antiquitate potiora suffragia pro Sidone essent, volebat tamen Tyrus Sidone antiquior videri, neque deerant argumenta, quibus id comprobaret. Ait Suidas [c]), Tyrum aub Hadriano metropolin factam. At numus cum anno HOP illi hunc honorem jam sub Claudio tribuit, nisi forte ante Hadrianum se dixit metropolin tanquam mater urbium, ut Heraclea Bithyniae, inde ab Hadriano ex instituto civili, ut revera in metropoleos juribus per hunc tractum plura mutavit Hadrianus, de quo videatur Norisius [d]), et quae indicavimus in numis Antiochiae Syriae.

Primatum Tyro ex numo male lecto tribuit Holstenius [e]), sed fraudem ingeniose detexit Norisius [f]).

Honorificos Tyri titulos omnes videre est in marmore Puteolano, quod edidit Gruterus [g]), et prolixe explicavit cl. Ignarra [h]), *της ἱερας και ἀσυλυ και αυτονομυ μητροπολεως Φοινικης και ἀλλων πολεων και ναυαρχιδος κ. τ. λ.* Positum fuit marmor, ut ex adjectis consulibus Γαλλιῳ και Πλαυτιῳ Κορνηλιανῳ ὑπατοιν decemur, V. C. 927.

* * *

Ludi Asclepia, quos videre sibi visus est in autonomo Tyri cl. Combius [i]), sed quem esse Epidauri, dictum in hujus moneta. In numo 62 Spanhemius a Morellio deceptus pro AKT. legit AKTI., et quod sequitur, ludos *Actia* indicari putavit [k]).

* * *

Literae solituriae frequentes in area numorum Tyri observantur, et quidem

---

a) L. XXXIX. c. 1. b) L. XVI. c) in Παυλος Τυριος. d) Ep. Syrom. p. 332. e) ad Steph. sub *Tyrus*. f) l. c. p. 333. g) p. 1105. h) de Pal. Neap. p. 279. i) Mus. Hunter. k) ad Morell. ep. I. p. 83.

Digitized by Google

in argenteis aeneisque supra literas IEP. saepe comparet A. Autonomiam ea notare non potest, jam enim legitur in numo Antiochi VII., sub quo Tyrus libera nondum fuit. Ad haec in numo 36 duplex A τῳ IEP. imminet. Incertus ergo hujus et similium literarum sensus.

* * *

Epigraphe Phoenicia Graecae saepe conjungitur nomen urbis lingua patria indicans, de quo vide dissertationem Phoeniciae numis subjectam. Solitariae etiam literae ejusdem idiomatis nonnunquam intra pedes aquilae observantur.

Regum AR. et AE. RR.
Autonomi AR. RR. AE. C.

Imperatorii:

Numos hujus classis nomine Tyri expresso signatos nullos habemus. Quem unicum Vaillantius cum capite Elagabali citavit: TTP. IϹP. AC. NATAPX. BΛϽ., esse Tripolis Phoeniciae, detexit Pellerinius [a]). Verum exstant tetradrachma complura, in quorum ℣ ΔH. MAPX. EΞ. etc. ΤΠΑΤ. etc. Typi: *Aquila clavae insistens, juxta palmae ramus*, in aliis: *Caput Herculis Tyrii*, quae eruditi omnes, qui hos numos recensuere, etsi urbis inscriptio absit, Tyro confidenter largiti sunt. At ea potius esse Antiochiae Syriae, disputavi in hujus moneta toto capite II.

* * *

Colonia. De colonia Tyro Vlpianus domo Tyrius [b]): *huic enim D. Severus et imperator noster ob egregiam in remp. imperiumque R. insignem fidem jus Italicum dedit.* Stetit vero una cum Laodicea Syriae pro Severo contra Pescennium, quare etiam ab hoc misere fuit adflicta. Originem coloniae indicant etiam numi, qui cum coloniae nomine sub Severo incipiunt, et nomen *Septimiae* in epigraphe: COL. SEPT. TYRVS. vel TYRO. METROP. Haec in omnibus constans est, demptis iis, qui sub Elagabalo signati sunt, et nonnullis successoris Alexandri. In his omittuntur tituli omnes, scribiturque aliud nihil, praeterquam TYRIORVM. Inducta haec novitas, neque vel ante Elagabalum, vel post eum observata, jure suspicari fecit Vaillantium, Tyrum malo suo fato adhaesisse Macrino contra Elagabalum. Sententiam hanc numorum ope copiosius illustravit Pellerinius [c]). Nimirum constat vel ex ipsis numis, Sidonem ab Elagabalo coloniae et metropoleos jura obtinuisse, quibus titulis ante Elagabalum in moneta sua non gloriabatur. Quare Sidon copiosissimos numos hoc imperante, et initio imperii Alexandri in ejus facti memoriam fudit. Interea Tyrii non paucos quidem et ipsi numos cuderunt, sed quoniam omnibus titulis Sidonem translatis orbati essent, praeter nudum TYRIORVM inscribere nihil potuere. Adfert quidem Vaillantius tres cum titulis coloniae et metropolis, sed epigraphen primi vitiatam ipse profitetur, alios duos restituendos Caracallae, cum utriusque hujus Caesaris facile permutentur vultus, non inique con-

a) Mel. II. p. 176. b) Digg. L. L. tit. XV. de Censib. c) Lettres p. 174.

Digitized by Google

jicit Pellerinius. Addo, etsi reipsa essent Elagabali, istud sententiam non mutare; nam cusi fuerint mox ab adito Elagabali imperio, antequam decreto publico privilegiis suis exciderent. Iis adhuc caruisse principio imperii Alexandri, docet numus Mamaeae veteré adhuc stylo inscriptus: TYRIORVM. (Theupoli.) Verum indulgente Alexandro restituta fuisse privilegia vetera, docent numi rursus inscripti mentione coloniae et metropoleos usque in Gallieni imperium. Hujus Augusti singularem unum edidit Pellerinius: (l. c.)

SEP. TYRO. METROP. COL. PENIC.

Verbum PENIC. barbare scriptum suspicatur vir sagax pro PHOENIC., quo innuere videbantur Tyrii, urbem suam postliminio constitutam *metropolin coloniam Phoenices*, et sibi rursus subjectam aemulam Sidonem. Sane ademptos huic denuo honores hos temporarios, satis vel ex numis colligitur. Nam quae sub Elagabali imperio, et initio Alexandri ingente numero numos signavit, eadem sub sequentibus imperatoribus nullum seu cum, seu sine coloniae mentione amplius protulit dempto numo Etruscillae, qui citatur in museo Theupoli, sed in quo videtur male lectum *Etruscilla*, fors pro *Aquilia*.

Ad verbum PENIC. ut redeam, ut barbarum est, habet tamen rationem vetustatis, nam quae serius *Phoenice*, olim dicta est *Poenice*, quem archaismum retinuere coloni Carthaginienses a Romanis constanter dicti *Poeni*, unde et ducta vox *Punicus* recentior, ut dictum fuit *curaverunt* pro vetere *coeraverunt*. Teste S. Hieronymo [a]) *Poeni sermone corrupto quasi Phoeni*.

Spectata epigraphe observandum, urbis ejusque titulorum nomina semper Latine scribi, at Graece varia alia vocabula aream insidentia, ut mox videre licebit.

* * *

Typi admodum varii sunt et fertiles factis ex historia et mythologia domestica petitis.

ΔΕΙΔΩΝ. *Dido stans s. sceptrum, pro pedibus parva figura, quae ligone terram aperire videtur, in area porta urbis, cui insidet figura operi faciendo, ut videtur, intenta*, Elagabali, Otaciliae, Valeriani. (Vaill.)

Haud dubie hoc typo indicatur Dido Carthaginis a se conditae, et nobilis Tyriorum coloniae substructiones imperans. In eadem mecum sententia est Pellerinius edito simili Philippi jun. numo [b]). Eodem pertinet: *Dido stans s. sceptrum, quatuor viris togatis volumen porrigit*, Philippi sen. et Volusiani. (Vaill.) Censet auctor, exhiberi Didonem, quae viris primoribus seu Libyae, seu Tyriis secum profugis urbis novae ichnographiam tradit. In aliis: *Dido stans juxta navim d. acrostolium*, Philippi sen. (Vaill.) Didonem in Sidonis quoque numis propositam vidimus. Virgilius, qui eam Tyro profectam docet, tamen *Sidoniam* etiam appellat, non uno hoc exemplo utriusque urbis a veteribus confusae, ut dicetur.

a) Comm. L. V. in Hierem. c. 5. b) Mel. I. p. 319.

Digitized by Google

* * *

Mulier stans d. florem, s. calathum, scripto juxta ЄΤΡΩΠΗ, *pro pedibus taurus in insidiis, in area petrae ambrosiae media inter has arbore*, in numo Gallieni.

Praestantissimus hic numus, et hucusque ἀνέκδοτος, servatur in praeclaro museo cels. principis de Waldeck. Europa virgo Tyria, dum legendis in litore floribus occupatur, a Jove tauro rapta, fabula est notissima. De petris ambrosiis, et arbore agetur infra.

* * *

Cadmus stans d. pateram, s. hastam, juxta bos procumbens, retro porta urbis cum moenibus, propter quae scriptum ΘЄΒΗ. Gallieni. (Pellerin Mel. I.)

Cadmus draconem saxo transverberans, Gordiani, Gallieni. (Vaill.)

Serpens saxo ovali implexus, Elagabali, Aquiliae. (Vaill.)

Numus prior Cadmum sistit Thebarum Boeotiae omine bovis procumbentis conditorem, quae fabula nota, ac praecipue ex Nonno [a]). Hic typus Tyrum facile pertinet, nam, ut ait Curtius [b]): *coloniae ejus paene orbe toto diffusae sunt, Carthago in Africa, in Boeotia Thebae, Gades ad Oceanum*, quamvis Plinius Sidonem *Thebarum Boeotiarum parentem appellet*, et Euripides apud Aristophanem [c]), et Lucianum [d]): Σιδωνιον ποτ' ἀρ' Κάδμος ἐκλιπων. At idem Euripides [e]):

Καδμος ἐμολε ταυδε γαν
Τυριος, ᾧ τετρασκελης
Μοσχος ἀδαμαστον πεσημα δυσε,
Τελεσφορον διδους
Χρησμον, ἁ κατφυσε.
Cadmus venit in hanc terram
Ex Tyro, cui quadrupes
Vitula sponte corpus prostravit,
Completum reddens
Oraculum, ubi habitaret.

Praeclare numi hujus typum explicat oraculum Cadmo datum, quod refert uterque scholiastes ad citatos cum Aristophanis, tum Euripidis versus, ex quo tantum ea, quae huc pertinent, Latine reddita proponam: *ubi primum bos agrestis consederit, et reclinaverit genu in solo herboso, continuo eam nigricanti Telluri caste ac pure mactabis. Oblata hac Telluri hostia in summo colle urbem latas vias habentem statues.* Haec causa est, cur in hoc numo fingatur Cadmus pateram tenens, nimirum ad bovis sacrificium paratus.

Alterius quoque numi argumentum vulgatum, nimirum Cadmus sociorum ultor, quos apud Dircen fontem draco peremit, ad quam fabulam etiam Vaillantius typum numi III. refert.

* * *

AMBPOCIЄ. ΠЄΤΡЄ. *Duo lapides praegrandes, juxta arbor*, Gordiani. (Vaill.) In aliis, sed sine hac epigraphe, *Arbor, cui implexus serpens, inter duos lapides praegrandes*, Aquiliae, Gordiani. (Vaill.)

Veram illustrium horum typorum explicationem pridem, ac primus reperit Tristanus, cujus incredibili eruditioni multos debemus numos praeclare ac vere illustratos. Obtulit eam eo loco, quo

a) Dionys. L. IV. v. 293. seq. b) L. IV. c. 4. c) in Ranis v. 1256. d) in Macrob. e) Phoeniss. v. 641.

Digitized by Google

Hadriani numum cum typo Herculis Gaditani explicavit [a]). Facem illi praetulit Nonnus Panopolita, qui in mythologiae causis saepe privatas urbium fabulas secutus multa prodidit, quae in aliorum mythologorum scriniis frustra quaeras. Enim vero praesentium argumentum numorum ignotum hodieque esset, nisi ejus aenigma expediret Nonnus, pro quo beneficio eam retulit mercedem, quod jam ex numis ipsis palam fit, non eum sponte multarum fuisse fabularum auctorem, sed ab aliis confictas in opus suum recepisse. Narrat is, Herculem Astrochitonem Baccho scisciscitanti aperuisse prodigia, quae condendae in mari nobilissimae Tyro causam dedere, qua ex narratione ea tantum seligam, quae ad explicandos hos numos faciunt, ac quidem verba Herculis ad viros, futuros Tyri conditores [b]):

Εισομε χωρον ικοισθε μεμορμενον, οπποθι δισσαι
Ασαθες πλωουσιν αλημονες εν αλι ΠΕΤΡΑΙ,
Ας φυσις ΑΜΒΡΟΣΙΑΣ επεφημισεν, αις ενι θαλλει
Ηλικος αυτοβριζον ομοζυγον ερνος ΕΛΑΙΗΣ - -

Donec ad locum veniatis destinatum, ubi binae
Instabiles natant vagae in mari PETRAE,
Quas natura AMBROSIAS appellat, ex quibus pullulat
Cocevae suapte natus contubernalis surculus OLIVAE - -

Et mox infra de eadem oliva [c]):

Και φυτον υψιπετηλον ελιξ ΟΦΙΣ αμφιχορευει.

Et arborem alta folia habentem volubilis DRACO circumfunditur.

En tibi ab his dictatis explicatas petras, earumque inscriptionem, olivam, et draconem. Ambrosiae hae petrae saepe in aliorum quoque Tyri numorum area visuntur, cum alius eos typus occupavit, profluente subtus aqua, nimirum quod aqua maris perpetuo humectantur.

* * *

ΩΚΕΑΝ. *Oceanus specie viri barbati capite taurinis cornubus horrente humi decumbens s. arundinem tenet, dexteram extendit versus adstitutas petras ambrosias, ex quibus unda defluit, in area purpura*, Valeriani.

Insigne istud cimelium, ac, quod mihi constet, unicum ex museo Caesareo editum habes in mea Sylloge I. [d]). Oceani imaginem numis suis inseruere Tyrii ad renovandam majorum suorum gloriam, qui Oceanum primi gentium adire sant ausi, et maria ultra Herculis columnas sita tentare fundatis etiam ibi coloniis, quas inter maxime illustres fuere Gades. Fingitur Oceanus fluviorum ritu, quia eadem utrisque natura, idem genus, docente scilicet Homero [e]):

μεγα σθενος Ωκεανοιο,
Εξ ὑπερ παντες ποταμοι, και πασα θαλασσα,
Και πασαι κρηναι, και φρεατα μακρα ναουσιν.

---

a) Comment. T. I. p. m. 382. b) Dionys. L. XL. v. 467. c) v. 476. d) pag. 58. e) Il. Φ 195.

Digitized by Google

ingens vis Oceani,
Vnde omnes fluvii, et totum mare,
Et omnes fontes, et putei alti fluunt.

Quos versus proxime est imitatus vetus, et incertus auctor in Voto ad Oceanum: (Wernsdorf Poet. Lat. min. T. IV. p. 314.)

Tu pelagus quodcunque facis, fontesque lacusque,
Flumina quin etiam te norunt omnia patrem.

Etiam cornua illi cum fluminibus communia, sed et ταυρόμορφον illum, id est: *tauricipitem* vocavit Euripides [a]).

* * *

Hercules nudus stans ad aram, juxta duae petrae Ambrosiae, Caracallae, Treboniani, Valeriani. (Vaill.)

Herculis perantiquus Tyri cultus ex hactenus dictis abunde cognitus. Memorabile est, eundem hunc typum unis Tyriis proprium exstare etiam in numo Macrini Aegarum Ciliciae, quas vide.

Astarte tutulata stans d. contingit adstitutum tropaeum, s. hastam, cui Victoriola columellae insistens coronam offert, hinc parvulus Silenus stans (in aliis pro hoc palma) inde purpura, nonnunquam eadem Astarte intra templum. Typus obvius.

De Astartes apud Tyrios honoribus egimus in autonomis. Addendum Tullii oraculum [b]): *Quarta Venus Syria, Tyroque concepta, quae Astarte vocatur, quam Adonidi nupsisse traditum est.*

Mercurius stans d. baculum, s. caduceum, pro pedibus Ibis, Valeriani, Salonina. (Vaill.)

Erudite Vaillantius ad typi explicatum advocat Platonem [c]): *Circa Naucratem Aegypti priscorum quendam fuisse deorum, cui dicata sit avis, quam Ibin vocant, deo autem ipsi nomen Theut.* Est hic Aegyptiorum Mercurius. Tum Hyginum [d]), deos prae Gigantum metu in Aegyptum profugos in varias se formas mutasse, *Mercurium factum esse Ibin.*

Silenus juxta palmam stans hanc sublata dextera indicat, Elagabali. (Vaill.) Solitus coloniae typus, de quo alibi.

Mulier insistens navi d. sceptrum, s. acrostolium, adstant hinc et illinc duo puelli nudi, quorum unus aquam ex urna in mare effundit, alter d. delphinum, s. piscem tenet, Elagabali. (Pellerin Suppl. II. p. 54.)

Vir nudus in navi utraque manu extenta, Philippi sen. et Gallieni. (Vaill.)

Vtriusque numi argumentum mihi ignotum.

* * *

Purpura ex concharum genere. Haec singulorum fere numorum coloniae Tyri aream insidet. In numis Aquiliae et Gordiani in imo segmento est *Canis ad purpuram accedens.* (Vaill.) Docent hi typi inventam apud Tyrios purpuram. Nam, ut docent Fasti Siculi ex Palaephato, canis forte in maris litore purpuram depascens cum ad pastorem reverteretur ore ex ejus succo rubicundo, hioque sanguinem putaret, coepit os canis lana abstergere, quae hoc succo tincta cum continuo admirabilem colorem praeferret, istud intelligens Hercules Tyrius philosophus ibi forte obambulans arca-

a) in Oreste v. 1377. b) Nat. Deor. L. III. c. 23. c) in Phaedro. d) Astron. L. II. c. 28.

Digitized by Google

num conficiendae purpurae Phoeniciae regi aperuit. Factum istud etiam innuit Nonnus [a]), et Achilles Tatius [b]). At Pollux Herculem deum hujus muneris auctorem facit [c]). Istud purpurae inventum Tyro non honorificum modo, sed et quaestuosum fuit. Quare passim apud auctores *Tyria lana*, *purpura*, *murex*, *ostrum* etc. Huc etiam pertinet verbum *Sarranus*, ut: *Sarranum ostrum* [d]), *Sarranus murex* [e]), *Sarana aulaea* [f]). Testibus Gellio [g]) et Servio [h]) Tyrus antiquo nomine dicta est *Sarra*, quod verbum haud dubie detortum fuit ab Hebraico urbis nomine צוֹר. Haec pleraque jam erudite collegit Cellarius [i]).

* * *

Legio:

Colonus arans, *pone vexillum*, *cui inscriptum* LEG. III. GAL. Severi et familiae. (Vaill.) In aliis: *Aquila cum simili vexillo*, Caracallae, Treboniani (Vaill.)

Haec legio memoratur etiam in moneta Damasci, in qua de ea fusius egi.

* * *

Ludi:

AKTIA. ЄΡΑΚΛ. *Mensa cum duabus urnis*, *totidem palmis*, Caracallae, Otaciliae, Saloninae. (Vaill.)

ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΤΜΠΙΑ. *inscriptum urnae*, Elagabali. (Vaill.)

Ludos Tyri in Herculis honorem fuisse actos, eosque quinquennales, docet auctor Macchabaeorum [k]): *Cum autem quinquennalis agon Tyri celebraretur, et rex praesens esset, misit Iason ab Ierosolymis viros peccatores portantes argenti didrachma trecenta in sacrificium Herculis.*

AKTIA. KAICAPIA. *intra quernam*, Philippi sen. (Vaill.)

Vaillantius hunc numum in Tyri moneta exhibet, verum adjectus iconismus per inscriptum ΔAMA Damasco vindicat. In utro horum erratum sit, ignoro.

ANTONINIA. ΦOINI. A. ΠT. COL. T. M. ROMH. *Duo Centauri urnam sustinentes*, Caracallae.

His verbis singularis hic numus describitur in museo Theupoli, in quo cum omnia videantur mira, et inusitata, et praeter sensum, secundis curis inspiciendus foret, antequam quid de eo statuatur. Vereor, ne numus sit coloniae Laodiceae Syriae.

* * *

Metropolis constanter dicitur, demptis numis imperante Elagabalo signatis, a quo hoc honore privata fuit, ut diximus ad numos coloniae sub initium, et in autonomis. De Tyro colonia metropoli vide plura apud Spanhemium [l]).

* * *

Epocha III. Hanc Pellerinius non obscure colligit ex numo Gallieni, in cujus aversae area luculentae sunt literae NI'. [m]). Eam existimat duci a tempore, quo a Severo colonia deducta fuit. Ejus facti annus a nemine notatur, censet tamen istud contigisse, quo anno a Par-

---

a) Dionys. L. XL. v. 304. b) Erot. L. II. c. 11. c) Onom. L. I. c. 4. §. 45. d) Virg. Georg. II. v. 506. e) Silius L. XV. v. 205. f) Iuven. Sat. X. v. 38. g) L. XIV. c. 6. h) ad Virg. l. c. i) Geogr. ant. ad Tyrum. k) L. II. c. 4. l) T. II. p. 610 m) Mel. I. p. 335.

Digitized by Google

thico bello redux fuit, nempe V. C. 954. Esset ergo praesens numus signatus V. C. 1006. sub principium imperii Gallieni, et ipse testis tertiae Tyriorum epochae.

AE. C.

ARADVS *insula.*

Modica ipsa, et exiguo discrimine a Seleucide dirempta. Tamen inter Phoeniciae urbes numeratur.

Autonomi:

Inscripti omnes APAΔIΩN. Iuvat eos in suas classes partiri.

I. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ *Victoria gradiens d. acrostolium, s. palmae ramum, in area annus epochae.* AR. I.

Numi pondere illustres, ac copiosi.

II. *Apis additis variis literis et monogrammatis.* ℞ *Cervus stans, pone palma, sine anno epochae.* AR. et AE. II. (Mus. Caes. Pellerin.)

Idem utrinque typus est obvius in moneta Ephesi. Cur exstet etiam in numis Aradi, mihi incompertum.

III. *Mulier gubernaculo insidens, cujus ansam d. tenet, s. cornucopiae, in area annus epochae.* AE. II. (Pellerin.)

Alii Astartem putant, alii propter attributa Fortunam.

IV. *Caput muliebre velatum adstituto nonnunquam alio capite minore.* ℞ *Bos currens, omisso plerumque urbis nomine, anni:* PΞ. POΔ. POE. PΠϟ. PΠΓ. PΠΔ. CKΘ. BNT. EΞT. EOT. *additis aliis notis arithmeticis, literisque solitariis cum Phoeniciis, tum Graecis.* AE. II. (Mus. Caes. Pellerin, Hunter.)

Annos his numis inscriptos Liebeus et Frölichius ad aeram Seleucidarum exegere, errore tanto proniore, quoniam in numis, quos descripserunt, nomen APAΔIΩN abest. Vnde factum, ut caput muliebre partis anticae crederent esse Cleopatrae uxoris Antiochi VII., cum cujus regno conspirant anni POΔ. usque PΠΔ, quos in suis numis viderunt. At docuit Pellerinius I., hos numos esse Aradi, ut arguunt numi alii cetera simillimi inscripti APAΔIΩN, annos adeo inscriptos pendere ab epocha Aradi II., Cleopatrae caput esse non posse, quae saltem anno Seleucidarum 191. diem jam obivit, at in dictis numis notantur adhuc anni 229, 365, 375. Numum citatum cum anno PΠϟ olim edidi a), monuique, ab imprudente monetario pro A Graeco temere intrusum Aleph Phoenicium, sic ut annus pure scriptus sit PΠA.

V. Huc etiam vocat Pellerinius aeneos: *Caput Iovis*, vel *muliebre turritum.* ℞ *Navis sola, vel desuper Pallas irruens cum hasta et clypeo, infra literae Phoeniciae, superne* A, *vel saepius* AP *in monogrammate, quas literas is ἀρχαιόσας Aradi conjicit.*

De autonomorum aetate agetur infra sub Epocha.

AR. R. AE. C.

a) Num. vet. p. 279.

Digitized by Google

Imperatorii:

Comperti a Domitiano usque ad Elagabalum:

Epigraphe: ΑΡΑΔΙΩΝ.

Typi: praeter jam notos ex autonomis *bovis cornupetae*, *Fortunae gubernaculo insidentis:*

Astarte stans coronatur a Victoriola hinc et illinc columellae insistente, Commodi. (Pellerin.)

Neptunus stans, Severi. (Pellerin Suppl. IV. p. 6.)

Vrna cum duobus palmae ramis inter duas Sphinges, Domitiani et Caracallae. (Vaill. Pellerin.)

Cupressus, hinc leo, illinc bos, singuli juxta signum militare, Elagabali.

Numum hunc edidere Norisius, Vaillantius [a]), et Pellerinius, quamvis Norisius pro tauro duplicem leonem, Vaillantius pro cupresso palmam videant. Cum leo et bos juxta signa militaria stent, dubium non videtur, utroque animali indicari legionum symbola, et cum in numis Viminacii leo et bos eodem modo adstantes notent legiones IV. et VII., ita forte eadem animalia in Aradi numis easdem legiones, quarum pars hic excubuerit, indicant. Revera Dio aetate sua legionem IV. Scythicam stetisse in Syria adserit [b]). Quod si quis ex eodem Dione opponat, legionem VII. stetisse in Moesia superiore, nihil istud videatur officere, nam etiam, quae legio IV. a Dione in Syria constituitur, eadem a numis Viminacio adfigitur. Dioni non semper cum numis, quod ad legionum distributionem pertinet, convenit, forte quod hae variis temporibus varia habuere stativa. Quanquam hic modus facile possit explicari, statuendo, tauro vel bove indicari legionem VIII., cujus insigne fuisse taurum ex Gallieni numis discimus. Constat autem ex numis Beryti, et Heliopolis, dictam legionem revera per Phoeniciam, et Coelesyriam fuisse divisam.

* * *

Epocha. Hujus principium ex numis imperatoriis est eruendum.

BMT. (Patin.) BNT. (Noris, Vaill.) TΞ. (Pellerin Mel. II. p. 314.) in numis Domitiani. Annus TΞ vi calculi exigit caput Trajani. Suspicor ergo lapsum auctoris, qui numum esse Domitiani dixerit, qui est Trajani.

ΓΞT. (Vaill.) ΕΞT. (Pellerin Mel. II. p. 314.) AOT. (Arigoni.) BOT. (Vaill.) ΔOT. addito *Parthici* titulo. (Vaill. Noris Ep. Syrom. p. 364.) EOT. (Pellerin l. c.) Trajani.

qT. Hadriani. (Vaill.)

AKT. Aurelii. (Vaill. Theup.) L. Veri. (Catal. d'Ennery.)

Є. BKT. Aurelii et Veri. (Pellerin Suppl. II. p. I.)

HMT. Commodi. (Vaill.)

ϛNT. Severi. (Pellerin Suppl. IV. p. 6.)

Є. TOΔ. Caracallae. (Pellerin.)

Є. ZOT. Elagabali. (Noris. Pellerin, Vaill. Num. Graec. p. 257.)

Norisius refutatis jure aliorum sententiis principium aerae ex numis sibi cognitis deprehendit vagari ab V. C. 494. usque 496. Numi post eruditum

a) Num. Graec. p. 257. b) L. LV. §. 3.

Digitized by Google

hunc virum comperti nihil propius stabiliunt. Interea probabile esse censet Norisius, initium ducendum ab autumno V. C. 495, eumque annum esse paratae sibi autonomiae. Eam sibi Aradios mature extorsisse illustria suppetunt testimonia. Narrat Strabo [a]), Aradios primum regibus Syris ut amicis obtemperasse. Serius Seleuco II. contra Antiochum Hieracem adhaerentes pactos esse, ut ad se ex regno confugientes recipere liceret, nec tradere invitos, sed eos neque injussu regis ab se dimittere. Qui paciscitur, alterius juribus plene obnoxius non est. Coepit regnare hic Seleucus V. C. 507, ergo Aradus hoc regnante libera jam fuit. Cum hujus filio Antiocho M. Aradios inivisse societatem tradit Polybius [b]), altero manifesto libertatis argumento. Haec utut certa sunt, dubium tamen manet, qua occasione, et quibus modis autonomiam abstulerint, item an ab Antiocho II. Syriae, an Ptolemaeo II. Aegypti rege, quorum uterque anno V. C. 495 regno suo praefuit; nam satis tuto definiri nequit, utri Aradus paruerit. Istud certum vel ipso Strabone teste, Aradum ex hac autonomia magnos fructus percepisse, eorumque opes ac potentiam aperte testantur copiosa tetradrachma ejus nomine signata.

Ab hoc principio pendent etiam anni in autonomis quibuscunque prostantes. In tetradrachmis numerus modicissimus est ϛq, 96, (Pellerin) qui numus adeo signatus est V. C. 590, maxime adultus ZqP, 197, (Theup.) qui respondet anno V. C. 691. Forte isthoc posterius tetradrachmum non exstat. Nam eodem anno Syria et Phoenice a Pompejo in provinciam redactis fieri poterat, ut etiam Aradiorum moneta vices passa sit. Simile quid argenteae monetae Sidoniorum eodem anno accidisse, verisimile videtur.

In iisdem tetradrachmis infra epochae annum constante lege comparent notae arithmeticae, v. g. ΘC. MΣ. ΓC. ΔN. etc. interjecta semper litera Phoenicia, et inscriptae sic:

ϛq	ΓΔP	HΛP	ΘΞP	ZΠP
ϟ	ʌ	Λ	ϟI	q
AΣ	ΘC	ΘC	ΘC	AΣ

Fusiorem horum catalogum proposuere Pellerinius, et Combius. (Mus. Hunter.) Spanhemius et Begerus, quibus unicus tantum hujus generis numus cognitus fuit, credidere, inferiores quoque numeros indicare annos epochae, sed quae ab altero principio procederet. At haec sententia vel eo abunde refellitur, quod inferiores numeri aequabili ratione cum superioribus non crescunt. Adverto etiam, in omnibus ac tot hujus generis hactenus notis non reperiri numerum P, item in nullo tres notas arithmeticas. Aenei, quos in IV. classe descripsi, magis adhuc notis arithmeticis, et literis Phoeniciis onerantur, ut:

KN	ΘЄ
ΠC	₳
POЄ	PΠΓ
Mϙ	⅄Z

In his epocham notat semper numerus

a) L. XVI. b) Hist. L. V.

Digitized by Google

is, qui infra taurum primus est, ut in praesentibus POЄ. PΠΓ. Ex tetradrachmis apparet etiam, uno eodemque tempore apud Aradios valuisse cum Σ tum C, quod etiam in Tyri numis vidimus. ΓC. conjunctum cum anno ZKP docet, το C jam anno V. C. 621 promiscue Aradi fuisse usurpatum. Variae in his notae arithmeticae suum adhuc Oedipum exspectant.

* * *

Concordia. Ejus rarum, et fors unicum in hoc tractu exemplum: APAΔIΩN. KAI. ΛAOΔIKЄΩN. qT. *Duo capita muliebria turrita jugata*, Hadriani. (Vaill.) Est Laodicea Syriae ad mare.

* * *

Literae Phoeniciae, vel integra verba constituentes, vel solitariae. Meum de similibus literis judicium vide continuo in dissertatione singulari.

Literae Graecae solitariae in nonnullis observantur, ut Γ in numo Commodi, (Pellerin Mel. II.) A in numo Severi. (Pellerin Suppl. IV. p. 6.) Vide, quae de his ad numos Beroeae Cyrrheticae notavi.

DE NVMIS
LINGVA PHOENICIA INSCRIPTIS.

Prolegomena.

Arduam in me provinciam suscipio numorum Phoeniciorum naturam explicare aggressurus, quamque detrectarem libenter, nisi turpe putarem, ad operis summam hanc deesse partem, tantis studiis proxime inter eruditos agitatam. Sed me in ipso aditu anxium solicitamque recreat non modo illud, quod nullam mihi video impositam necessitatem sapiendi plus, quam sapuerunt illi, qui egregiis linguarum orientalium studiis instructi in hanc arenam descenderunt, verum etiam quod in hac causa citra dedecus liceat minus sapere propterea, quod hactenus post incredibiles conatus, contentionesque non multo plus videam profectum a peristisimis, quam a minus peritis. Et fuit haec princeps causa, cur ante annos complures conspectis virorum praestantissimorum naufragiis recusarem tentare pelagus, cujus turbidum ingenium erepto oculis coelo, objectis undique scopulis, incertisque itineribus alterius litoris spem adimeret. Quare consultius visum, nolle promovenda peregrina hac scientia gloriam quaerere, atque eo omne studium conferre, ut quae hactenus ad illustrandam hanc partem allata sunt, explanem singula, sic tamen, ut licere mihi existimem, quae tenenda videantur, aut reprobanda, aut in incertis putanda, nullo partium studio, solo adductum veri amore dijudicare.

Antequam illud exponere ordior, quod maxime evincere gestit animus, opportunum videtur, disciplinae hujus Phoeniciae progressum paucis exponere. Ajebam, progressum, nam ad ortum quod attinet, scilicet, quae Bochardus, Montfauconius, Rhenferdus, aliique viri praestantes, quibus nostrae aetatis subsidia deerant, huc contulere, quod nullius jam usus sunt, commemorare inutile. Lubet igitur a nostrae aetatis conatibus auspicari.

Primus Barthelemyus in re antiquaria summus, et jam a Palmyrenis lite-

Digitized by Google

ris magnam laudem adeptus impensius coepit ad explicanda Phoeniciorum monumenta incumbere. Primum, in quo vires suas experiri visum, fuit marmor bilingue hodieque apud Melitenses conspicuum, quod offert quatuor versus scripturae Phoeniciae, cui continuo subjectum est epigramma Graecum:

ΔΙΟΝΤΣΙΟΣΚΑΙΣΑΡΑΠΙΩΝΟΙ
ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΣΤΤΡΙΟΙ
ΗΡΑΚΛΕΙΑΡΧΗΓΕΤΕΙ.
Dionysius et Sarapion
Sarapionis filii Tyrii
Herculi archegetae.

Creditum olim, subjecto hoc epigrammate reddi Graece, quod supra Phoenicie scribitur. Cum deinde satis appareret, utriusque sensum esse diversum, nam raro marmora bilinguia idem exprimunt, ut post alios advertit cl. Lanzius [a]), Michael Fourmontius Gallus edita dissertatione, quam habes in *Saggi di Cortona* Tom. III. p. 89, epigramma Phoenicium sic explicavit:

Vrinatore magno *urinatorum magistro* deo *duci et* deo *absorbenti in die*, quo *sublevarunt* ancoram, et *natarunt*, *exierunt* (ad verbum) *navigarunt e Tyro*, *portum reliquerunt eum? Coeperunt invenire corallium*, *exiverunt iterum e Tyro*, *ecce vastare Lydam.*

Haec si quis vere ac juste volet Latine reddita credere, is fateatur quoque, Phoenicios nequaquam doctrinam sanam, sed deliria sua, et insomnia victuris aeternum monumentis mandasse, auctorque tum essem omnibus, qui his se studiis consecrant, idem velint de his inscriptionibus sentire, quod de Persio poeta aiunt sensisse D. Hieronymum, *si non vis intelligi*, *non debes legi.* Atque Fourmontiana haec ejus epigrammatis versio cum ob hanc ipsam causam non adrideret eruditis IIviris Gallis novi tractatus diplomatici auctoribus, alium orsi sunt explicatum, sic tamen, ut magis jocari, quam serio rem agere viderentur [b]). Nam istud sibi aiunt propositum, *plutôt pour achever de demontrer qu'on ne sauroit faire aucun fond sur celle qu'on vient de voir*, *que pour nous donner le relief d'avoir déchifré une inscription si dificile --- Voici sa traduction:*

Fluebat libertas, *fluebat sors*, *inimicus imperabat*, *hostis absorptus est; tunc insculptum*, *perverse eum effecisse*, *Cosuram rubum*, *(seu desertam) remex ejus deus ejus praecipitavit eum*, *equus vel equitatus ejus emaciavit eum*, *pasti sunt Cosurenses*, *cum deficeret corpus*, *et aspectus ejus*, *id est inimici.* Addunt continuo, subjectum epigramma Graecum sic esse interpretandum: *Dionysius Caesar Apioni filii Serapionis Tyrii Herculi ductori.*

Liceat ad haec pauca advertere. Exitus docuit, non vanos fuisse vates, cum desperare sunt visi, se veram molesti epigrammatis explicationem daturos. At cur sic non satius visum abstinere? *Quam bellum erat*, ajebat in simili causa ad Velleium Cotta, *confiteri potius nescire*, *quod nescires*, *quam ista effutientem nauseare*, *atque ipsum tibi displicere* [c]). Qua vero etiam fide audiemus interpretes orationis Phoeniciae, implexae

a) Saggio Tom. II. p. 325. b) Tom. I. p. 656. c) Cic. de nat. deor. L. I. c. 30.

Digitized by Google

admodum, et parum cognitae, quando verba epigrammatis Graeci, linguae cognitae, et vulgatae: ΔΙΟΝΤΣΙΟΣ. ΚΑΙ. ΣΑΡΑΠΙΩΝ. ΟΙ. ΣΑΡΑΠΙΩΝΟΣ., quod incredibile videatur, interpretari poterant: *Dionysius Caesar Apioni filii Serapionis etc.?*

Ad cel. Barthelemyum ut redeam, plus ille, ut semper alias, gravitatis, solidique studii ad explicandum hoc marmor attulit. En ejus interpretationem, cui prolixa dissertatione fidem facere adlaboravit [a]):

Abdassar et Asseremor, fils d'Asseremor, fils d'Abdassar avons fait ce voeu à nôtre Seigneur Melcrat, divinité tutélaire de Tyr. Puisse-t-il les bénir après les avoir égarés, ou dans leur route incertaine.

Quemlibet, qui ex veterum superstitione ominibus ducitur, ab explicando hoc marmore revocassent postrema verba: *routè incertaine.* Fuisse sane hanc interpretandi viam admodum incertam, atque fallacem, creditum subinde aliis, jurene, an injuria, non disputo.

Hos inter fuit Ioannes Swintonus Anglus linguarum orientalium studiis impense deditus. Aliam is quidem ejus marmoris explicationem adornavit, sic tamen, ut facile pateat, ei a Barthelemyo patefactam viam. Eccam [b]):

Domino nostro Melcartho deo (tutelari) Tyri matris votum fecerunt Abdassarus, et frater (Abdassari) Aserim — hammarus, is qui filius (est) Aserim — hammari filii Abdassari — iis forte navigantibus (vel huc et illuc inflexo cursu agitatis) benedicat.

Bayerius Hispanus ab his quoque disciplinis insigne nomen adeptus hoc modo epigraphen vertit [c]):

Domino nostro Melkartho domino Tyri singulariter voverunt servus ejus Abdasar, et frater ejus Abserchemor filii Abdasar, secundum audire eum vocem eorum, benedicat eis.

Hoc defunctus labore Barthelemyus, cui, si quid in obscuri hujus monumenti explicatione prospere cessit, potior laus debetur, ad explicandum marmor ex iis unum, quae apud Citium Cypri reperta vulgavit Pocokius [d]), eodem loco se convertit [e]), ex quo hunc sensum elicuit:

Ie dors Abdassar, fils d'Abdissem, fils de Chad de Tsabeth. Après avoir passé tranquillement ma vie, je me suis reposé dans le tombeau pour la suite des siecles. Mathrath mon épouse, fille de Tham --- fils d'Abdmelec a posé ce monument.

At Swintonus idem marmor in examen vocatum sic explicavit [f]):

Marmor Abdasari filii Abdesasimi filii Hhuri. Lapis sepulcralis Lembi, qui vixit vicenos annos saeculi doloris, (i. e. *aetatis sive vitae infeliciter actae.*) *Descendunt in aeternum in carcerem* sepulcri *mortui* hi *Amathuntis* (seu potius *occisi* hi *Amathusii*) *Monumentum structura* est *domus* (vel *familiae*) *Tami filii Abdemelech.*

Lubet hoc loco animadvertere, eru-

a) B. L. T. XXX. p. 405. b) Trans. philos. Vol. LIV. p. 131. c) de la lengua de los Fenic. p. 356. d) Descript. of. East Tom. II. p. 213. e) B. L. Tom. XXX. p. 425. f) Trans. philos. Vol. LIV. p. 424.

Digitized by Google

ditum quemdam Armenum Marito Italo, et Niebuhrio Dano in Cypro degentibus adfirmasse, linguam horum marmorum esse Armeniacam, eorumque iis significationem ex eadem lingua petitam aperuisse [a]).

Postremum Barthelemyo tentamen fuit explicatio marmoris Carpentoractensis, hujus, ut prodidit, sententiae [b]):

Bénie soit Thébé fille de Thehhui; chargée des offrandes pour le dieu Osiris, qui n'a point murmuré contre son mari, et qui n'a point révélé les secrets de son mari. Elle fut pure et sans taches aux yeux d'Osiris; elle fut bénie par Osiris.

Ab alio quopiam tentatam hujus monumenti enucleationem, non mihi constat.

Habes fortunam, qua eruditorum conatus in interpretandis Phoeniciis marmoribus sese exercuerunt, quae uberius commemorare placuit, ut non miremur, iisdem dissidiis, et incertis numorum quoque Phoeniciorum explicatus ab eruditis oblatos fere semper laborare. Horum specimina hic non adferimus, quod infra secundum suas classes dabuntur. At nunc disquirendum, quae sint praecipuae causae tantorum dissidiorum in explicandis monumentis Phoeniciis, et quem possimus post multas vigilias in his studiis sperare successum.

Causae praecipuae, quae illa impediunt, sunt, quod deest scientia vera, saltem magnam partem, cum alphabeti, tum linguae Phoeniciae. Nostram ejus alphabeti scientiam nondum satis esse promotam, argumento sit vel unus Sidoniorum numus, quem infra dabimus, cujus aversa exhibet in quatuor versibus epigraphen novem tantum literarum variantium, et tamen post tot conatus Pellerinius et Bayerius in quatuor literis definiendis dissident. Nimirum literae Phoeniciae addita, vel dempta exili tantum lineola, vel apice inter se discrepant, saepe vix, ac ne vix quidem, unde judicium dubium. Distinguenda etiam forent tempora; nam aliis una eademque litera hunc habuit valorem, aliis alium, aut aliis una eademque litera in numis ejusdem urbis alia fuit forma. Exemplo esto *Resch* in numis Tyri, in quibus hoc elementum vocabulum צר *Tyrus* constituens triplici vario modo scribitur, ϙ et ϙ et ⌉, ut videre est in adcuratis iconismis Pellerinii [c]). At multo adhuc magis in his alterum elementum *Tzade* variat. Quando vero in monumentis his Phoeniciis distinguere non possumus tempora, ut revera raro possumus, qua quaeso ratione literarum sic variantium tuto definiemus potentiam? Novimus, in lingua Graeca τὸ H aliquando fuisse spiritum, serius literam, pro Q. TH. PS. KH. serius scriptum K. Θ. Ψ. X, mirum etiam pro varia aetate variasse literarum formas, ut v. c. *Sigma* habuit formas S. M. Σ. C. etc. et sic vetus VM. migrasse in ΣΤ., aut OSKSMTAM in. OIKIΣTAΣ. Horum nos elementorum naturam facile definivimus, cum quod monumentis copiosis fuimus instructi, quae eorum aetatem, progressum, et mutationem edocerent, tum quod et linguae Graecae

a) Mariti viaggi nell' isola di Cipro. b) B. L. T. XXXII. p. 729. c) Rec. II. tab. 83.

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM

Digitized by Google

perfecta scientia praesto fuit. Verum an iisdem subsidiis ad linguam quoque Phoeniciam juvamur? Vocabula Phoenicia, perinde atque Hebraica, tribus plerumque literis radicalibus componuntur. Harum ergo vel unicam si temere cum altera permutamus, en tibi aliud vocabulum sensus oppositi.

Atque haec cum jam impediant in monumentis Phoeniciae propriae, tum vero multo magis impedire necesse est intelligentiam monumentorum, quae nobis a Phoenicum colonis per Ciliciam, Africam, Siciliam, Hispaniam sparsis supersunt, apud quos post plura saecula, sublato sensim cum metropoli commercio, et per commixtionem cum barbaris indigenis non literarum modo forma, sed et ipsa lingua corrumpi debuit. Sic teste Velleio Cumaeos Graecos *Osca mutavit vicinia*, et quod magis huc pertinet, teste Sallustio [a]) Leptitanorum, qui ortu Sidonii fuere, *lingua modo conversa connubio Numidarum.* Vnde Poenus Plauto dicitur *migdilibs* [b]), et Poeni Virgilio *Tyrii billingues* [c]). Iam vero cum monumenta Phoenicia nonnisi ex lingua Hebraica, quae Phoeniciae mater est, explicari possint, ipsa vero jam lingua Phoenicia ab Hebraica, et forte plus quam credimus, differat, nam S. Hieronymus Phoenicum idioma Hebraico tantum adfine dicit [d]), qua deinde fiducia monumenta linguae Phoeniciae in coloniis μιξοβαρβαροις luxatae et corruptae ex legibus linguae Hebraicae explicabimus? Idem hi mihi agere videntur, ac si quis solius linguae Graecae peritus, at cui constat, Latines a Graecis et literas, et linguam accepisse, ex linguae Graecae praeceptis auderet marmora Latina Ancyrana interpretari. Quod vero caput est, jam ipsa literarum forma, quas Phoeniciarum coloniarum monumenta praeferunt, a nativa Phoenicia, ut dixi, nimio discedit. Ergo etsi, quod nonnulli sibi persuadent, stabilitum jam haberemus alphabetum Phoenicium, at nondum habebimus alphabetum coloniarum Phoeniciae. Quod si quis ex prioris lege volet posterius metiri, rectissime fiet, ut in explicandis epigrammatis falsum pro vero, pro Iunone nubem stringat. Lubet, quae dixi, uno exemplo ab Abderae Hispaniae numis petito confirmare. Ejus urbis indubitatum nomen, ut infra testabimur, sic in his exaratur: 19990, vel: 15550. Ex his secunda litera est *beth*, tertia *daleth*, quarta *resch*. Ab uno hoc exemplo bina in rem nostram memoranda colligimus, primum, eadem elementa in unius urbis numis usque eo variare, ut seu 9 seu 5 scriberetur, perinde esset, alterum, tres varii valoris literas sic inter se esse similes, ut discrimen non appareat. Adscriptum in his nomen latinum ABDERA harum valorem literarum tuto dictavit. At si hoc abesset, quam lepidas irrequieti interpretes de hac epigraphe fabulas nobis consarcinassent? Quod si etiam similium literarum perspectum nobis esset alphabetum, an continuo et teneremus linguam? Linguae Etruscae veteris prae-

a) Bell. Iugurth. c. 77. b) in Poenul. V. 2. 73. c) Aen. I. 665. d ad Isai. L. VII. c. 19.

Digitized by Google

ceptores, cum ejus literarum valorem denique reperissent, hac una ope ausi sunt etiam tabulas Eugubinas, aliaque Etruscorum monumenta interpretari, sed quorum indefessos, magnamque partem irritos conatus ipsum ajunt summum in coelis Iovem miseratum.

His tamen viri eruditi difficultatibus superiores horum agere interpretes aenigmatum non recusarunt, sed sic, ut profiteri aperte non dubitem, nihil a me unquam majore fastidio lectum, quam quos de hoc argumento scripserunt, prolixos commentarios, ex quorum lectione istud denique obtinui, ut, si exiguam veri nutrimenti partem demas, ceterum infirmis pastus conjecturis, ad extremum renitentem huic pabulo ventriculum experirer. Est tamen in molesta hac causa volupe videre, quantis graves hi viri curis et laboribus, saepe etiam iris, et criminationibus, retractando saepe, quae olim minus dextre dicta videbantur, saepe magno eruditionis apparatu gratis anhelantes, conjecturas suas propugnent, quibus perlectis occurrebat identidem illud Tullii [a]): *quid tam indignum sapientis gravitate atque constantia, quam quod non satis explorate perceptum sit, et cognitum, sine ulla dubitatione defendere?* Non postulo, ut in iis, quae dixi, meo quis sibi standum judicio existimet. Lubet ex ipsorum ore causae hujus peristases, et quam valida sint argumenta, quibus sua confirmant, cognoscere. En quae Barthelemyo ab eruditis aliis objecta commemorat Pellerinius [b]): *car ils lui imputent, d'avoir varié trop frequemment dans la valeur qu'il attribue à divers caracteres Pheniciens et Puniques, et dans la signification des mots qui en sont composé. Il y en a même qui trouvent étrange, qu'après avoir dit dans sa dissertation lue à l'Academie dès l'année 1758, que les interpretations qu'il présentoit alors, étoient le produit d'un travail obstiné des plusieurs années, il ait continué jusqu'à aujourd'hui à ne gueres donner autre chose que des problemes accompagnés de doutes, d'incertitudes, et de suppositions, en disant sur chaque médaille, si ce caractere a telle ou telle valeur, si celui-là en a une autre, la legende pourra être lue de telle et telle maniere, et la médaille sera, soit de telle ou telle ville, soit de tel ou tel roi. Dans un endroit on peut lire, selon lui, de deux ou trois manieres les legendes de quelques médailles, et conséquemment les attribuer à deux ou trois villes differentes. Dans un autre endroit, le changement de valeur dans les lettres qui forment une legende, ne change rien à l'explication qu'il en avoit donnée. --- De toutes ces ambiguités et variations il resulte, ajoute-t-on, qu'en les lisant on trouve que c'est souvent l'* obscurum *rendu par l'* obscurius, *et qu'après cette lecture on n'est guere plus instruit qu'on ne l'étoit auparavant.* Atque haec dicta fuere in Barthelemyum, cujus tamen in hac parte potiora esse merita, facile patebit ejus commentarios legenti. Ipse etiam Dutensius ridens facilem eorum religionem, qui literis Phoeniciis quem

a) De Nat. deor. L. I. c. 1. b) Suppl. IV. p. 52.

Digitized by Google

libuit, valorem impertiunt, haec salse: *si l'on veut me permettre de prendre de pareilles libertés avec les inscriptions Pheniciennes trouvées à Citium, je m'engage à les traduire en autant de sonnets de Petrarque* a). Magis idem severe alibi b): *En effet dès les premiers pas que je fis dans cette carriere, je fus surpris de trouver plus de conjectures que de regles, plus de doutes que de certitude, plus de charlatanerie que de science.* Atque haec posteaquam praeclare edixisset, mirari satis non possum, quo pacto ipse eodem in opere levibus in hoc genere conjecturis pascere animum potuerit. At fuit etiam tempus, quo Barthelemyus quoque fallaces has vocabulorum Phoeniciorum interpretationes coepit fastidire. Agens enim de binis verbis Aegyptiis, quae forte ope linguae Phoeniciae possent explicari, his verbis orationem claudit c): *Mais on donneroit dix explications differentes de ces deux termes, toutes également probables, c'est-à-dire, toutes également incertaines. Rien ne se prête plus aux desirs de ceux, qui aiment les étymologies, que les langues orientales, et c'est ce qui a presque toujours égaré ceux qui se sont occupé de ce genre de travail.* Tamen idem vir praeclarus in ultimo paragrapho ejus epistolae, quam anno 1790 ad Bayerium dedit, et quae adnexa est illustris hujus Hispani *Vindiciis* pag. I., non dubitat profiteri, sese, quod ad explicationem plurium numorum Phoeniciorum vel Punicorum attinet, mentem non mutasse; quin praesto sibi esse multas animadversiones in numos Punicos per Africam, et Hispaniam signatos, verum sibi eas conferendi deesse otium, neque sperare se, eas aliquando vulgaturum. Iure dixit vir eximius, sibi *plurium* hujus classis numorum explicationem satisfacere, neque ego, ut ex iis, quae deinceps disseram, patebit, cum nausea rejicio, si qua in hoc genere probabiliter, et cum certa quadam ratione sunt disputata. Aliud, quod averser, non est, quam obnixa illa nonnullorum confidentia in explicandis verbose quibuscunque monumentis Phoeniciis, quo interim in conatu nemini, nisi sibi solis, fidem fecerint, quos equidem amice monitos esse velim, neu sua elati vanitate iratam sibi reddant Nemesin, ejus memores vindictae, quam hujus immoderate argumenti studiosis minatur Artemidorus d): το δε κακως αναγινωσκειν τα βαρβαρικα γραμματα και κακως εν βαρβαροις απαλλαξαι σημαινει, η νοσησαντα παραψυχαι δια το ξενον της φωνης.

Cum ergo ex his, quae modo disserui, manifestum sit, parum propitia hactenus Minerva huic disciplinae datam operam, quaeri jure potest, sitne aliqua super spes, fore ut plus lucis his Phoeniciorum reliquiis adfundatur? Aio, superesse exiguam, nisi ex terrae sinu proferantur monumenta copiosiora, et quae oblato faciliore, et certiore sui explicatu magis nos etiam de linguae Phoeniciae natura certos reddant. An ergo penitus abjicienda haec studia suadeo? Nequaquam, verum ut

a) Explic. de quelq. méd. p. 19. b) Ibid. in praefat. p. XIII. c) in Anacharsi T. III. p. 596. d) Oneirocrit. L. I. c. 55.

Digitized by Google

stomachabar hactenus inanes conjecturas magna saepe eruditionis ostentatione propositas, sed argumentis ad persuadendum destitutas, tum et ingentes in causa dubia, et incerta animorum motus, sic auctor magnopere sum, ut id genus monumenta, certiori aliquando usui futura, solicite conquirantur, et adcurate vulgentur, atque uti operae pretium non puto, ut rei numismaticae studiosus, cui tot alii labores sunt exhauriendi, oblata tam modica in explicandis solide his monumentis spe linguarum orientalium difficile studium sectetur, sine quorum perfecta scientia gratis in iis elaboravit, ita ego viris, qui jam peregrina hac doctrina praeclare imbuti sunt, Phoenicias has reliquias veluti cupedias, et tantillam ad princeps suum studium accessionem relinquendas existimo. Lubet denique in eorum gratiam, qui studiis his delectantur, indicare dissertationes a viris eruditis nostri aevi de hoc argumento scriptas.

BARTHELEMY reflexions sur quelques monuments Pheniciens, et sur les alphabets qui en resultent, lû 1758. (B. L. Mem. Tom. XXX. p. 405.)

Extrait du même Memoire. *Exstat in:* DE GUIGNES Memoire, dans lequel on prouve, que les Chinois sont une colonie Egyptienne, 1759 in 8vo.

SWINTON a dissertation upon the Phoenician numeral characters antiently used at Sidon. Read Dec. 7. 1758. (Philosoph. transactions Vol. L. p. 791.)

BARTHELEMY Lettre à Messieurs les auteurs du journal des scavans sur quelques Médailles Pheniciennes. Aoust 1760.

BARTHELEMY Lettre aux mêmes. Novembre 1763.

BARTHELEMY explication d'un bas-relief Egyptien à Carpentras, et de l'inscription qui l'accompagne. Lû 13 Nov. 1761. (Mem. B. L. T. XXXII. p. 725.)

SWINTON some remarks upon Barthelemy's Memoir on the Phoenician letters, relative to a Phoenician inscription in the Island of Malta. Read April 12 and Dec. 13. 1764. (Philosoph. transact. Vol. LIV. p. 119. et 393.)

BARTHELEMY lettre à Mr le Marquis Olivieri au sujet de quelques monuments Phéniciens, pour servir de réponse à deux lettres inserées dans le 54 volume des Transactions philosophiques. Paris 1766.

SWINTON an attempt to interpret the legend and inscription of a very curious Phoenician medal, never hitherto explained. Read May 21. 1767. (Philos. transact. Vol. LVII. p. 266.)

BAYER del alphabeto y lengua de los Fenices, y de sus colonias. En Madrid 1772.

PELLERIN variis operum suorum locis numos Phoenicios explicat, et literarum potentiam definire satagit, praecipue Rec. III. p. 141. Suppl. I. p. 15. Supplem. III. p. 118. Supplem. IV. 48. Lettres p. 27.

DVTENS Explication de quelques Médailles Grecques et Phéniciennes. Seconde edition. A Londres 1776.

Indicanda etiam alphabeta Phoenicia hucusque edita. Omissis iis, quae Scaliger, Seldenus, Samuel Petitus, Rhenferdus, Bochardus, Spanhemius, Montfau-

Digitized by Google

conius, Bernardus, Clericus, Fourmontius ex incertis fontibus edidere, commemorabo tantum ea, quae a laudatis nostri aevi viris eruditis sunt concinnata.

Alphabetum Phoenicium captum ex marmore Melitensi, numis Phoeniciae, et Siciliae, tum ex marmoribus Citii. *Barthelemy* B. L. Mem. T. XXX. p. 405, item in epistola ad March. Olivieri, et in de Guignes Memoire sur l'origine de Chinois.

Alphabetum Phoenicium ex marmore Carpentoractensi conflatum. *Barthelemy* B. L. Tom. XXXII. Mem. p. 725.

Alphabetum Phoenicium purum, Siculo-Phoenicium, et Hispano-Phoenicium ex numis. *Bayer* de la lengua etc. p. 375.

Alphabetum Phoenicium, Punicum, et Siculo-Punicum ex numis concinnatum, et notis illustratum. *Dutens* Explicat p. 92.

Alphabetum ex marmoribus Melitensibus struxit *Swintonus*, (Philos. transact. Vol. LIV. tab. XII. 6.) aliud ex marmoribus Citii, et numis Punicis, et Siculo-phoeniciis, (ibid. tab. XXIV.) Cyprio-Phoenicium. (ibid. tab. XXV.)

Pellerinius varias de nonnullarum literarum forma et mutatione conjecturas dedit in suis Lettres p. 30. seq.

Alphabeta haec juvari, corrigi, et augeri possent ex numis tetradrachmis Aradi, in quibus varians litera Phoenicia medium semper locum inter duos numeros Graece scriptos occupat.

Proponimus in adjecta pagina specimen alphabeti Phoenicii, quod Barthelemyus ex numis in Phoenicia cusis, et inscriptionibus Melitae concinnavit, vulgavitque in Mem. B. L. Tomo XXX. inter paginas 426. 427. tab. IV., praescripto singulis formis valore, quem sive certa ratio, sive conjectura dictavit. Adjeci alphabetum Samaritanum proximis commentariis serviturum, ut collatis utriusque linguae literis uno conspectu formarum discrimen appareat.

* * *

His disputatis ad ipsum jam numorum examen transimus, quorum agmen commode dividemus in numos I. Phoeniciae propriae, II. Cilicophoenicios, III. Punico-Phoenicios, vel Siculo-Phoenicios, IV. Numido-Phoenicios, V. Hispano-Phoenicios.

I.

NVMI PHOENICIAE PROPRIAE.

Hos in binas classes tribuimus. Prima continebit eos, ex quorum epigraphe certam tenemus urbem, in qua signati numi, altera, quorum epigraphe patriam minus certam efficit.

I. Numi urbium cognitarum.

Marathus.

Caput Mercurii, in aliis: *Caput muliebre velatum.*

מרתע *(Martha.) Vir stans d. acrostolium*, vel: *Victoria gradiens, in area literae aliae, quarum postremae lineolis constant.* AE. III. (Barthelemy Lettre de 1760. Pellerin Rec. II. tab. 80. Mus. Caes.)

Numos similes propter literas Phoenicias satis cognitas primus Barthele-

Digitized by Google

Alphabetum Phoenicium et Samaritanum.

Hebr.	vulg.	Phoenicium	Samaritanum.
א	Aleph		
ב	Beth		
ג	Ghimel		
ד	Daleth		
ה	He		
ו	Vau		
ז	Zain		
ח	Cheth		
ט	Theth		
י	Iod		
כ	Caph		
ל	Lamed		
מ	Mem		
נ	Nun		
ס	Sameeh		
ע	Ain		
פ	Pe		
צ	Tsade		
ק	Koph		
ר	Resch		
ש	Sein		
ת	Tau		

J. Kibler Sc.

Digitized by Google

Digitized by Google

myus Maratho Syriae urbi non procul Phoenicia sitae applicuit, omnibus deinceps eruditis in ejus sententiam euntibus dempto Swintono, qui eos Sidonios statuit, (Philos. transact. Vol. LIV. p. 138 et 403.) sed ex causis sane fallacibus, ut mox in Sidone dicemus. De additis lineolis infra.

Sidon.

Caput muliebre turritum.
לצדן vel: לצדנם (*Letzidon vel Letzidonim, Sidoniorum.*) ΣΙΔΩΝΟΣ. ΘΕΑΣ. *Triremis.* AE. II. III. (Barthelemy B. L. T. XXX. p. 427. Pellerin Rec. II. tab. 82.)

Praeterquam quod literae, quae epigraphen hanc constituunt, satis sunt exploratae, harum quoque valor ad indicandum *Letzidonim* eo magnopere juvatur, quod ex inscriptione ΣΙΔΩΝΟΣ. certe constat, hos numos Sidonem pertinere. Si in numis Phoeniciis omnibus sic conjuncta haberemus indicia, ut ea habemus in numis Sidonis, et Tyri, minus plerumque in figendo literarum valore ambigeremus.

* * *

Caput muliebre turritum, pone MA., vel cornucopiae, vel caduceus.
Literae Phoeniciae quatuor versuum. Gubernaculum. AE. II.

Numum hanc, qui etiam est in museo Caesareo, post alios adcurate pictum stitit Pellerinius [a]), sed epigraphen explicare destitit, quod istud suas excedere vires profiteretur. Serius aemulorum incitatus studiis numum revocavit, literisque Phoeniciis in Hebraicas versis, distinctisque vocabulis hac lege:

לצדנם קם רם בקב קרת צר

epigraphen sic interpretandam duxit: *Sidonii olim projecti per vel propter execrabilem (vel maledictam) civitatem Tyrum* [b]). Et vero novum istud inventum sic adrisit viro erudito, ut profiteri non dubitaret, posse explicationem hanc a sese confidenter, *avec confiance* proponi [c]). At enim confidentiam hanc in diffidentiam vertisse, aliquot post annis patuit, cum sententiam hanc sic aptius reddi posse contenderet: *Sidoniorum antea projectorum in lupanar urbem Tyrum* [d]).

Vtrum viri eruditi hanc ejus interpretationem sive admittendam, sive reprobandam duxerint, mihi ignotum. Meum judicium si velis, mihi pleraque aut arbitrarie reddita, aut cum linguae Hebraicae indole pugnantia videntur. Cur enim vox רם, quam reddit *projecti*, cum voce לצדנם *Sidonii*, quorsum refertur, non conspirat multitudinis numero? Cur קב *execrabilis* non conspirat genere cum sequente קרת *civitas?* Quo vero pacto pro grammaticae regulis vox קב dici possit *participium a verbo* קבה (קבב dicendum fuerat) *execrari, maledicere*, non intelligo. Adverterit ea difficultas Pellerinium, quae causa fuerit, cur serius ex voce קב pro *execrabilis* faceret *lupanar*. Verum non קב, sed קבה Hebraeis *lupanar* dicitur. Video Pellerinium ad similia objecta genera-

a) Rec. III. tab. CXIX. n. 25. b) Suppl. IV. p. 105. c) Ibid. p. 103. d) Additions p. 43.

Digitized by Google

tim respondere, non sibi omnem indolem linguae Phoeniciae, aut ejus grammaticam satis perspectam esse, verum cum v. c. vox רם derivetur a רמה *projicere*, necesse esse, significare eam illud, quod dixerat, nempe *projecti*. Praeclaram sane methodum, ex linguae unius cognitae incertis alterius incognitae leges constituere. Non nego, vocabulum Phoenicium, cum easdem habet radicales, quas Hebraicum, propter utriusque linguae adfinitatem adfinem etiam significationem habere posse, tamen si huic regulae pertinaeius insistimus, gravissime saepe offendemus, et longe adhuc absumus, ut adfirmare possimus, similem explicatum *confidenter* tenendum, qua loquendi formula viri gravis ore prolata necesse est iis, quibus curta est linguarum orientalium scientia, ludum fieri. Ergo cum ab hac parte nullam mihi legem videam impositam, ut Pellerinio sic interpretanti sit habenda fides, possum jure quaerere, sitne verisimile, a Sidoniis finitimam et cognatam Tyrum in monumento publico dictam fuisse *execrabilem*, aut adeo *lupanar*? Nullum me teste exstat testimonium veteris instituti, aut ut planius loquar, nullus exstat antiqui operis numus, qui doceret, populorum iras, odia, contentiones aeternis monumentis commendatas. Multa habemus in numis veteribus stabiliti inter urbes foederis, pacis, concordiae argumenta; qui discordias, atque inimicitias capitales proderet, dempto hoc, si Pellerinio credere mavelis, nullum habemus.

Mitius de Sidoniis judicium fuit illustris Bayerii eandem similis numi epigraphen explicare aggressi [a]). Praemonendum, nihil viro erudito de Pellerinii explicatione, quam is in Supplemento IV. adornaverat, constitisse; ut adeo in eo, quod dictaverat, sese unum ducem secutus sit. Numus idem est cum Pelleriniano, nisi quod versus secundi litera quarta differt, sed deceptum non fuisse Bayerium, apparet ex similimo altero Arigonii, qui eandem variationem offert [b]). Is epigraphen hoc modo exsolvit, et interpretatur:

לצרנם אספסב אטאפת צר

id est: *Sidoniorum magna collectio in aerarium Tyri.* Quoniam Bayerio ne quidem in definiendo literarum valore cum Pellerinio convenit, consequens erat, etiam ejus interpretationem divergere. Quibus argumentis, eruditis sane, at aeque incertis et vacillantibus auctor sententiam suam confirmet, longum foret commemorare, poteritque, cui haec studia cordi sunt, ab ipso fonte petere.

Vt taedia Phoenicia amoenitatibus etiam Butzoviensibus temperemus, fuit Olaus Tychsenus, saepe mihi proxime in tractatu de numis Hebraicis nominandus, qui eandem epigraphen sic vertendam docuit: *Sidoniorum as stellatus ad qualitatem Tyri* [c]).

* * *

Certis his, quos hactenus descripsimus, Sidoniorum numis Phoenicio charactere insignitis multo copiosiores alios addidit prodigo liberalis Swinto-

a) del Alfab. Fenic. p. 339. b) Num. Phoenic. tab. I. c) Bayer Vindiciae p. 56.

Digitized by Google

nus [a]). Sunt vero sequentes in omnibus museis obvii:

Caput muliebre turritum.

Navis, in cujus prora Pallas armata irruens, superne literae Phoeniciae variantes, et inferne variantes notae Phoeniciae, quae arithmethicae videri possunt. AE. II.

Caput Iovis.

Similis aversa. AE. III.

Caput muliebre velatum, in aliis turritum.

Figura stans d. acrostolium, s. columnae innixa, ad cujus sinistram literae Phoeniciae, ad dexturam similes notae, ut videtur, arithmeticae. AE. II. III. Similes paullo supra in numis Marathi descripsi.

Caput Iovis.

Duplex cornucopiae, juxta literae solitariae, et similes notae arithmeticae. AE. II.

Causae, quibus motus vir eruditus numos hos omnes Sidoniis tribuit, valde laborant. Primum argumentum, et forte unicum, saltem quo maxime nititur, capit ex literis binis dictas notas arithmeticas praecedentibus, quas putat esse ש et צ, et principia vocabulorum שנת צדן *anno Sidonis.* At plerisque jam visum, literarum alteram non esse צ, sed ת, quo adeo totum hoc argumentum graviter labefactatur. Sane Swintonus ipse in alphabeto Phoenicio, quod serius edidit [b]), simili elemento potentiam ת dedit, et ipse eodem loco fatetur [c]), literarum ת et צ formam in Phoeniciis esse valde adfinem, nullumque in his elementum forma magis varia occurrere, quam צ. Quod si haec litera tam certum *Tzade* est, quaero, cur Swintonus eam potius velit esse ἀρχαιστατ ת צדן, *Sidon*, quam צר *Tyrus?* nam utramque urbem istud potest elementum indicare. Iam vero quae sit verisimilis utriusque hujus literae significatio, mox infra dicemus, cum de notis his arithmeticis agemus. Porro cum jam penitus insedisset animo, numos hos esse Sidonios, coepit vir eruditus numeros infra scriptos, quos epochae annos putabat, ad aeram Sidoniorum exigere, non quidem illam Seleucidarum, sed propriam, quae coepit V. C. 643. Secundum potentiam a viro erudito notis his adsignatam, de qua doctrina paullo infra uberius agemus, hi anni admodum variant. Lubet ex his annum minimum, et maximum seligere. Numum cum anno minimo |||||, seu quinto, ipse citat. Annum maximum, ut obiter inquisivi, reperio |||NNN|ɔ|, ex lege Swintoni 163 in numo Pellerinii [d]). Ergo numus prior ductus a principio 643 signatus est V. C. 647, alter V. C. 805, ut ex Swintoni calculo consequitur. Argumentum istud ut enervem, lubet praemonere, numos hos secundum suas classes inter se simillimos esse metallo, volumine, fabrica, literarum forma, typis, verbo: omnibus modis. An verisimile est, aut an aliud novimus in omni antiquitate exemplum, rem monetariam unius ejusdemque urbis intra saeculum unum ac dimidium ita sibi constitisse, ut interea ne minimum quidem mutationis esset experta? At quor-

a) Phil. trans. Vol. L. p. 791. b) Philos. trans. Vol. LIV. tab. 12. c) pag. 135.
d) Rec. III. tab. 119. n. 20.

Digitized by Google

sum longius examen? Obvii sunt numi Sidoniorum tam autonomi quam imperatorii circa annum V. C. 805. signati. Ergo ex cognitis his Sidoniorum numis monetae Sidoniae ratio, quae illa aetate viguit, est petenda. Atqui quantum haec spectatis omnibus, quos dixi, modis a Swintoniana discrepat? quod explicare necesse non est, cum utriusque generis numi sint obvii, et facile sit utrosque contendere. Ergo ut certius persuadeat Swintonus, numos hos esse Sidonios, necesse est, ut argumenta magis convincentia expediat, atque ut verisimile reddat, numeros infra scriptos esse revera annos epochae, necesse iterum erit adsignare altius principium, ne numi cum annis auctioribus in aetatem incidant numorum similium fabricae parum idoneam, aut, quod pace ejus viri dictum sit, velit potius nobiscum ignorare, in qua Phoenices urbe omnes hi numi cusi sint.

Typi in his numis plerique ad rem maritimam adludunt, qua inde ab ortu suo excelluisse Phoenicas constat. Parva Palladis statua in prora navis posita more, ut dixi, irruentis videtur esse una ex diis Pataicis, quos a Phoeniciis in triremibus esse circumlatos narrat Herodotus [a]). Erunt, qui Palladem navis tutelam malint, de qua egerunt alii. Vide praeter alios Fabrettum [b]).

Tyrus.

Antica varia.

TTPIΩN. לצר *typo navis*, in numis tam autonomis, quam regum Syriae, quos vide apud Pellerinium, (Rec. II. tab. 83.) et Barthelemyum. (B. L. Tom. XXX. p. 427. tab. 2.)

Caput Antiochi IV. radiatum.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΤΤΡΙΩΝ. לצר אם צדנם *Navis.* AE. II. (Barthelemy l. c.)

Phoenicias prioris numi literas legendas צר *Tsor* praefixo articulo ל, indubitatum. Sic etiam in sacris literis Hebraicis celebris ea urbs appellatur. Alterius numi verba sic recte vertit Barthelemyus: *Tyri matris Sidoniorum.* In hoc ergo numismate Tyrii Sidonios ab se ortos jactantius praedicant. Sed et ipsi veteres utriusque urbis jura, et vetustatem miscuere, quo de argumento vide nonnulla in earum moneta. De litera ר in his numis admodum variante egi supra in prolegomenis.

II. Numi urbium incertarum.

Hac classe comprehendo eos numos Phoenicio charactere inscriptos, quorum patriam varii viri eruditi suas conjecturas, et alphabeti sui legem secuti eruere sunt conati, sed quorum judicia tanti non videntur, ut adsensum continuo cogamur impertiri, qua in disputatione profiteor, me non auctoritate virorum gravium, quos maxime facio, sed uno argumentorum pondere moveri.

Aco, serius *Ptolemais.*

ϟO *additis lineolis*, in area numorum Alexandri M. tam aureorum, quam

a) L. III. §. 37. b) de Col. Traj. p. 111. seq.

Digitized by Google

argenteorum, quos vide in museo Caesareo, apud Barthelemyum, (Lettre journ. de sav. 1760.) et Pellerinium, (Rois et Mel. I. p. 140.) Similem eximium, sed aeneum dat idem Pellerinius in fronte Supplementi IV.

Binas has literas legendas עכ, primus qui doceret, fuit Barthelemyus, cumque ea urbs in sacris literis appelletur עכו, non dubitavit, hos numos in hac Galilaeae urbe casos adfirmare. At enim hunc esse earum literarum valorem, ex certo quopiam monumento non est comprobatum. Literam primam O esse *Ain*, non negavero; alteram esse *Caph*, Barthelemyus probat ex numo Laodiceae mox producendo, sed et haec litera, qua nititur, est ambigui valoris. Barthelemyi judicio cum acquiescerent Pellerinius, Dutensius, aliique, factum, ut vulgo persuasum jam sit, numos similes ad hanc urbem pertinere. At ego hanc sententiam in conjecturis habendam existimo.

* * *

Caput Iovis.

✠ *Navis, infra aliae literae Phoeniciae.* AE. III.

Dutensius, qui numum hunc pietum stitit in praefatione pag. IX., et explicavit infra pag. 84, inscriptas literas legit אכ, iisque hanc urbem indicari adfirmat. Diximus mox, ejus nomen scribi עכו, an ergo perinde fuit veteribus Phoeniciis, seu illud per *Aleph*, seu per *Ain* scriberent? Hoc unum argumento sit, quam parum religiosa sint eruditorum in explicandis his numis judicia.

Berytus.

Huic numos binos tribuit Pellerinius, in quibus urbis nomen literis Phoeniciis exaratum videt [a]). Ei in definienda literarum potentia litem movit Barthelemyus, contra quem quo is modo causam suam agat, vide loco indicato. Istud certum, horum priorem propter additum ΛΑΦ sine dubio esse hujus urbis. Vtrum vero epigraphe Phoenicia urbis nomen, et non aliud eloquatur, minus certum; nam et is, quem in sequente *Laodicea* producam, est Beryti, quin tamen addita scriptura Phoenicia ejus nomen eloquatur.

Laodicea.

Caput Antiochi IV. radiatum, ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. *sequentibus literis Phoeniciis tredecim. Neptunus stans d. paterum, s. tridentem, in area* ΛΑΦ. et O. AE. II.

Barthelemyus binis locis numum hunc promulgans [b]) epigraphen Phoeniciam sic legit:

לאדכא אם בכנען

id est: *Laodiceae matris in Canaan*, eumque adeo tribuit Laodiceae Syriae ad mare sitae. Quod haec urbs longe a Phoenice dissita, tum condita a Se-

a) Snppl. IV. p. 65. b) B. L. T. XXX. p. 415, et Lettre. journ. sav. 1760. p. 4.

Digitized by Google

leuco, et colonis Graecis habitata Phoenicie potius sermone, quam Graeco utatur, quod se *matrem* appellet, quam eduxisse colonos non constat, et matrem quidem in *Canaan*, nihil super his, etsi sententiam suam gravissime impetant, movetur vir summus, *il suffit*, inquit, *que ce nom soit clairement exprimé sur la médaille.* Veniam merebor, si hac in causa minus me habeat sibi obsequentem. Si ille ex causis dubiis, literas intelligo Phoenicias, quae saepe viris praestantibus imposuere, numum hunc Laodicensem adserit, at possum ego ex causis certis, nimirum type et literis areae insertis, Berytiorum esse numisma statuere. In horum moneta obvius est Neptuni typus ex causis cognitis, et quod praecipuum est, literae ΑΛϕ. addito saepe O in solis Berytiorum numis reperiuntur, et constat ex numis Pellerinii, et Hunteri, Berytios non raro numos suos Phoenicio charactere inscripsisse. Vnde sequitur, epigraphen Phoeniciam longe aliud significare, quam istud visum cel. Barthelemyo.

* * *

Non permittunt instituti mei limites, neque etiam operae pretium facturum existimo, si, quas urbes alias eruditi ex similium lectione numorum infirmis sane conjecturis sibi reperisse sunt visi, commemorem, et in judicium vocem. Ejus generis habes apud Bayerium *Carnen* Syriae [a]), apud Pellerinium *Mageddo* Palaestinae [b]), apud Dutensium *Antiochiam* ad Orontem, *Gazam*, *Mariamam* etc. Qui hujus rationis conjecturis delectantur, habent, quo vires suas exerceant, id genus numos apud Pellerinium [c]).

* * *

Postremo et de notis arithmeticis Phoeniciis in moneta Phoeniciae propriae obviis agendum. Lubet aliquot exempla proponere. In numis, quos paullo supra urbi Aco, serius Ptolemaidi, tribui solere diximus, binas literas sequuntur lineolae hac forma: |||—¯_, vel: ||||||—¯_ In aliis, quorum justum numerum edidit Pellerinius [d]), |||||¯NNN vel |||||NN vel ||||ΓNNN vel: ||||||¯|ɔ| vel |¯|ɔ| vel: |¯Nɔ| et similiter. Hos characteres plerumque praecedunt binae literae שת

Primus fuit Rhenferdus, qui characteres hos esse arithmeticos conjecit [e]). Dissimulatis hujus meritis inventi gloriam sibi vindicavit Swintonus, qui harum notarum natura curatius expensa has leges constituit [f]): ait primum, lineas perpendiculares | esse monades, horizontales — esse decades, characterem N indicare 20, characteres alios, qui praecedunt, 100. Literas שת, quas praeire diximus, rectius Barthelemyus contra Swintonum, cujus sententiam paullo supra in Sidone exposuimus, statuit esse contractum שנת *annus*, quae vox in numis quoque Samaritanis praeire solet [g]), etsi illud acriter impugnet Swintonus [h]). Ex hac ergo lege |||—¯

a) Pag. 345. b) Suppl. IV. p. VI. c) Rec. III. tab. 119. d) Rec. III. tab. 119. e) Peric. Phoenic. p. 47. f) Philos. Trans. T. L. p. 791. g) Lettre journ. Sav. 1760. p. 6. h) Trans. phil. Vol. LIV. p. 136.

Digitized by Google

significabit 33, ||||||—⩵ 36, ||⁻NN 52, et conformiter ad eam Swintonus proposuit tabulam, qua progressionem arithmeticam a monade usque ad chiliadem in notis id genus Phoeniciis sistit. Eandem sententiam amplexus quoque est Pellerinius [a]). Haec viri eruditi, quorum ego judiciis sic adsentior, ut tamen multa subesse ambigua, et nullo certo fundamento nixa existimem. Etenim si lineae perpendiculares monadum potentiam habent, cur eae non eodem loco consistunt, et temere cum alterius potentiae notis miscentur, ut in exemplis adductis videmus! Cur, si lineae horizontales indicant 10, eae temere multiplicantur, scribiturque —⩵ pro ⁻N? Quam deinde significationem habent notae aliae ab | et — et N diversae, quas saepe permixtas conspicimus? Quam item ad taedium variata et perturbata est ratio ejus notae, cui Swintonus potentiam centenarii tribuit? Verbo: ut satis videtur verisimile, characteres esse arithmeticos, sic non possum probare eorum consilium, qui in iis continuo epochae annum vident, et tanquam omnis eorum indoles jam esset explorata, eos calculo subjiciunt, et confidenter annum, quo signati sunt, edisserunt, ut praecipue placuit Swintono, sed cujus invalidas in hac causa conjecturas proxime in Sidoniis hujus classis numis indicavimus. Si in numis Graecis, quorum natura nobis magis cognita, ad notas arithmeticas saepe adhaeremus, quam erit periculosum, earum usum in numis Phoeniciis definire? Exemplo sunto numeri numis Aradi inscripti. In museo Caesareo inter numos Siculo-phoenicios exstat argenteus, in cujus aversa supra equum stantem legitur |||||H, ex quo patet, similes lineas in numis Phoeniciorum etiam extra Phoeniciam propriam usitatas fuisse.

II.

NVMI CILICO-PHOENICII.

Phoenices, quos remotissimam Africam, et ipsa Oceani litora colonis frequentasse legimus, multo magis verisimile est, commercii causa in vicinis regionibus, Cilicia, Pamphylia etc. sedem fixisse, atque una linguam suam intulisse. Neque desunt auctores, qui, quod verisimile dixi, oratione confirment. Q. Smyrnaeus [b]):

Παντες, ὁσοι Φοινικον ἐδος περι παγχυ νεμονται,
Αιπυ τε Μασσικυτοιο ῥιον, βωμον τε Χιμαιρης.
Omnes, quicunque circa Phoenicium solum undique habitant,
Et praeruptum Massicyti jugum, aramque Chimaerae.

Narrat item Plutarchus [c]), Alexandrum M. captis Halicarnasso, et Mileto perrexisse τὴν παραλιαν ἀνακαθηρασθαι μεχρι της Φοινικης και Κιλικιας, *ad pacandam oram maritimam usque ad Phoenicen et Ciliciam*, quo is loco Phoeniciam propriam intelligere non potuit, in quam intrare ne posset, Darii tum adhuc

a) Rec. III. p. 139. Suppl. IV. p. IV. b) L. VIII. v. 106. c) in Alex. M. p. 673.

Digitized by Google

exercitus ad Ciliciae, et Syriae fauces obstabat. Ex quo patet, partem maritimi ejus tractus appellatam Phoenicen haud dubie a colonis Phoeniciis. Eodem modo habitatam ab iisdem etiam partem Cypri constat; nam praeterquam quod apud Citium Cypri reperta sunt marmora Phoenicie inscripta, quae supra citavi, idem confirmat Diogenes Laertius, cui philosophus Zeno dicitur Κιττιευς ἀπο Κυπρου πολισματος Ελληνικου Φοινικας εποικους ἐσχηκοτος, *Cittiensis ex Cypri oppidulo Graeco, Phoenices colonos habente.* Comprobata horum in Cilicia, Pamphylia, eorumque finibus commoratione verisimile etiam, signatos fuisse numos Phoenicio charactere insignes, in quorum classe putamus sequentes ex causis, quas infra prodemus.

* * *

Epigraphe Phoenicia. Caput galeatum barbatum.

Epigraphe Phoenicia. Iuppiter sedens d. hastam. In alio, sed hac parte anepigrapho: *Caput muliebre adversum diadematum diffusis crinibus, collo duplici unionum serie redimito.* AR. I. (Pellerin Rec. III. tab. 122. n. 7. 8. Dutens tab. I. n. 5.)

Epigraphe iisdem numero, et forma literis constans. Vir cultu barbaro sedens, ut in aversa numorum Arsacidarum, s. porrecta, ut videtur, sagittam, juxta arcus.

Epigraphe Phoenicia, sed vitiata. Iuppiter seminudus sedens s. botrum. AR. I. (Dutens p. 1. et explicatur p. 20.)

Numus prior cognitus jam fuit Fulvio Vrsino. Is cum in epigraphe Phoenicia latere nomen *Annibal* crederet, non dubitavit, caput galeatum huic Poenorum duci tribuere. Vrsinum secuti sunt Haymius, Gronovius, omnesque posteriores, qui de veterum imaginibus egerunt. Quod alias constabat, Fulvii aetate parum exploratam fuisse alphabeti Phoenicii rationem, nunc etiam hoc exemplo comprobatur; nam ex literis capiti galeato adstitutis certum est, nomen *Annibal* componi non posse. Atque istud multo evidentius probat numus alter, in quo eaedem omnino literae juxta virum cultu barbaro sedentem sunt exaratae, nisi et hunc velimus Annibalem adfirmare, quae omnia fusius exposita, lege apud Pellerinium, et Dutensium [a]). Posterior hic existimat, utrumque hunc numum Tarso tribuendum, quod incertum, etsi plane verisimile sit, in Ciliciam, ejusve viciniam pertinere, ut mox disputabimus.

* * *

Epigraphe Phoenicia. Caput Palladis dextrorsum versum.

Epigraphe Phoenicia. Caput Palladis adversum. AR. II. (Mus. Caes. Dutens p. 78.)

Dutensius epigraphen legit: לארד מלך *Arad rex*, numumque esse Aradi regis insulae Aradi, quod judicium an poterit facile eorum, qui graviora argumenta desiderant, sperare adsensum?

* * *

Epigraphe Phoenicia. Iuppiter sedens dextera, cui aquila insidet, botrum, s. hastam tenet.

a) Ll. cc.

Digitized by Google

Epigraphe Phoenicia. Leo discerpens taurum, vel: *leo gradiens.* AR. I. (Mus. Caes. Dutens, Pellerin Rec. III. tab. 122.)

Tres milites galeati scutati in triremi, cujus prora jam capite arietis, jam equi praefigitur, infra Pegasus marinus.

Epigraphe Phoenicia. Leo cervum discerpens. AR. I. (Mus. Caes.)

Mercurius praegrandibus alis instructus secundum humeros, alatis item pedibus, flexo sinistro genu dexteram attolit, retro caduceus.

Epigraphe peregrina. Leo stans et respiciens intra quadratum. AR. I. (Mus. Caes.)

Hercules clavam, vel arcum intentans.

Epigraphe Phoenicia. Leo cervum depascens. AV. III. AR. I. II. (Pellerin l. c.)

Id genus numos alios recitare supersedeo, quod eorum maximum meritum in literarum varia forma consistit, eorumque adeo iconismos oculis ipsis subjicere necesse est, quos videre potes apud Pellerinium [a]), Dutensium [b]), tum a me ex museo Caesareo bis editos [c]), et in museo Pembrock [d]). At nunc, quod supra promiseram, expedienda ratio, quae numos similes, quos hactenus descripseram, in Ciliciam referendos suadeat. Primum Pellerinius plerosque suos sibi ex Caramania adlatos testatur, cujus partem vetus Cilicia efficit. Idem experimento doctus confirmat abbas Sestinus [e]). Deinde non pauci ex his bovem incusum exhibent, quod signum secundo additum obvium est in ejus tractus numis, ac praecipue Pamphyliae, ut videre est in numo Sidetum apud Pellerinium eadem tabula, et in numis Aspendi, et Malli. Denique iidem hi Sidetum numi in hac Pellerinii tabula propositi peregrinas etiam literas exhibent, quas etsi pure Phoenicias non ausim dicere, sunt tamen Phoeniciis adfines, et haud dubie varios modos expertae propter variarum gentium in hoc maris mediterranei litore permixtionem etiam Straboni memoratam. Istud certum, hos numos regno Alexandri M. esse vetustiores, ut recte etiam advertit Pellerinius, quo tempore adhuc lingua domestica praevaluit, sed quam paullo post praepotens Graecorum lingua saltem ex numis exulare jussit. In moneta Malli Ciliciae recitavi numos hujus urbis, ex quorum typo plane Persico satis apparet, signatos eos, cum adhuc Persis pareret.

In numis prime loco descriptis propter adstitutam aquilam, et oris majestatem facile Iovem agnosco, etsi botrum dextera praeferat, quem privata urbis religio Iovi videtur tribuisse. Iidem hi numi persuadent, deum simili cultu in numo Nagidi stantem, quem olim causa botri esse Bacchum Indicum putabam [f]), Iovem quoque putandum, cumque idem hic numus verius sit Nagidi Ciliciae, quam Cypri, eadem haec typi concordia verisimile facit, praesentes quoque numos Phoenicio charactere inscriptos ejusdem esse regionis. Vtrum vero sint Malli, et epigraphe legenda BAAL.

a) Rec. III. tab. 122. b) l. c. c) Catal. mus. Caes. T. I. tab. V. et num. vet. tab. XVI. d) Part. II. tab. 87. 88. e) Lettere T. III. p. 103 seq. f) Num. vet. p. 237.

Digitized by Google

TARZ., id est: *Iuppiter Tarsensis*, et in aversa: MIZZERAG. MVTH. *ab implectendo mors*, ut visum Swintono [a]), in meris, ac ludicris conjecturis putandum. Sane confitetur Barthelemyus, cum longam his literis resolvendis operam dedisset, nihil denique reperisse, quo sibi satisfactum videretur [b]).

In numo II. ajebam navis proram jam caput arietis, jam equi promittere. Admonet me istud ejus, quod narrat Strabo [c]), Gaditanos habere naves, quas *equos* appellant, a prorae scilicet insignibus, ἀπο των ἐν ταις πρῳραις ἐπισημων, et fuisse naves Libycas, quae propter eandem causam *arietes*, et *hirci* vocabantur, testatur Iulius Pollux [d]). Vide, quae de his navium insignibus alia attuli in numis Phaselidis Lyciae.

Numi, quos sub hoc articulo dedi, cujus sint urbis putandi, etsi de regione satis constat, hactenus nulla certa ratione definitum est. Quare et ego, cum eorum plerosque olim in meis Numis veteribus vulgarem, ferre sententiam consultius detrectavi. Quam meam, sapientem, ut puto, diffidentiam longe improbatam fuisse erudito cuidam anonymo, disco ex libellis Lengnichii, qui prodeunt Dantisci praefixo titulo: *Nachrichten zur Bücher- und Münzkunde*, in quorum volumine II. p. 197. is binos numos, quos ibi tab. XVI. n. 14. et 17. stiteram, in judicium revocat, exploratoque literarum Phoeniciarum valore in numo priore conficit vocabulum מזרן, tribuendo adeo *Mostenae* Lydiae, in altero עצנה, qui erit *Aezanae* Phrygiae. At mihi si aliquando liceret, hoc pacto numorum veterum difficiles nodos explicare, lapidem tum mihi sophronisterem velim esse propitium.

III.

NVMI PVNICO-PHOENICII

vel

SICVLO-PHOENICII.

Phoenices Tyro profectos quocunque seu duce, seu aevo fundasse Carthaginem, inter omnes constat. Ex *Phoenice*, seu *Poenice* enatum est *Poenus* Latinis usitatum, qui diphthongo OE more suo in V mutata dixerunt etiam *Punicus*, ut advertimus in numis Tyri. Cum, qui numi ab aliis Carthagini tribuuntur, eos alii inter numos a Poenis in Siciliae urbibus signatos referant, neque certo constet, apud Carthaginienses, quamdiu sui juris fuere, monetae signatae usum fuisse, aut saltem ambiguum sit inter utrosque discrimen, libuit utrosque in eandem classem conjicere. Superest vero numorum ingens copia, quos propter operis admirabilem elegantiam, et non raro typorum concordiam facile cum Siculorum, ac privatim Syracusanorum moneta permutaremus, nisi istud inscriptae literae Phoeniciae vetarent. Quae causa fuit, cur inde, ex quo rei numismaticae studium intentius excoli est coeptum, certum teneretur, id genus numos cusos in Siciliae parte, quae aliquamdiu Carthaginiensibus paruit,

a) Phil. trans. Vol. LVII. p. 266. b) B. L. T. XXX. p. 424. in nota. c) L. II. p. m. 156. C. d) Onom. L. I. c. IX. segm. 83.

Digitized by Google

quorsum adeo, atque etiam in insulas in meridiem objacentes, de quibus infra, lingua Phoenicia fluxit. Types, quos numi hi offerunt, hoc loco explicare supersedeo, quia istud jam in numis Panormitanis praestiti, inter quos numi hi vulgo referri solent, de sola peregrinae inscriptionis natura acturus. Hanc magno conatu explicandam suscepere viri praestantissimi Barthelemyus, Swintonus, Pellerinius, Bayerius, qua fortuna, in singulis contemplabimur.

* * *

Caput Proserpinae spicis coronatum. Literae quinque Punicae. Pegasus volans. AR. max. mod. (Mus. Caes. Pellerin Rec. III. tab. 88. n. 6.)

Pellerinius illustris hujus numi primus praeco epigraphen sic legi posse conjecit: בקרקת, id est: in *Karkath*, ratus Carthaginem Punice dictam *Karkath*, unde Graecorum Καρχαδων, vel Καρχηδων, ut ipse scribit, et Latinorum *Carthago* fluxerint [a]). Barthelemyus, cui secundum, et quartum elementum non *Koph*, ut visum Pellerinio, sed *Aleph* valebat, atque adeo legendum בארת *Bearath* videbatur, cum hanc vocem nonnihil adfinem cum *Emporio* praetensa Siciliae urbe adverteret, leviter suspicatus est, eidem hunc numum posse tribui, ut testatur Pellerinius [b]). Postremus Bayerius ab his longe diversus epigraphen resolvit in בארצת *Birtsath*, idem fere, quod *Byrsa*, quo nomine appellata fuit arx Carthaginis, cujus adeo esse hunc numum, sibi plane persuadet [c]). Quae ex his tribus praestet sententia, non moror. Enarratorem in tote hoc negotio agere institui, non arbitrum.

* * *

Caput Herculis imberbe.

Epigraphe Punica sex literarum. Caput equi, pone palma. AR. I. (Mus. Caes. Barthelemy B. L. T. XXX. p. 427.)

Caput simile.

Eadem epigraphe, nisi quod principio additur litera alia. Caput equi, pone palma. AR. I. (Mus. Caes. Barthelemy l. c.)

Caput muliebre vitta tectum.

Eadem epigraphe. Leo gradiens, pone palma. AR. I. (Barthelemy l. c.)

Praetereo veterum in interpretanda hac epigraphe diligentiam, quos inter Aldretus Hispanus, qui eam legendam KAKKABH putavit, ut dixi in numis Panormi. Ex recentioribus Barthelemyus epigraphen numi prioris legit: עם מחנת, posteriorum, quae eodem recidit: מעם מחנת, id est: *populus castrorum*, a החנה, *castra*. Verum quo loco positus praetensus hic populus, dicere non habet [d]). Hac sententia repudiata Swintonus interpretatur: *a populo Menenio*, vel similiter, sic ut apud Menas Siciliae signatos hos numos profiteretur [e]). Verum acriter repugnat Barthelemyus, primum quod verisimile nullo pacto est, Menis, urbe paupere et obscura tam copiosam, et argento gravem pecuniam potuisse signari, deinde quod non constet, eam urbeculam aliquando fuisse Poenis subjectam. Quae

a) l. c. p. 20. b) Suppl. IV. p. 78. c) de la Lengua de los Fenic. p. 377. d) l. c. p. 417. e) Phil. trans. Vol. LIV. p. 411.

Digitized by Google

causa est, cur potius Panormitanis divitibus, suo videlicet *populo castrorum*, eos adsignet [a]). In aciem denique progressus Bayerius neutri adhaesit, sed res suas egit. Is inscriptionem legendam censet: עם המחרת *populus Macharae* [b]), quo constituto verisimile illi visum, eos tribuendos Heracleae Minoae Siciliae urbi, quae olim teste Heraclide Pontico dicta fuit *Macara*. Idem extrema pagina sui operis modeste indicat, partem Carthaginis *Megara* fuisse appellatam, ex quo apparet, eum alienum non fuisse a tribuendis urbi huic his numis. Selige, lector, aut, si malis, totum repudia.

* * *

Caput Proserpinae intra piseiculos. Epigraphe Punica septem literarum. Mulier in citis quadrigis s. scuticam. AR. I. (Barthelemy l. c.) In aliis similibus quatuor *haec mulier ab advolante Victoria coronatur.* AR. I. (Mus. Caes.)

Hujus epigraphen numi Barthelemyus legendam docet: עם מנקרת *populus Minkaroth.* Quo pacto verisimile putat, hos numos esse urbis Siculae, quam veteres *Imachara*, vel *Imichara* appellant [c]). Siccine oppido adeo ignobili tam illustria tetradrachma largiemur? Inique ergo subinde Barthelemyus Menarum ignobilitatem objecit Swintono similes alios numos his tribuenti. Istud hoc loco monitum velim, literam primam, quam Barthelemyus *Ain* statuit, in numo nitidissimo musei Caesarei esse P inversum, et ejusdem plane formae, cujus est litera penultima, quam is *Resch* statuit. Numus similis musei Caesarei istud habet peculiare, quod eadem haec epigraphe nequaquam more Phoenicierum a dextera in sinistram tendit, sed more nostro a sinistra ad dexteram. Vtriusque numi exemplum aeri incidi feci in mea Sylloge I. tab. II. num. 13. et 14. Idem phaenomenon reperit etiam Barthelemyus in epigraphe Samaritana numorum Antigoni Iudaeae regis [d]), et comparet etiam in simili alio apud Pellerinium [e]).

* * *

Epigraphe Punica quatuor literarum. Palma.

Epigraphe Punica septem literarum. Equus dimidius, quem supervolans Victoria coronat, in arca granum hordei. AR. I. (Barthelemy l. c.)

Partis anticae literas Barthelemyus legit מחנת, quam vocem jam supra in alio numo vidimus; partis aversae: קרת חדשת, quas interpretatur, *urbs nova.* Istud si verum, miror sane, adjectivum חדשת esse in statu constructo, scriptumque pro חדשה. Numum hunc vir eruditus aut Panormo tribuendum putat, aut verius Carthagini, quod haec teste Stephano *urbs nova* vocabatur [f]). Ab aliis tribui etiam solet Dionysio I. Syracusano, quia in simili alio Goltzius juxta equum scriptum reperit ΔIONT. ΣIOT, sed quam Goltzii fraudem jam perstrinximus in numis hujus regis.

a) Lettre à Olivieri p. 13. et 27. b) l. c. p. 347. seq. c) l. c. p. 419. d) B. I. Tom. XXIV. p. 52. e) Suppl. IV. p. 119. f) l. c. p. 418.

Digitized by Google

* * *

Caput mulicbre adversum passis crinibus, in alio: *Caput adversum imberbe ejecta lingua.*

Epigraphe Punica quatuor literarum. Pagurus. In alio: *Palma.* AR. III. (Pellerin Suppl. IV. p. 98.)

Quatuor has literas Pellerinius interpretatur משרא *Massara*, quo nomine putat intelligendam urbem, quam Graeci, Latinique dixerunt *Mazara*, prope Lilybaeum sitam. At Barthelemyus legens ממרא eos tribuit Madaurae Africae [a]).

* * *

Caput virile laureatum, forte Herculis Tyrii.

℞ *Elephas.* AR. II. (Mus. Caes. Pellerin Rec. III. tab. 88. n. 7.)

Palma arbor.

Eadem litera. Pegasus volans. AE. III. (Pellerin Suppl. I. p. 15.)

Similes numos Pellerinius Carthagini tribuendos censet imperante istud hac litera, quam esse *Koph*, et adeo ἀρχαιοσαν hujus urbis putat. Barthelemyus illam *Aleph* novae formae statuit.

* * *

Ampla adhuc syllege confici posset numorum Siculo-phoeniciorum, in quorum aversa, pleramque juxta equum stantem, conspiciuntur literae solitariae Punicae, quarum significatio hactenus prorsus est incognita. Multis patriam adsignavit Swintonus his mysteriis probe initiatus [b]), sed quorum vim, et potentiam nos profani non adsequimur. Sane in ea dissertatione inscriptas numis voces Punicas adeo suae securus artis interpretatur, ut nihil amplius ad confidentiam deesset, quam ut de se profiteretur, quod Plautinus Milphio [c]): *nullus me est hodie Poenus Punior.* Promisit etiam vir acris ingenii Bayerius in postremis tractatus sui verbis, sese his quoque tenebris lucem adfusurum, si superi tempus dederint, addo etiam, opem, nam quam hactenus humanam ex cognitis subsidiis praesto habemus, parum reor praeclaris ejus conatibus profuturam. Praestabit differre spes, donec favente fortuna detegatur ara, quam in templo Iunonis Laciniae condidit dedicavitque Hannibal cum ingente rerum ab se gestarum titulo Punicis, Graecisque literis insculpto [d]).

Numi Cossurae.

Cossura insula, hodie *Pantellaria*, Siciliae ad meridiem subjecta, numos quoque Punice inscriptos offert hoc modo:

Caput muliebre radiatum peregrino cultu, cui in compluribus advolans Victoria coronam offert.

Quinque literae Punicae intra lauream. AE. I. II.

Hos numos pertinere Cossuram, invicte comprobant numi cetera simillimi inscripti COSSVRA, de quibus egimus in ejus insulae moneta. Sed et literae ipsae ex eruditorum sententia judicium istud juvant; nam satis, ajunt, appa-

a) Lettre à Olivieri p. 45. b) Phil. trans. Vol. LIV. p. 393. c) in Poenul. act. V. sc. 2. v. 31. d) Livius L. XXVIII. c. 46.

Digitized by Google

ret, ex quinque his elementis primum esse ק, alterum ש, tertium ר, quintum ם. Quartum princeps Turris Muciae censet esse נ, sic ut tota vox legatur *Cosurchim* a). Variationem harum literarum vide in ejus principis laudato Auctario V., ejusque Sicilia numismatica, apud Pellerinium b), in D'orville Siculis tab. XV., in Memoriis B. L. Tom. IX. p. 157. In numo singulari principis T. M. juxta caput anticae legitur Graece KOΣΣV. manente inscriptione Punica in aversa. Bayerius de iisdem his numis agens, in quae omnia abeat conjecturis plena, et incredibilia, apud ipsum lege c).

Numi Gaulo tributi.

Gaulos, hodie *Gozzo*, insula Melitae adjacens. Numos certos habet Graece inscriptos ΓΑΤΛΙΤΩΝ, de quibus egimus suo loco. Sed et alii inscripti Punice huic tribui solent.

Caput muliebre velatum.

Tres literae Punicae. Tres figurae stantes ad cultum Aegyptium compositae. In aliis: *Caput arietis, vel tripus, vel pagurus.* AE. I. II.

Caput nudum barbatum, prae quo caduceus.

Eaedem tres literae. Aliquid instar tintinnabuli, vel pilei intra coronam. AE. II.

Numos hos neglexit princeps Turris Muciae. Videri possunt in Saggi di Cortona Tom. I. p. 35. Pellerin Rec. III. p. 85. Mem. B. L. Tom. IX. p. 157.

Plerique illos antiquarii tribuerunt Melitae, sed diversa plerumque literarum explicatione. Eruditus Boze d) primam literam definit K, sequentes binas R R, et admisso, Melitam Phoeniciis dictam probabiliter fuisse *calvam*, quod eo primum appulsi desertam reperere, facile urbis nomen ducit ab Hebraico קרח *calvus*. Planissime ex Bocharti ingenio. Rejecta hac sententia Fourmontius eodem loco aliam infert statuendo elementum primum מ, reliquas duas ל, quibus sociatis מלל verisimiliter putat posse se conficere, nomen Graeco *Melita* respondens. Ridolphinus Venuti eandem quidem his literis potentiam tribuit, quam Bozius, sed nomen derivat ab Hebraico קרר *frigidus*, et fuisse Melitam a Phoeniciis dictam *frigidam* conjicit, cur istud, mecum ipse ignorat e). Dutensius has literas legit, קנן sed de horum patria numorum nihil audet statuere f), ut neque Bayerius, cui legendum אלל visum g).

Repudiatis aliorum conjecturis alia maluit via incedere Maffeius h), hosque numos vindicandos Gaulo contendit, atque is primam literam definit esse א, alteram ן, tertiam ל, ex quo demum *Aul*, et huic adfine *Gaul* extorquet. Pellerinius, qui abreptus torrente eos olim Melitenses dixit i), serius in Supplemento I. p. 26., et in opere, cui titulus *Lettres* k), secus sensit adserendo, literam primam esse ק Punicam, ut adeo esset קלל, quae vox per ipsas radicales multum haberet cum *Gaulo* adfinitatis.

a) Aggiunta V. p. 17. b) Rec. T. III. p. 59. c) de la lengua de los Fenic. p. 360. d) Mem. l. c. e) Saggi di Cort. l. c. f) Explic. de quelq. méd. p. 58. g) Lengua de dos Fenic. p. 349. h) Osserv. lett. T. V. p. 288. i) Rec. III. p. 85. k) pag. 33. in nota.

Digitized by Google

Swintonus, et ipse Gaulo amicus, legendum censet CAVLIN a). Ex quo videmus, eruditorum sententias in explicanda hac voce tam parum, quam in plerisque aliis linguae Phoeniciae vocabulis coivisse.

Numus Phoenicius Bruttiis tributus.

Iuvat hoc loco commemorare ejusdem naturae numum, quem Pellerinius vicinis Bruttiis largitus est. Eum sic describit vir eruditus b):

Caput Herculis juvenis leonis exuviis tectum. ⅃9Ɔ9 *Pagurus.* AE. III.

Praeeunte Pellerinio numum similem alium musei sui edidit Neumannus noster, et huc revocavit c), sed in quo litera postrema nonnihil variat.

Similem alium idem Neumannus serius edidit, sed in quo duae tantum exstant literae, nempe ⅄9 d) qui numus idem reperitur quoque in iconibus Arigonii, sed inverso utriusque literae ordine. Haec de similium natura numorum.

Pellerinius Phoenicias numi sui literas legit *Birth*, adseritque, hoc vocabulo notari populum, qui Graecis *Brettii*, Latinis *Brutates*, *Brentii*, *Brittii*, *Bruttii* vocati sunt, ex quo suspicatur, Bruttios origine esse potuisse Phoenices, numum vero esse Bruttium propter typum paguri, et fabricam non dubitat. Quae vir eruditus de Phoenicia Bruttiorum origine conjecturae tantum modo proponit, ea indubitata facit Mazzochius e), neque desunt auctori argumenta moris sui: *Brettia* Stephano et regio, et *pix* dicitur; *Berosh* et *Berot* Hebraeis dicitur arborum resinosarum universum genus, ex *Berot* fluxit *Brettia*, et quod sequitur, regio haec nomen suum Orienti debet.

Aliam appellationis causam adstruunt auctores veteres. Stephanus vocatam regionem a Bretto Herculis F. statuit. Istud Mazzochius inter *mera Graecorum, urbibus singulis heroas cognomines de suo adsignantium delirla* reponit f). Iusta censura. Verum an non et Mazzochii sententia inter mera nonnullorum urbibus singulis originem orientalem de suo adsignantium deliria reponenda est? At majorum gentium auctores veteres audiamus. Strabo genti huic a Lucanis nomen datum ait, qui vocabulo *Bruttiorum* desertores notare solent g). Eandem vocis originem perhibet etiam Diodorus h), qui addit, ab indigenarum sermone illis hoc vocabulum inditum. Vtrique etiam egregie in tempore convenit, dum hanc Bruttiorum perfidiam in aetatem Dionysii II. Syracusani, qui exeunte rei Romanae saeculo IV. et ineunte V. regnavit, contigisse scribunt. In tempore inditi nominis consentit quidem etiam Iustinus, verum novae appellationis occasionem ait fuisse mulierem, cui *Bruttiae* nomen fuit i). Per hos ergo auctores certum est, nomen *Bruttiorum*, quo gens haec compellabatur, fuisse recens, et ante haec Dionysii tempora penitus ignotum, tractum ex indigenarum lingua. Qua igi-

a) Philos. trans. Vol. LX. p. 91. b) Suppl. III. p. 91. c) Num. pop. Part. I. p. 27.
d) Num. pop. Part. II. p. 117. e) Tab. Heracl. p. 546. f) l. c. g) L. VI. p. m. 392.
h) L. XVI. c. 15. i) L. XXIII. c. 1.

Digitized by Google

tur veri specie Bruttios cum Pellerinio Phoenicum colonos statuemus, aut eorum nomen cum Mazzochio ex lingua Phoenicia derivabimus? Abstineo argumentis aliis, quoniam inutile videtur, sententiam nulla fultam veterum auctoritate longius refutare. Sed neque mihi cum Pellerinio convenit fabricam in similibus numis Bruttiam agnoscente. Sane de binis, quos vidi ipse, testari possum, me spectata fabrica nihil in iis Bruttii ingenii videre, quin quidvis potius extraneum. Quid quod incredibile quoque videatur, gentis, quae sese Phoeniciam canore adeo per epigraphen profiteretur, originem ita penitus ab historicis reticeri, ut ejus ne minimum quidem aut in his, aut ullo alio monumento vestigium appareat. Extremum quod moneam, est, in aliis id genus numis, ut vidimus, aliam esse epigraphen, ex qua sane vox *Birth* elici non potest. Ex quo apparet, quoniam epigraphe in iis variat, aliud illa contineri, quam nomen urbis, vel populi.

IV.

NVMI NVMIDO-PHOENICII.

Scripturam peregrinam in certis Numidiae numis, quales sunt utriusque Iubae regis, occurrentem viri eruditi ex natura linguae Phoeniciae amant explicare. Non lubet inquirere in hujus liduciam instituti. Istud certum, Numidicae huic scripturae parum cum literis pure Phoeniciis convenire. Quanquam dubitari vix possit, a Poenis vicinis literarum usum ad ipsos etiam Numidas fluxisse, sed eas longo inter barbaros usu sic depravatas, ut denique vix aliquid sui retinerent. Ipsos hos Numidas, et generatim omnes Poenis vicinos esse puto illos, quos Livius appellat *Libyphoenices*, *mixtum Punicum Afris genus* [a]), quo modo et Polybius inter Afros puros, (Λιβυας) et Afrophoenices (Λιβυφοινικας) distinguit [b]). Nimirum quod, ut ait Diodorus [c]), Poeni cum Afris per matrimonia necessitudinem contraxerant. Vnde factum puto, ut Boccho Mauretaniae regi fidem Punicam exprobraret Sallustius [d]). Ex his apparet, quanto magis periculosus, atque intutus sit labor, quem explicandis numis has literas praeferentibus impendimus. Fuere tamen, quos parum absterruit ignis doloso cineri suppositus. Evaserintne incolumes nullo notati stigmate, arbitretur, qui eorum commentarios pervolverit. En tibi pauca ex his exempla; nam si quo alio, hoc sane loco taedet esse prolixum.

* * *

Leptis magna, sita in Tripolitana inter duas syrtes. Revera eam Sallustius a Sidoniis conditam dixit, et ejus legum cultusque pleraque esse Sidonia, at linguam modo conversam connubio Numidarum.

Pellerinius numos quinque partim autonomos, partim Octaviani, Octaviae, et M. Antonii capite insignes edidit, et in literis quatuor peregrinis nomen *Lebeditz* contineri conjecit, eosque adeo huic Lepti tribuendos [e]). Firma-

a) L. XXI. 22. b) Hist. III. 33. c) L. XX. 55. d) Bel. Iug. p. m. 153. e) Rec. III. p. 146.

Digitized by Google

vit conjecturam numus cum eadem epigraphe alter sibi serius ex agro Tripolitano, in quo haec Leptis stetit, missus [a]). Molestam iterum cramben magno legentium taedio recoquit [b]), ut Leptin suam adversus Barthelemyum tueretur, qui hos numos urbi illi ademptos regi Boccho infirma sane conjectura ausus est vindicare [c]). Addo, visum Swintono, eas literas significare ΛΑΠΗΘΟΣ, et quod sequitur, eos numos Cypro deberi. Adeo mirabiliter magistri in ea ipsa arte, quam sibi arrogant, dissentiunt.

* * *

Ad hanc classem pertinebunt etiam judice Dutensio numus *Vagae* Numidiae [d]), *Masinissae* [e]), *Tabracae* Numidiae [f]), cujus urbis nomen in similibus jam legit Pellerinius [g]). Judice Barthelemyo *Boochi* regis, judice Pellerinio *Susae* Tunetanae [h]), *Iol*, quae et Caesarea Mauretaniae, judice Pellerinio [i]).

Satis visum, arbitraria haec judicia solum citasse, ut eorum valorem explorare cupidus quisque possit. Iuvabit hujus disciplinae avidos apud Pellerinium Rec. III. tabula CXX. id genus divitiis referta.

V.

NVMI HISPANO-PHOENICII.

Inter scripturas varias, quibus Hispaniae numi notantur, Phoenicia quoque occurrit. Necesse non est, rem in vulgus notissimam longius commemorare, scilicet colonias a Phoeniciis in litora maris mediterranei, quae deinde pars Baeticae fuere, et ad ipsum usque Oceanum deductas, quarum nobilissima fuere Gades. Ergo una cum coloniis invecta lingua Phoenicia, et numis ipsis illata, quae auctores prodidere, praeclare stabilit. Numos hoc charactere insignes cum explicare negligeret Henricus Florezius illustris monetae veteris Hispanicae interpres, solis scilicet Graecis Romanisque patriae suae numis enucleandis intentus, eas partes in se suscepit Bayerius in opere saepius laudato inde a pag. 368. De opere Ludovici Velasquez, qui Bayerium in eodem tentamine praevit, vide, quae in prolegomenis ad numos Hispaniae notavi. En tibi urbes charactere Phoenicio in numis suis usas.

Abdera.

Ejus numos sex obtulit Bayerius, in quorum aversa aut pisces sunt, aut templum; juxta scriptura Phoenicia quinque literarum hac forma 19990 vel 15550, quae numerorum Arabicorum speciem omnino referunt, sed eas legendas עבדרת ex certis causis conjecit Bayerius, I. quod in nonnullis Phoenicio huic nomini etiam Latinum ABDEBA adstituitur. II. quod constat, literas Phoenicias ב, ד, ר saepe vix differre. Numum similem Florezius pecuniae Gaditanae inique inseruit, et easdem literas laudatus mox Velas-

a) Mel. I. p. 141. b) Suppl. IV. p. 82. c) Lettre journ. sav. 1763. d) Explic. p. 67. et 132. e) pag. 124. f) pag. 137. g) Lettres p. 148. h) Additions p. 38. i) Rec. III. p. 151. Mel. I. p. 143.

Digitized by Google

quez interpretatus est *Hasdrubal*. Vsa est Abdera hac epigraphe adhuc in numis Tiberii.

Canaca.

Vrbs ad ostia Anae in Turdetanis sita, cujus meminit unus Ptolemaeus, et quam in geographia sua omisit Cellarius. Huc refert Bayerius numos, in quibus hinc est caput Herculis leonis exuviis tectum, inde piscis unus vel duo, et scriptura vel parcior, quam legit קנק id est: *Canaca*, qua in lectione ipsi cum Velasquio convenit, vel auctior, quatuor adhuc literis aliis praecedentibus, sed in quibus legendis uterque dissidet, quam litem melius dissimulavero. Florezius id genus numos exhibuit, quoque, sed cum Gaditanis miscuit, cum quibus utriusque partis typis plane conspirant, sed si epigraphen spectes, diversis.

Gades.

Noti Gaditani numi, in quorum antica caput Herculis, in aversa unus vel duo pisces addita inscriptione Phoenicia duorum versuum. In horum superiore variant literae, quarum sensum explicare tentarunt Velasquez, Bayerius, Dutensius, non ut reor, satis propitia fortuna. Certiorem sensum offert versus inferior constans literis quatuor quas Bayerius legit אנדר, in aliis: הנדר *Agadir*, vel *Hagadir* praefixo in utroque vel א vel ה. Testibus Festo Avieno, et Hesychio *Gadir* in Phoeniciorum lingua fuit *septum*, περιφραγματα.

* * *

Hispali Baeticae Phoenicios quoque numos tribuit Barthelemyus [a]), sed argumentis nullam veri speciem praeferentibus, quae jam etiam refutavit Bayerius [b]).

GALILAEA.

ACE.

Vide infra *Ptolemais*.

DIOCAESAREA.

Vide infra *Sepphoris*.

IVLIAS.

Numos fabricae Iudaicae, in quorum aversa IOVΛIÀ *intra coronam*, Pellerinius aliique conjecere ad hanc Iuliadem pertinere. At in simili, quem olim edidi [c]), scribitur IOVΛIA. CЄ., quae

a) Lettre à Oliv. p. 43. b) pag. 364. c) Num. vet. p. 288.

Digitized by Google

inscriptio docet, numos hos *Iuliae Augustae*, quae et Livia, tribuendos.

MAGEDDO.

Pellerinius tres literas Phoenicias, quae comparent in autonomo aeneo significare *Mag*, tanquam principium hujus urbis censuit [a]), sed quod valde incertum.

PTOLEMAIS, *olim* ACE.

Maritima, Phoeniciae quoque a variis tributa. In sacris literis vocatur עכו, *Aco*, Graeci *Acen* fecere et propter nominis adfinitatem fabulam pro more dedere, tanquam Hercules ab hydrae morsibus male adfectus a reperta apud hanc urbem herba esset salutem consecutus, unde ea, tanquam ab ἀκεομαι, *medeor*, dicta Ακη. Haec ex Stephano. Serius a Ptolemaeo appellata Ptolemais, et denique a Claudio deducta colonia, secundum quae Plinius: *colonia Claudii Caesaris Ptolemais, quae quondam Acc.* Vtroque nomine exstant autonomi.

Autonomi:

Nomine Aces.

Caput muliebre turritum. Ꝟ AKH. *Hercules nudus gradiens s. clavam, d. quid instar folii porrigens.* AE. III. (Pellerin.)

Dubium non videtur, hoc typo proponi Herculem, herbam praeferentem, quae salutem heroi restituit, ut dictum.

* * *

Alium autonomum huic urbi tribuit Khellius [b]), sed perperam, nam pro praetenso AKAIΩN legendum AKPAIΩN, estque Acrarum Siciliae.

* * *

In raris Alexandri M. numis aureis leguntur literae Phoeniciae ΝΟ, quas AK interpretatur Pellerinius, eosque adeo signatos apud hanc Acen conjicit [c]). De his egimus supra in tractatu de numis Phoenicie inscriptis pag. 408.

AE. RRRR.

Ptolemaidis nomine:

Caput Iovis. Ꝟ ΠΤΟΛЄΜΑΙЄ. ΙЄΡΑC. ΚΑΙ. ΑCΤΛΟΤ. *Fortuna stans.* AE. II. (Pellerin Suppl. II. p. 41.)

Caput Apollinis. Ꝟ ΠΤΟΛΕΜΑΙΕΩΝ. *Diota, juxta quam avis.* AE. II. (Pembrock.)

Gentile Ptolemaidis Stephano Πτολεμαιευς, quo et usum video Iosephum, recte secundum hos numos. Aliud fuit Πτολεμαϊδευς, si modo bene lectus numus sequens Claudii, quamquam et *Ptolemaidensis* legatur in numis coloniae.

AE. RRR.

De *Antiochenis apud Ptolemaidem*, qui memorantur in variis autonomis, actum est in numis Antiochiae Syriae pag. 305.

Imperatorius

Vnicus, isque Claudii, citatur a Vaillantio ex museo Foucault: ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΕΩΝ. Θ. *Fortuna stans.* De insolentiore hoc gentili mox egimus. Putat Vaillantius, solitarium Θ indicare annum

a) Suppl. IV. p. I. b) ad Haym. T. II. p. 102. c) Mel. I. p. 146.

Digitized by Google

imperantis Claudii; sed videtur ea litera aliud indicare, ut mox dicetur.

AE. RRRR.

Colonia deducta fuit a Claudio, quod docuit Plinius supra citatus, et numi, qui eam *Claudiam* vocant, et ejus etiam mortui caput ostentant. Quo anno deducta sit, non constat. In numo Claudii apud Pellerinium a) additur COS. IIII. IMP. XIII. His titulis Claudius usus est anno V. C. 800. Ergo hoc anno Ptolemais colonia jam fuit, qui cum fuerit annus VII. imperantis Claudii, dubitari potest, utrum Θ numi Graeci mox citati annum imperii notet; nam Ptolemais, posteaquam colonos recepit, vix alios amplius praeterquam coloniae nomine numos signaverit.

Exstant Ptolemaidis coloniae numi a Claudio usque ad Saloninam.

Epigraphe: COL. PTOL., etiam COLONIA. PTOLEMAIS. in numis Caracallae et Alexandri, (Vaill.) et COLONIA. PTOLEMAIDENS. in numo Valeriani. (Vaill.) *Claudiam* se dicit in aliquot numis Claudii et Neronis: COL. CLAV. PTOL. (Pellerin Rec. II. p. XI. Arigoni.) et in numo Claudii apud Pellerinium (l. c.) vocatur COL. C. C. S. PTOL., erudito auctore literas C. S. explicante *Civibus Servatis*, quod sane violentum.

DIVOS. CLAVD. vel CLAVDS. non tantum scribitur in aversa numorum Neronis, sed etiam in aversa numi Claudii, qui tum, cum numus signatus est, in vivis adhuc fuit, quod arguit laureatum caput, et additum COS. IIII. IMP. XIII. (Pellerin l. c.) Ex quo apparet, extra urbem etiam vivis imperatoribus *dei* titulum delatum, quanquam dici etiam possit, Ptolemaidenses divinos honores, qui conditoribus tribui consuevere, maturasse.

Typi:

Colonus arans, pone signa militaria IV. (non V., ut enunciat Vaillantius) in numis obviis.

Alii duo, sed vexillis praeterea inscriptum: VI. IX. X. XI. in numis Claudii et Neronis. (Pellerin Rec. II. p. XI.)

Hic typus docet, colonos Ptolemaidis ex militibus emeritis constitisse. Ex quibus hi legionibus capti fuerint, docent numi posteriores.

Mulier insidens rupi emergenti subtus fluvio, Trajani. (Mus. Caes.)

Fluvius Ptolemaidi vicinus fuit secundum Plinium *Belus vitri fertiles arenas* volvens. Iosepho idem dicitur *Belus* b).

Diana in templo distylo numi oram ambiente zodiaco, Elagabali, Valeriani. (Vaill.)

Fortuna stans, etiam intra templum, in numis obviis.

Protome barbata cornibus e fronte turgentibus, ante eam cornucopiae, Severi.

Vaillantius Nili imaginem putat, sed vix probat, quamvis varia argumenta Aegyptia numis intulerunt Ptolemaidenses, ut: *Caput Serapidis, Harpocratem.* (Mus. Caes.) Hos typos suaserit vicinia Aegypti, et Ptolemaeus urbis alter conditor.

Pes humanus praefixo superne annulo, in area fulmen et cuduceus, Seleninae. (Pellerin Additions p. 36.)

a) Rec. II. p. XI. b) Bell. Iud. L. II. c. 17.

Digitized by Google

Annulus praefixus dubitare non sinit, esse pedem votivum annulo suspendi solitum. Solutionem non tento. Similis typus est in numo Aegarum Ciliciae Alexandri Severi. (Vaill.)

* * *

Epocha in numo unico, eoque Elagabali, Vaillantius reperit annum ΗΞC, cujus principium fixit ad autumnum V. C. 705. Credam potius, ducendum annum ab autumno 706, et Ptolemaidensibus eandem fuisse statuendae novae aerae causam, quae fuit Laodicensibus Syriae. Nimirum I. Caesar V. C. 707 ex Aegypto in Pharnacem profectus praestantioribus urbibus beneficia impertivit, ut diximus in eadem Laodicea.

AE. vix R.

SEPPHORIS *serius* DIOCAESAREA.

Validissima Galilaeae urbs teste Iosepho, mediterranea. Dictam serius *Diocaesaream*, ipsa veterum testimonia comprobant, quae pete e Cellario. A quo imperatore nomen hoc tulerit, non elicimus. Vtroque nomine exstant imperatorii.

Nomine Sepphoris.

Imperatorii:

Cogniti tantum cum capite Trajani. Quem Vaillantius cum capite Domitiani citat, esse ejusdem Trajani, vidit Pellerinius [a]). Idem vir eruditus primus observavit, in horum numorum antica scribi: ΤΡΑΙΑΝΟΣ. ΑΤΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΕΔΩΚΕΝ. [b]) quo haud dubie beneficia aliqua a Trajano impetrata indicantur.

Epigraphe constans et sola ΣΕΠΦΩΡΗΝΩΝ.

Typi: *Palma — Caduceus — Vrbis nomen scriptum intra lauream — Duae spicae.*

AE. RR.

Nomine Diocaesareae.

Imperatorii

Antonini, Commodi, Caracallae.

ΔΙΟΚΑΙCΑΡCΙΑC. ΑΤΤΟΝ. *Templum 4 col., in quo Pallas stans*, Antonini.

Vaillantius hunc numum Diocaesareae Cappadociae tribuit, sed jure huc revocavit Pellerinius [c]).

ΔΙΟΚΑΙ. ΙCΡΑ. ΑCΤ. ΑΤΤΟ. *Typus similis*, Antonini. (Mus. Caes.)

ΔΙΟΚΑΙ. ΙCΡ. ΑCΤΑ. ΑΤΤΟ. *Mulier stans in templo 4. col. d. hastam, s. cornucopiae*, Antonini. (le Blond p. 21.)

ΔΙΟΚΑΙCΑΡCΙΑC. *Templum 4. col., in quo Pallas stans*, Commodi.

Vaillantius hunc numum largitur Diocaesareae Phrygiae, sed satis patet contentis numis praecedentibus, eum huic nostrae vindicandum. Diocaesaream Phrygiae non habere certam monetam, quam sibi tuto arroget, in hac monui.

Singularis est numus Caracallae quem edidit Blondius, (l. c.) in cujus aversa aliud nihil praeter epigraphen laureae inclusam habetur, et sic exaratam:

---

a) Mel. II. p. 48. b) Rec. III. p. 238. c) Mel. II. p. 85. et 269.

Digitized by Google

ΔΙCΚΙ
ЄΡΑCΤΑ
ΑΤΤΓΙΦЄ
ΙЄΡΒCΚΑ
ΔΡ

Interpretis honorem, qui aenigma istud evolvat, libenter aliis permittit Blondius, neque ego istud laudis adfecto. Videntur permixtae notae arithmeticae, quod suspicari faciunt literae BC. Fueritne Pellerinius, qui nodum hunc serius tentavit, in eo solvendo satis felix, ego cum eruditis omnibus, ut opinor, magnopere dubitem.

* * *

Epocham in hoc ipso numo, atque in literis ΔP videt Blondius, putatque duci ab anno V. C. 858 exemplo urbium Arabiae Petraeae. Vt etiam demus, literas has indicare epochae annum, ejus principium certe in aliquot adhuc annos differendum; nam in sententia Blondii numus praesens flatus fuisset V. C. 961, quo vigesimum circiter annum egit Caracalla, cui aetati an competat tam liberalis barba, qualis in iconismo eidem tribuitur, dubitari queat.

AE. RR.

Mirabilem numum Frölichius ex Panelii catalogo le Bret recitat: ΣЄΛЄΤΚΟΣ. NЄIK. *Caput Seleuci I. diadematum.* ℞ ΔΙΟΚΑΙΣΑΡЄΩΝ. *Templum 6 column.* Ex Diocaesareae nomine conjicit vir eruditus, numum aliquot serius saeculis signatum, atque in ejus quidem regis memoriam [a]). Nolo meum de insolente hoc cimelio judicium proferre, quod vereor, ut adcurate descriptum sit.

TIBERIAS.

Ad Lacum cognominem, qui et Gennezareth dicitur, aedificata ab Herode Antipa tetrarcha, et in Tiberii gratiam sic vocata.

Herodis conditoris nomine reperti numi et inscripti: TIBЄPIAC, de quibus agetur in numis hujus tetrarchae. Alium TIBЄPIЄΩN cum capite Claudii, et nomine Agrippae I., vide in moneta hujus regis.

Imperatorii

Certi sunt Tiberii, Trajani, Hadriani.

Epigraphe: TIBЄPIAC in numo Tiberii, (Vaill.) deinceps: ΚΛΑΤΔΤΙΒЄΡ. ΚΛΑΤΔΙΟΤΙΒЄΡΙЄΩΝ. a Claudio, ut dicetur. TIBЄPIЄΩN. TΩN. ΚΛΑΤΔΙЄΩN. in numo Trajani. (Panel Mem. Trev. Octob. 1737.)

Typi:

Mulier insidens rupi, ex qua aqua profluit, serpentem ex patera pascit, Trajani. (Mus. Caes. Noris.)

Notat typus aquas calidas, quibus salubris exstitit Tiberias teste Plinio, unde et vetus urbi nomen *Ammaus*, quod Graece Θερμα, *aquae calidae*, reddas teste Iosepho [b]).

Mulier d. pede prorae navis insistens d. caput humanum, s. hastam, Trajani, Hadriani. (Noris, Vaill.)

Est haec Isis gerens d. caput Osiridis. Nam Isis ad investigandum Osiridis cadaver profecta illud apud Byblum Phoenices reperit teste Plutarcho [c]), et

a) Ann. Syr. p. 21. b) Bell. Iud L. IV. c. 1. §. 3. c) de Is. et Os.

Digitized by Google

quotannis caput ex papyro factum ex Aegypto Byblum per undas deferri tradit Lucianus ἀνταπτης. a). Idem typus est etiam in numis Caesareae Palaestinae, Neapolis Samariae, Scythopolis, Sebastes Samariae, Ael. Capitolinae.

Navis, *ancora*, Trajani et Hadriani, (Mus. Caes. Vaill.) apposite ad Tiberiadem lacui Gennezaret, vel, ut sacrae literae inquiunt, mari Tiberiadis adsitam.

* * *

Nomen a Claudio, cujus beneficio Agrippa rex teste Iosepho amplas ad regnum suum accessiones fecit, qui vicissim honorem imperatori rependit addito Tiberiadi Claudiae cognomento.

* * *

Epocha in plerisque notatur praefixo ET. vel L.

ЄT. AΠ. Trajani. (Noris, Mus. Caes.)

ЄT. q. ejusdem. (Pellerin Mel. II. p. 327.)

L. vel ЄT. AP. Hadriani. (Vaill. Mus. Caes.)

ЄT. ΓP. Ejusdem. (Vaill.)

Ejus principium Norisius ducendum putat ab anno, quo Tiberias ab Herode condita fuit. Istud factum refert Eusebius V. C. 780. Ab hoc anno si duceretur annus AΠ in numis Trajani, hi signati essent ab autumno V. C. 860. Sed observat Norisius, cum Trajanus in numis dicatur tantum *Germanicus*, et omittatur *Dacicus*, quo titulo is decoratus jam fuit anno V. C. 856, ejus principium altius petendum, et saltem removendum ad annum 775, quo facto emerget annus 855, in cujus autumno si coepit annus AΠ Tiberiadensium, potuit adhuc cudi hic numus sine Dacici encomio. Ex his ergo numis probatur, epocham Tiberiadis non potuisse incipere serius, quam ab autumno V. C. 775. At cum eidem Norisio oblatus fuerit numus Trajani cum anno AP, qui idem saepius occurrit in numis Hadriani, necesse duxit epochae initium figere ad annum V. C. 770, cui si addatur annus AP, exibit annus, qui fuit postremus Trajani, primus Hadriani, nempe 870. Erraverit ergo Eusebius natales Tiberiadis ad annum 780 figendo, cujus frequentiores lapsus jam alias comperti.

At vero totum hoc Norisii judicium nititur numo Patiniano Trajani cum praetenso anno AP, qui haud dubie perinde ac numi alii hoc anno praediti Hadriani est, ut non modo suspicatur ipse, sed et amplior suspicandi causa est, quia hactenus Trajani numum cum hoc anno in nullo catalogo reperi. Hoc igitur Patini praeconium si negligatur, ut jure negligendum videtur, fluctuat vi citatorum numorum initium aerae Tiberiadis intra annos V. C. 770. et 775.

* * *

Annus imperii. KΛAT. TIBЄP. L. 5. *Ancora*, in numulo integerrimo Trajani cum titulis Γ. Δ. id est: *Germanicus Dacicus*. (Mus. Caes.) Enimvero Trajanus anno VI. imperii dictus est Dacicus. Ceterum in nullo alio Tiberiadis numo imperii annus notatur.

a) De dea Syr. sub init.

Digitized by Google

* * *

Non praetereundus numus dubie fidei: ΜΗΝ. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ --- *Deus Mensis stans cum pileo Phrygio*, Antonini. (Vaill. ex museo regio.)

Mensis in hoc tractu typus est perquam rarus, neque putem praeter vicinas Gabas Trachonitidis et Esbum Arabiae alibi reperiri. Cumque praeterea neque epochae annus addatur, neque praenomen ΚΛΑΤΔ., ad haec fatente ipso Vaillantio numi epigraphe vitium fecerit, justa suspicio, legendum potius ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ, numumque esse Tiberiopolis Phrygiae. Eaedem causae jam etiam Ioberto, et Bimardo scrupulum injecere [a]).

AE. RR.

SAMARITIS.

CAESAREA.

Dicta Caesarea Palaestinae, ad mare sita, olim *turris Stratonis*, sed Herodes M. urbem vetustate fatiscentem magnifice restauravit indito in honorem Augusti *Caesareae* nomine, et addito portu, quem Σεβαστον dixit, ut infra docebitur. Hanc ut Palaestinae urbium maximam et nobilissimam prolixe laudat Apollonius Tyanensis epistola XI. Reliqua, quae ad urbis historiam pertinent, erudite congessit Belleyus [b]).

Imperatorii

Saltem certi non exstant nisi Neronis. Eccos:

ΝΕΡΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. *Caput laur.* ℞ ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΛΙΜΕΝΙ. *Mulier capite turrito, et habitu succincto stans d. pede prorae navis insistens, et d. caput humanum, s. hastam tenens, in area* L. ΙΔ. AE. II.

Hanc epigraphen Belleyus contentis numis compluribus musei regii et Pelleriniani feliciter denique complevit, tam acriter olim inter Norisium, Vaillantium, Harduinum disceptatam, cujus ipse pertinacis litigii historiam totam ab ortu suo eleganter ac nitide persequitur [c]). Cum eruditorum IIIvirorum variae sententiae omnes in falsa horum numorum lectione nitantur, nolo iis recensendis immorari, quas qui nosse cupiet, poterit ex fonte indicato petere. Stabilita hac lectione superest, ut comprobetur, numos sic inscriptos ad hanc Caesaream pertinere. Narrat Belleyus Iosephum secutus [d]), Herodem M.

a) Sc. des méd. P. II. p. 261. b) B. L. T. XXVI. p. 440. c) l. c. d) Bell. Iud. L. I. c. 21.

Digitized by Google

hoc loco portum Piraeeo Atheniensium capaciorem molitum, atque immensis substructionibus perfectum denique, et regiis ornamentis condecoratum Σεβαστον appellasse. Hanc sententiam egregie confirmant verba Iosephi narrantis fatum Antipatri Roma reducis: προσσχε τῳ ΣΕΒΑΣΤΩΙ ΛΙΜΕΝΙ λεγομενῳ, ὁν κατασκευασας Ηρωδης πολλων χρηματων ἐπι τιμῃ τῃ Καισαρος καλει ΣΕΒΑΣΤΟΝ, *appulit ad PORTVM dictum AVGVSTVM, quem Herodes magnis sumptibus exstructum in honorem Caesaris vocavit AVGVSTVM* a). Alibi idem factum referens his verbis utitur: και διαπερασας εις τον ΣΕΒΑΣΤΟΝ τον ΛΙΜΕΝΑ της ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ καταγεται, *et trajecto mari in AVGVSTVM PORTVM CAESAREAE defertur* b). Ex binis his locis habemus et Caesaream, et adstitutum Portum Augustum, qui praeterea in his numis memoratur, ut urbs ab aliis urbibus nomine Caesareae decoratis distingueretur. Diximus supra in Caesarea Paniade pag. 341, nostram hanc Caesaream urbem vix unquam certa fide dici *Augustam*. Vnus Philo eam vocat την ἐπι θαλαττῃ Καισαρειαν ἐπωνυμον του προπατορος Σεβαστην c).

Mulier partis aversae d. caput humanum gestans secundum ea, quae supra ad Tiberiadem notavi, videri possit Isis Osiridis caput praeferens. Sed suspensum me reddit testimonium Belleyi affirmantis, caput illud in numo Pelleriniano esse laureatum Neronis d), quod quidem vix credibile cuiquam videbitur. Additum L. IΔ. indicat annum XIV. imperantis Neronis.

AE. vix rari, sed in plerisque epigraphe a temporis injuriis male habita.

* * *

Peragendum etiam judicium complurium numorum, quos auctores varii, sed ut videtur, inique, huc vocavere, et quidem numos

Augusti cum nomine Veidii Pollionis judice Vaillantio hujus Caesareae, esse Caesareae Bithyniae, in hac evicimus.

Lucii Caesaris numos a Vaillantio et Pellerinio huic Caesareae tributos nihil offerre, quo minus alteri Caesareae, ac praecipue Bithyniae tribui possent, in hujus quoque moneta diximus.

Messalinae et *Britannici* numus a Vaillantio citatus verius quoque videtur Caesareae Bithyniae restituendus.

Claudii et *Neronis* numi, in quibus anni imperii notantur, sunt verisimilius Caesareae Cappadociae, etsi montem Argaeum non praeferant. Haec annos imperii sedulo notavit. Sunt apud Vaillantium.

Neronis alterum apud eundem: ΚΑΙΣΑΡΕΩΝ typo equi gradientis esse Cymes Aeolidis, in hac comprobavi.

In aliis *ejusdem*, typi: Fasciculus 4 aristarum, vel Pallas telum vibrans praesenti Caesareae non favent, etsi non adversentur. Sunt hi potius Caesareae Bithyniae.

Alium *ejusdem*, typo figurae velatae sedentis esse Caesareae Anazarbi Ciliciae, in hac probavi.

a) Ant. L. XVII. c. 5. b) Bell. L. I. c. 31. §. 3. c) de Legat. ad Cai. p. 590. d) l. c. p. 453.

Digitized by Google

Regii:

Numum, in cujus antica est caput Caligulae, in aversa: ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΑΣΤΛΟΤ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΒΑΣΙΛΕΤ., Vaillantius in hac Caesarea cusum sanxit [a]). At probabimus in numis Agrippae I., eum signatum Caesareae Paniados.

Certior alius, in cujus aversa Belleyus legendum docet: ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΣΕΒΑΣ. ΛΙΜΕΝΙ [b]). De numo ipso agemus in moneta Agrippae I. Iudaeae regis.

* * *

Colonia deducta a Vespasiano. Plinius: *Stratonis turris, eadem Caesarea, ab Herode rege condita, nunc Colonia Prima Flavia a Vespasiano imp. deducta.* Et Paulus [c]): *Divus Vespasianus Caesarienses colonos fecit.*

Numi porriguntur a Domitiano usque ad Valerianum, nam Titi numus, quem citat Vaillantius, alio pertinet, ut dicetur.

Epigraphe multum variat:

C. AVG. CAESAR. Trajani. (Pellerin.)

COL. PRIMA. FL. AVG. CAESAR. CAESARIA. CAESAREN. CAESAREN-SIS. Pro PRIMA scribitur etiam P. tantum, at potissimum PR. Pro FL. etiam F. tantum. Haec epigraphe paucis nonnunquam mutatis in plerisque obtinet.

C. I. F. A. C. Hadriani, (Pellerin Suppl. II. p. 47.)

C. I. F. AVG. CAESAR. Hadriani. (Mus. Caes.)

COL. P. FL. AVG. CAESAREN. Hadriani. (Theup.)

Ex his satis apparet, literas I. F. legi debere PRIMA. FLAVIA. Variant in his numis I. et P.

COL. PR. FL. AVG. FE. CAESAR. Severi. (Pellerin.) Literae FE. explendae FE*lix*, quod sub hoc imperatore primum comparet. In numo Diadumeniani musei Caesarei plenius scribitur FEL.

COL. PR. F. AVG. F. C. CAES. Literae F. C. sub Alexandro primum comparent. F. secundo positum legendum F*elix*, dubium non est, at incertum hactenus, quis explicatus literae C. dandus. Ea in aliquibus reipsa ꝛu G. speciem praefert. Quare Harduinus contendit, Caesaream hanc dictam fuisse *Germaniciam*, quo factum, ut is numos omnes ab aliis antiquariis Caesareae Germanicae Commagenes jure tributos huic iniqne ademptos Caesaream Palaestinae revocaret. Ex epistola Pellerinii ad Rhellium nostrum data video, eruditum hunc Gallum aliquando tenuiter suspicatum, ꝛo C. fors legi posse *Clarissima*. Ceterum video, hoc elementum in pluribus coloniarum numis significare *Concordia*.

Serius omnibus his titulis addi coeptum METR. item MET. P. S. P. de quo infra.

Omnes hos varios titulos collegit numus Treboniani, (Pellerin Suppl. II. p. 46.) scilicet:

COL. P. F. AVG. F. C. CAES. MET. PR. S. PAL.

---

a) Numi Graeci sub Calig. b) l. c. p. 450. c) de Censib.

Digitized by Google

Pellerinius numum Antonini propter epigraphen C. A. C., quam legit *Colonia Augusta Caesarea*, eidem nostrae Caesareae largitur. Eodem modo inscriptos Antonini numos binos dedit Vaillantius, sed legit *Colonia Aelia Capitolina*, reprehensus propterea a Pellerinio [a]), sed inique, ut dicetur in numis Aeliae Capitolinae.

Numos inscriptos: COL. CAES. LIB. ΦΛΑ. huic Caesareae a variis viris summis tributos, quos inter est unus cum praetenso Titi capite, esse Caesareae Phoeniciae ad Libanum, in hujus numis dictum.

Typi:

Mulier turrita habitu succincto stans d. caput humanum, s. hastam, pede super flumine emergente posito, Hadriani, Faustinae jun. Domnae, (Vaill.) Treboniani. (Pellerin.)

Non multum absimilem typum vidimus in numis Tiberiadis, et in numo hujus Caesareae Neronis Graeco, quem paullo supra produximus. Ad Tiberiadem notavimus ex Luciano, esse Isidem gerentem caput Osiridis. At Vaillantius citato eodem Luciani loco putat esse Astarten, adstitutum vero fluvium esse Adonin, qui apud Byblum fluxit, Veneri Astarte percharum, et Byblii religione sacrum, quod tanto magis verisimile ait, quoniam propter Caesaream nullum flumen memoratur, hujus vero Astartes cum omnibus his causis cultum Byblo Caesaream propagatum. Selige, quod praeplacet.

Mulier stans in templo d. hastam, cui Victoriola columellae insistens coronam offert, Caracallae. (Vaill. Colon. p. 50.)

Est haec certior Astarte hoc cultu in hujus tractus numis obvia.

Figura nuda capite radiato d. elata, s. hastam decumbit super leone gradiente, Volusiani. (Vaill.)

Argumentum incertum. In numo Hadriani apud Pellerinium [b]) est solus leo gradiens.

Apollo nudus stans d. arcum, s. tripode nixus, non infrequens typus in numis Trajani, et Antonini.

Caput Serapidis, typus maxime obvius.

Aquila expansis alis, supra quam velut in corona scriptum S. P. Q. R. Typus frequens inde a Caracalla.

Tituli:

PRIMA. vel, ut in aliis, I. Minus certa hujus appellationis ratio. Harduinus eam sic vocatam ait, quia ibi erant milites legionis I. Aliam serius attulit, quoniam, inquit, prima fuit, quae praenomen Flaviae adoptavit. Vaillantius hoc titulo usam censet, quia fuit metropolis Palaestinae. Pellerinius, qui varias horum sententias recenset, existimat, dictam primam, quoniam ante Caesaream Libani colonia deducta fuit [c]). Haec sententia omnium minime admittenda, nam haec Samaritidis Caesarea Primae titulum monetae jam inscripsit, antequam sciret, exstituram aliquando coloniam secundam hoc nomine; Caesaream autem Libani certum est ex numis, saltem

a) Suppl. II. p. 46. b) l. c. p. 47. c) Mel. I. p. 33.

Digitized by Google

Antoninorum aetate nondum fuisse coloniam.

Felix more aliarum coloniarum.

Metropolis. Hic honos primum legitur in numis Alexandri. Inde a Decioregionem etiam addit, sic: METR. P. S. P. vel liberalius: PR. S. PAL. *Provinciae Syriae Palaestinae.* Hanc etiam memorat Fl. Neapolis, de qua mox infra. Secundum haec recte Aurelius Victor (in Vespas.): *Coacta in provinciam Syria, cui Palaestinae nomen.* Fuere nimirum, qui Syriam in quinque partes divisere, Commagenen, Seleuciden, Syriam Coelen, Phoeniciam, Iudaeam [a]). Quid quod jam Augusti aetate Palaestini in Syris sunt putati teste Ovidio [b]):

Culta Palaestino septima festa Syro.

Flavia a conditore Fl. Vespasiano. Iustinianus imp. de urbis hujus excellentia loquens [c]) narrat, eam primum a Stratone, qui mutatis sedibus excedens Graecia ejus conditor exstitit, in urbis formam fuisse redactam. Verum quod sequitur, satis imperite, cum refert eam a Vespasiano Caesarum appellatione fuisse nominatam, cum antea Stratonis turris vocaretur. Dicere oportuerat, a Vespasiano deductam coloniam, et de nomine suo dictam Flaviam.

Antoniniana, nempe: ANT. in numo Caracallae. (Vaill. Colon. P. II. p. 50.)

AE. C.

DIOSPOLIS.

Olim Lydda; a quo nomen novum acceperit, incertum. Iosephus eam jam Lyddam, jam Diospolin vocat. Numos et historiam hujus urbis erudite illustravit Belleyus [d]).

Imperatorii:

Caput Domnae. ℞ Λ. CЄΠ. CЄT. ΔIOCΠOΛIC. ЄP. in alio ΘP. *Caput Serapidis*, in alio ΘP. *Ceres.* Ita Vaillantius, et Norisius, sed mendose, ut dicetur.

Caput Caracallae. ℞ Λ. C. CЄT. ΔIOCΠO. ЄT. Θ. *Caput Serapidis.* (Pellerin Mel. II.)

Caput idem. ℞ CЄΠ. CЄTH. ΔIOC-ΠO. Є. I. *Caput muliebre turritum.* (Ibid. et Mus. Caes.)

Caput idem. ℞ ΔIOCΠO. *Astarte in templo d. pedem globo imponit, d. extenta, s. hastam.* (Pellerin l. c.)

* * *

Nomen ab imperatore, nempe: *Lucia Septimia Severiana.* Ita Belleyus multo probabilius explicat το Λ. CЄΠ. CЄT., non ut Norisius et Vaillantius: *Lucius Septimius Severus. Diospolitarum.* Iisdem nominibus usas quoque Sebasten Samariae, et Eleutheropolin Iudaeae, infra videbimus, et sic etiam in marmore, quod edidit Thomasinus [e]), leguntur *Municipes municipi T. Aeli Hadriani Aug. Civilitani.* Causam adoptati hujus nominis tradit Belleyus post Haymium, quia Severus *in itinere Pa-*

a) Eustath. ad Dionys. v. 877. b) Art. amat. L. I. v. 416. c) Novell. Constit. 105. d) B. L. T. XXVI. p. 429. e) de Tesseris hosp. cap. III.

Digitized by Google

laestinis plurima jura fundavit, ut refert Spartianus. Ex postremo numo Caracallae videmus, Severo mortuo Diospolitas eam adulationem dissimulasse.

* * *

Annos imperii habemus ex numis loco II. et III. descriptis. Vaillantius et ab eo deceptus Norisius in numis loco I. citatis epochae annos viderunt. Errorem suspicatus Belleyus numos denuo inspexit, reperitque legendum Є. I., suntque anni imperii, ut in Pellerinianis, et Eleutheropolis, cujus urbis numi Diospolitanis multum sunt adfines.

AE. RRR.

IOPPE.

Maritima, ab antiquitate, et Andromeda ibi ceto exposita multum in fabulis illustris.

Autonomus:

Caput muliebre velatum turritum. Ꝟ ΙΟΠΗ. *Neptunus saxo insidens, retro* Δ. AE. II. (Pellerin.)

Scribitur plerumque geminato Π, sed tamen etiam simplice, ut videre est apud solertem Cellarium.

AE. RRRR.

NEAPOLIS.

Mediterranea ad montem Garizim, olim dicta *Sichem*. Quae fuerit mutati nominis occasio, non liquet. Verisimile videtur Norisio, circa annum V. C. 823, qui expugnatis Hierosolymis rerum novarum in hoc tractu ferax fuit, Neapolis appellationem natam, quod arguit non modo epocha hoc ipso anno ut sibi visum, coepta, sed etiam praenomen *Flaviae* in Flaviorum gratiam praefixum.

* * *

Autonomi neglecto Musseliano cum anno ΛC non exstant.

Imperatorii.

Non pauci a Tito usque ad Volusianum.

Epigraphe: ꝶΛ. ΝЄΑCΠΟΛЄΩC, rarius in prioribus: ꝶΛΑΟΤ. Additur plerumque mentio regionis, de qua infra.

Typi:

Mons, in cujus vertice templum, ad quod copiosi gradus ducunt.

Typus obvius in hujus Neapolis numis, et si quando ab alio typo hic mons extruditur, plerumque contractiore forma areae numi insidet. Est hic mons *Garizim* vetusta, sed saepe variata religione inclytus. Procopius [a]): *Est in Palaestina urbs Neapolis nomine, prope quam mons altus exsargit, quem Garizin vocant.* Sub postremo Dario, et favente Persarum satrapa Manasses Iudaeorum summi pontificis Iaddi frater sacerdotio a suis motus, quod Samaritanam, nempe alienigenam, duxisset, facta Hierosolymis discessione templum Hierosolymitano aemulum, multorum deinceps litigiorum causam, et sacrifi-

a) de Aedif. Iust. l. V.

Digitized by Google

cia in hoc monte constituit [a]). Initio hoc templum deo maximo consecratum erat, at cum Iudaei graviter ab Antiocho IV. vexarentur, Samaritani, ne eadem ferre cogerentur, suam cum Iudaeis cognationem negantes, quam olim coram Alexandro M., quem Iudaeis favere viderunt, jactaverant [b]), et se Persarum colonos professi petierunt a rege, ut templum suum, quod nullo nomine insigniretur, Iovi Hellenio consecraretur, quod et facile permissum est [c]). At Iovi Hospitali volente rege dicatum narrat auctor Macchabaeorum [d]), et Eusebius. Facta paullo post rerum conversione Samaritani se rursum Iudaicae religioni applicuere, et coram Ptolemaeo tuiti sunt, suum in monte Garizim templum ex Mosis praescripto aedificatum esse [e]). Illud subinde eversum est ab Hyrcano, postquam annos CC. stetisset [f]), atque sic sublata annosa lis, cum Hierosolymitani apud se, Samaritani in Garizim esse offerenda sacrificia contenderent [g]). Istud erat, quod mulier Samaritana ad Christum dixit [h]): *Patres nostri* (Samaritani) *in monte hoc* (Garizim) *adoraverunt, et vos dicitis, quia Hierosolymis est locus, ubi adorare oportet.* Serius templum Iovis in vertice conditum fuisse, testis est Damascius [i]): ἐν ᾧ Διος ὑψιστου ἁγιωτατον ἱερον, atque ut verisimile est, excisis Hierosolymis, qua aetate multae Palaestinae urbes et nomina vetera et religionem priscam abjecere. Zenonem denique in eo templum Virgini Matri dedicasse, auctor est Procopius. Hic ergo mons inde ab Antonino saepe in his numis proponitur, adstituta saepe aquila, credo, quod Iovi dicatum fuit. In numo Treboniani est medius inter solem et lunam [k]), in ejus uno vertice pileus Dioscurorum [l]), notantur etiam gradus ab imo ad summum ducti. Observante Norisio ex vetere hodoeporico anonymi *ascenduntur usque ad summum montem gradus numero CCC.*

Mulier tutulata stans d. caput virile, s. sceptrum, pede prorae imposito, Faustinae jun., Diadumeniani. (Vaill.)

De hoc typo jam egimus in Tiberiade, in numis Caesareae Palaestinae tam Graecis, quam coloniae.

Diana Ephesia spicas manu praeferens inter duos cervos.

Sic Aurelii numum describit Norisius [m]). Idem numus spectata aversa integerrimus est in museo Caesareo, et typus: *Mulier stans capite tutulato, inferiore corpore more Dianae Ephesiae coartato, d. elata quid instar flagelli, s. spicas, pro pedibus hinc et illinc bos turgente gibbo.* Etiam Pellerinius in suo Veri numo boves gibbosos agnoscit. Antiquarii omnes Dianam Ephesiam agnoscunt, credo propter cultus similitudinem, et creditos cervos, qui haud dubie in omnibus sunt boves, et quia attributa in numis suis aevo vitiatis non satis discrevere. Mihi verius videtur lunae simulacrum, aut quae eadem cum luna fuit, Isidis. Secundum auctorem Chronici paschalis Vespasianus, quo-

a) Ios. Ant. L. XI. c. 8. b) Ioseph l. c. c) Ios Ant L. XII. c. 5. d) L. II. c. 6. e) Ios. Ant. L. XIII. c. 3. f) Ios. Ant. L. XIII. c. 9. g) Ios. Ant. L. XII. c. 1. h) Ioann. IV. i) ap. Phot. k) Pellerin Rec. III. p. X. l) ibid. m) Ep. Syrom. p. 454.

Digitized by Google

niam ad lunae jubar Hierosolymas cepit, Antiochiae aeneum lunae simulacrum statuit cum IV. tauris Hierosolymas respicientibus [a]). Luna tauris vehitur, quorsum etiam pertinet flagellum manus dexterae.

Reliqui typi: *Serapis stans, aut ejus caput, Aesculapius, Apollo, Victoria, Roma sedens, quadrigae.* In numis Titi, antequam Garizim in monetam migraret, est *Palma*, vel *urbis nomen scriptum intra lauream.*

* * *

Neocoratus: ΝΕΩΚΟΡΟΥ memoratur apud Pellerinium in binis numis, Treboniani, (Rec. III. p. X.) et Volusiani. (Mel. II.) In numis Neapolis coloniae jam sub Philippo se neocoram profitetur, ut videbimus.

* * *

Honoris titulus: ΕΠΙΣΗΜΟΣ, *illustris, nobilis.*

ΦΛ. ΝΕΑΠΟΛΕΩΣ. ΕΠΙΣΗΜΟΥ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. Treboniani. (Pellerin Rec. III. p. X.) Eusebius Abilam vocat ἐπίσημον. [b]), et teste Bertio in codice Palatino Ptolemaei legitur: Ἀγκυρα μητροπολις ἐπισημος.

ΦΛ. ΝΕΑΠΟΛΕΩΣ. *Aquila expansis alis, supra quam tabella, cui inscriptum:* ΕΠΙΣΗΜΟΥ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ. Volusiani. (Pellerin Mel. II.) Hoc epitheto nulla alia urbs gloriatur.

Perperam in simili legit Panelius: ΕΠΙ. C. ΜΙΛΟΥ. ΝΕΩΚΟΡΟΥ [c]).

* * *

Nomen ab impp.

ΦΛ. ΦΛΑΟΥ. a Flaviis Vespasianis, sub quibus aeram quoque invexit.

ΑΥΤ. ΦΛ. etc. ab Aurelio Caracalla, in cujus tantum numis legitur. (Noris, Vaill.)

* * *

Mentio situs. Hanc diligenter, sed varie notavit.

ΦΛΑΟΥ. ΝΕΑΠΟΛΙ. ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ. vel ΣΑΜΑΡ. Titi et Domitiani. (Vaill.).

ΑΥΤ. ΦΛ. ΝΕΑΣΠΟΛΕΩΣ. CAM. Caracallae (Noris.)

ΦΛ. ΝΕΑΣΠΟΛΕΩΣ. CΥΡΙΑC. ΠΑΛΑΙCΤΙΝΗC. vel: CΥΡΙΑC. ΠΑΛΑΙCΤ. vel: CΥΡ. ΠΑΛ. Sic fere scribitur ab Antoninis usque ad Diadumenianum.

Palaestina jam passim Herodoto dicta est Syria, et Spartianus quoque hos Neapolitanos vocat Palaestinenses [d]). Vide etiam dicta supra in Caesarea sub *Metropolis*, quae eodem modo se in Palaestina Syria sitam fatetur.

ΦΛ. ΝΕΑΣΠΟΛΕΩΣ. CΥ. Maesae. (Mus. Caes.) Alexandri. (Pellerin.)

In numis post Alexandrum signatis, etiam coloniae nomine, situm non amplius indicat.

* * *

Epocha.

L. AI. Titi et Domitiani. (Vaill.) Inscriptiones anticarum non adduntur.

ЄΥ. ΠΖ. ΠΗ. M. Aurelii, Faustinae jun. In his Aurelii titulus est: ΑΥΤΗΛΙΟC. CΑΙCΑΡ. ЄΥCЄΒους CЄΒας-

a) p. 198 ed. Venet. b) in Onomast. c) Mem. Trev. Octob. 1737. d) in Severo.

Digitized by Google

Τιος, et caput nudum, Faustinae: ΦΑΥ-CTЄINA. CЄBAC. ЄTCЄ. CЄBA. ΘTΓA. (Noris, Vaill. Mus. Caes.)

ЄT. ΠΘ. Aurelii et Faustinae jun. Tituli non produntur. (Vaill. Noris.) Secundum aliques etiam Antonini Pii. (Noris Ep. Syrom. p. 457.)

ЄT. ΠΘ. L. Veri. (Pellerin Mel. II.)

ЄT. q. Faustinae jun. cum titulo: ΦΑΤCTЄINAN. CЄBACTHN. (Noris, Vaill.)

Norisius ex numis sibi cognitis censuerat, aeram Neapolis ducendam ab autumno V. C. 823, quem secuti sunt Vaillantius, aliique. Huic principio obstat numus Veri cum anno ΠΘ. Nam si hic addatur ad 823, sequeretur, numum signatum V. C. 911, at Verus primum anno V. C. 914 renunciatus est Augustus. Ergo hoc numo praecipiente altius ejus principium figi nequit, quam autumnus 825, secundum quod hic Veri numus signatus esset ab autumno V. C. 913. usque ad autumnum sequentem, quo anno mense Aprili Verus ad imperium evectus est.

Ex numo Aurelii cum anno ΠΗ, in quo is Caesar adhuc dicitur, et laurea abstinet, certi sumus, epocham non posse serius incipere, quam ab autumno V. C. 826. Nam addito numero ΠΗ emergit annus 913, a cujus autumno numus cusus esset. Iam vero M. Aurelius proximo Martio V. C. 914 Augusti titulum et insignia abstulit. Quare vi numorum hujus urbis adcurate descriptorum fluctuat aerae principium inter annos V. C. 825 et 826.

Ex his adeo certum est I. in numo Titi, quem Vaillantius ex museo regio citat, legi non posse AI, aut si istud vere legitur, numum esse Domitiani, non Titi. Revera Morellius tres hujus urbis numos cum capite Domitiani, et anno AI proponit [a]). Nam si statuamus pro aerae principio annum 825, numus Titi signatus esset ab autumno 835. Sed Titus jam in Septembri V. C. 834 diem obivit. II. Si tituli M. Aurelii in numis anno ΠΘ insignibus liberalius essent ab antiquariis descripti, haud dubie fixum haberemus epochae principium. Si enim in his Aurelius adhuc dicitur Caesar, immotum aerae initium habebimus annum V. C. 825. Hoc enim anno non potuisse incipere citius, ex L. Veri numo demonstravi. Quod si aerae exordium statuamus autumnum V. C. 826, hi Aurelii numi signati forent ab autumno 914, sed hic jam praecedente Martio Augustus dictus est. Ex quo videmus, quam inconsulte agant ii, qui partis anticae epigraphen describere negligunt ex qua pro epocharum negotio multa possunt proficua colligi. Multum Vaillantius verae suae laudi, et communi utilitati detraxit, cum per immodicam parsimoniam in plerisque suis operibus imperatorum titulos omisit. III. Si in numis quoque Antonini continetur annus ΠΘ, quod refert Patinus apud Norisium [b]), alius rursum annus pro principio statui non potest, quam 825. Nam si statueretur annus sequens 826, numus cum dicto anno signatus esset ab autumno 914, verum Antoninus jam mense Martio ejusdem anni mortuus est.

a) in Domit. tab. XXII. b) l. c. p. 457.

Digitized by Google

Collectis omnibus vero simillimum est, aerae exordium ducendum ab anno V. C. 825, qui fuit annus III. Vespasiani. Hoc demum anno finitae sunt reliquiae belli Iudaici. Satis verisimile, rebus tum compositis hanc urbem variis beneficiis ornatam, et incrementis auctam, quo factum, ut *Flaviam* se compellaret, pro Sichem Neapolis nomen adoptaret, atque ab eo tempore annos suos dinumerare inciperet.

AE, vix rari.

Coloniam fuisse deductam, numi invicte docent, a quo, incertum. Primi numi, qui eam coloniam produnt, sunt cum capite Philippi. Hos vero ad hanc Neapolin, et non cognominem aliam pertinere, manifestum est ex monte Garizim, qui in omnibus omnino coloniae Neapolis numis saltem in area conspicitur, et hujus urbis numorum indubitatum χειτηριον constituit.

Quod vero in Neapolis hujus moneta singulare videmus, est, quod etiam, ex quo colonia deducta fuit, non modo offert numos cum coloniae mentione Latine inscriptos, sed etiam numos sine coloniae mentione Graece inscriptos. Ita habemus numos Treboniani et Volusiani Graecos, Philipporum et Volusiani Latinos coloniae. Istud dempta Antiochia Syriae et hac Neapoli in aliis urbibus, posteaquam coloniam recepere, insolitum. Nam ab eo tempore colonias se semper professae sunt seu praefixo COL., seu Graece ΚΟΛ., seu saltem typo, quam doctrinam alibi abunde, ut puto, stabilivi [a]). Quod ad hujus Neapolis numos attinet, facilem sibi exitum reperit Vaillantius; *quod enim etiam Graecos*, ait, *sine coloniae appellatione percussit, id videtur scalptorum procul dubio incuria* [b]). Quae causa fuit, cur eos nulla tactus religione coloniarum numis misceret. Inconsulta oratio. Ergo in omnibus Treboniani ac Volusiani numis Graecis, qui magno numero supersunt, et omni vitio carent, et varii sunt argumenti, incurii fuere monetarii? Aut cur, si hi quoque Neapolin, quatenus ea colonia fuit, pertinent, nihil omnino coloniae spectatis typis offerunt? non colonum arantem, non lupam cum gemellis, non Silenum, non signum militare, quae omnia insunt in numis Neapolis coloniae nomine inscriptis? An etiam in his peccatum a scalptoribus? Aliter sensit multo adcuratior Pellerinius, qui inter utrosque numos, ut oportuit, discrevit, atque alios inter coloniae numos, et alios inter imperatorios Graecos recensuit.

Aequius de hac numorum hujus urbis varietate judicavit Frölichius his verbis [c]): *mallem utraque lingua insignes numos Neapoli procusos esse, Latinos a deductis colonis, Graecos a veteribus incolis, prisco suo more*, quam sententiam valere etiam ad Antiochiam copiose comprobavi [d]). Occurrit re iterum expensa, regulam a me propositam, urbes, ex quo coloniae factae sunt, non amplius nisi coloniae confessione feriisse monetam, forte a contrario apud Neapolin instituto non infringi. Fieri poterat, ut quae a Philippo deducta fuit colonia, Treboniano imperante deductis forte aliorsum militibus emeritis, qui

a) Num. vet. p. 283. b) in Colon. p. 216. c) IV. Tent. p. 348. d) l. c.

Digitized by Google

coloniam constituerunt, coloniae jura amitteret, quo facto oppidani Graeci libertati suae restituti vetus feriundae monetae institutum fuissent secuti. Hoc eo verisimile fit, quod revera cum capite Philippi nullum habemus numum Graecum, Latini coloniae abundant; sub imperio Treboniani binos tantum Volusiani Latinos, at copiosos Treboniani et Volusiani Graecos, ut videre est apud Vaillantium, et in aliis catalogis. Coloniae jura nonnunquam fuisse ablata, supra in Tyri moneta aperte vidimus, tum et Lampsaci Mysiae, et videbimus infra in Nicopoli Iudaeae.

Coloniae ergo Neapolis numos habemus sub Philippis, et post hos binos tantum Volusiani. Insolens epigraphe: I. I. M. M. C. C. PHILIPPIS - - - - *Copita Philipporum jugata.* (Pellerin. Mel. I. tab. XXI. n. 3.)

Epigraphe coloniae: COL. NEAPOL. vel: COL. SERG. NEAPOL. vel: COL. NEAPOL. NEOKORO. vel: COL. PVL. NEAPO.

Typi:

Mons Garizim in omnibus, saltem in numorum area.

Cybele, *Aesculapius cum Hygia*, tum sueti coloniae typi: *Lupa cum gemellis*, *colonus arans*, *Silenus*.

Typus insolentior: *Iuppiter stans, ex adverso aquila supra columellam, et signum militare, in horum medio aries juxta spicas*, Volusiani. (Vaill.) Difficilis explicatus.

* * *

Neocoratus, NEOKORO. in quibusdam Philippi numis scribitur. In Graecis, ut dictum, etiam serius.

* * *

Titulus SERG. in compluribus Philippi, et successit in locum *Flaviae*, quem numi Graeci constanter praeferunt. Quid nomen SERG. notet, et quomodo explendum, nondum exploratum. Vaillantii conjectura, qui *Sergiam* censet appellatam, quod forte colonis Sergiae tribui adscriptis constiterit, nondum eruditorum omnium suffragia abstulit. Hoc modo Iconium quoque dici posset tribui Aeliae subjectum, quia in numis *Aelium* dicitur.

PVL. in numo Philippi, quod Pellerinius explet PVL*chra*, quia Smyrna quoque se a *pulchritudine*, ΚΑΛΛΕΙ, laudat. Videtur το PVL. perinde a quodam nomine proprio deducendum, ac το SERG.

AE. RR.

NYSA.

Vide infra *Scythopolis*.

RAMATHA.

Numum Augusti a Vaillantio huic urbi tributum verius esse Claudii, et Canathae Decapoleos judicio Belleyi et Pellerinii, in hujus urbis numis diximus.

SCYTHOPOLIS.

Prope, sed tamen cis Iordanem, et Decapoli adnumerata est a Iosepho et Plinio. Antiquissimum nomen fuit *Bethsan*, quare verterunt LXX. την Βηθσαν, ἡ ἐστι Σκυθων πολις [a]), atque in eadem

a) Iudic. I. 27.

Digitized by Google

verba aliquoties Iosephus. Dicta etiam fuit *Nysa*. Plinius: *Scythopolin antea Nysam, a Libero patre, sepulta nutrice ibi, deductis Scythis*, et confirmatur numis. Ex Stephano omnia tria nomina colliguntur, sed corrupto textu, quem facile sic restituit Pinedus: ΣΚΥΘΟΠΟΛΙΣ Παλαιστινης πολις, ἡ Νυση Κοιλης Συριας, Σκυθων πολις, προτερον λεγομενη Βασθσαν. Scythopolis denique nomen maxime usitatum, cujus appellationis originem statuit Eusebius [a]), Σκυθαι την Παλαιστινην κατεδραμον, και την Βασαν κατεσχον, την ἐξ ἀυτων κληθεισαν Σκυθοπολιν, *Scythae Palaestinam invaserunt, et Basan occuparunt, a se dictam Scythopolin.* Plura de hoc nomine ex Herodoto vide apud Cellarium, et Belleyum, qui hujus urbis historiam, et numismata omnia, quotquot hactenus nota sunt, erudite illustravit [b]).

Imperatorii

Neronis, Getae, Gordiani. Domnae unum nuper museo Caesareo acquisivi.

Epigraphe: NTCA, vel NTCAIЄΩN. TΩN. KAI. CKTΘOΠOΛITΩN. in numis Neronis. CKTΘOΠ - - - Getae. NTC.CKTΘO.IЄPAC. vel: NTC. CKTΘOΠOΛЄITΩN. IЄPA. ACT. Gordiani. Satis ex his apparet, male a Vaillantio Nysae Cariae tributum numum Gordiani, in quo legit: NTCC. KTΘO. IЄPAC. quod ante Pellerinium [c]) jam vidit Harduinus.

Typi: Mulier capite turrita stans d. caput humanum tenet, s. hastae innixa, Neronis. De hoc typo in Tiberiade et alibi. Reliquos typos parum illustres vide apud Belleyum. Ignoti fuere Belleyo:

NTC. CKT. - - - PAC. *Duae mulieres stolatae stantes, quarum dexterior d. facem, ut videtur, sinisterior galeata d. hastam tenet*, Domnae. (Mus. Caes.) Videntur esse Diana Lucifera, et Pallas.

NTC - - - - *Bacchus nudus gradiens d. thyrsum transversum, pro pedibus hinc panthera deum suum suspiciens, illinc Priapus, in area* ΔT. Gordiani. (Mus. Caes.)

Epocha:

L. P. PA. ЄIP. Neronis. (Belley.)

ΔNC. Getae Caesaris. (Belley.)

ΔT. Gordiani. (Mus. Caes.)

Liebeus ex anno ЄIP. epocham orsus est ab autumno V. C. 697 [d]), sed vetant hoc anni P. PA. in numis Neronis serius cognitis; nam hi concurrerent cum annis 796, 797, quibus Nero adoptatus nondum fuit. Censet ergo Belleyus, quantum argui ex paucis his numis potest, epocham esse Caesarianam ducendam ab autumno V. C. 706. Ex hac lege numi P et PA. signati sunt annis 805, 806, quibus adoptatus jam fuit Nero, sed nondum Augustus, cum qua concordat quidem etiam epigraphe numi anno PA. inscripti: NЄPΩN. KΛΑTΔIOΣ. ΚΑισαρος ΣЄΒΑΣΤου Τιος, quae fuit formula Caesarum, ut paullo supra in numis M. Aurelii apud Neapolin signatis vidimus. Istud tamen

a) Chron. L. I. p. 336. b) B. L. T. XXVI. p. 415. c) Mel. II. p. 202. d) Goth. num.

Digitized by Google

mirum, non modo in numo PA, sed etiam P, jam occurrere caput Neronis laureatum, quo cultu, saltem in numis commatis Romani, ante Claudii mortem non proponitur. At Belleyi calculum nimis turbat numus Gordiani cum anno ΔT, qui ductus ab anno 706 ejus imperium annis XII. excedit. Quare ejus verum initium adhuc in incerto est.

AE. RRR.

SEBASTE.

Olim Samaria, post divisionem Israelis regum sedes, a qua regio tota dicta fuit Samaritis. Exstructo in vicino monte Garizim templo perpetua Iudaeis irarum propter religionem causa, ut latius supra in Neapoli exposui, ac propterea ab Hyrcano annua obsidione penitus eversa, refecta deinde a Gabinio Syriae praeside, denique regiam faciem accepit beneficio Herodis M., qui eam in honorem Augusti *Sebasten* appellavit. Haec Cellarius ex Iosepho, aliisque.

Imperatorii

Aliquot prodiit a Nerone usque ad Domnam. Inscriptio capitis in his Latina est, saltem in numis Domitiani et Commodi, ut videre est apud Norisium [a]), et Liebeum [b]).

Epigraphe urbis: ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. Plerumque adjicitur CTP. vel CTPIAC, et ubi istud deest, juvant epochae anni, ne in aliam Sebasten numos transferamus.

Typi:

Mulier capite tutulato stans d. caput humanum, s. hastam, pede fluvio emergenti imposito, Neronis. (Vaill.)

Typus in hoc tractu obvius, de quo egi in numis Tiberiadis, et Caesareae coloniae ejusdem Samaritidos.

Iuppiter, Ceres, Mars, Victoria, cista Bacchi, quos depictos vide apud Norisium [c]), et Arigonium.

Epocha:

qA. Neronis. (Vaill.)

L. ΘP. Domitiani. (Noris, Vaill. Morelli.)

PI. Ejusdem. (Liebe p. 337.)

PMA. Trajani. (Arigoni.)

L. CIϵ. CIϛ. Commodi. (Noris, Vaill. Theup.)

L. CK. Domnae. (Vaill.)

Norisius hanc aeram ducendam censet a Sebastes natalibus. Aedificatam ab Herode M. V. C. 729 erudite probat. Numi serius reperti huic principio non obstant. Numus Trajani PMA vetat, cum is annus ejus imperatoris postremus sit, ejus initium sequenti alteri anno adfigi. Numi citati annos aliquot anteriores admittunt, ut revera Harduinus annum 727 [d]), Frölichius [e]) 728 praeferunt. Ex his corrigendus Eusebius, qui in chronico suo canone Sebasten conditam ait anno III. Olymp. CXC., qui respondet anno V. C. 736.

AE. RR.

Coloniam deductam fuisse Sebasten do-

a) Ep. Syrom. p. 444. 445. b) pag. 337. c) l. c. et p. 492. d) Chron. vet. test. e) Not. elem.

Digitized by Google

cet Vlpianus a): *Divus quoque Severus in Sebastenam civitatem coloniam deduxit*, et confirmatur numis. De anno non constat. Ex numo Graeco Domnae supra citato cum anno ϵK certum est, eam V. C. 948 coloniam nondum fuisse.

Domnae binos edidit Vaillantius, binos Caracallae Blondius. Caracallae et Getae singuli museo Caesareo accesserunt, quos stiti in mea Sylloge I.

ΚΟΛ. CЄΒΑCΤЄ. *Templum, in quo tres figurae stantes*, Domnae.

COL. SEBASTE. *Imperator paludatus stans inter Victoriam, et urbis genium muliebrem*, Domnae.

COL. L. SEP. SEBASTE. *Colonus arans*, in alio: *Mulier stans d. vexillum, s. spicas*, Caracallae.

COL. L. S. SEBASTE. *Imp. togatus stans ad aram sacrificat, s. cornucopiae*, Getae. (Mus. Caes.)

COL. L. SEP. SEBASTE. *Pluto in quadrigis Proserpinam rapit volante supra Victoria*, Domnae, Caracallae. (Mus. Caes. et Neumann.)

* * *

Nomen ab imperatore L. SEPtimio *Severo* conditore.

AE. RR.

IVDAEA.

Exstant numi Titi: ΙΟΥΔΑΙΑΣ. ΕΑΛΩΚΤΙΑΣ. *Iudaeae captae.* Typus: *Tropaeum, juxta quod Iudaea moesta sedens.* In aliis: *Victoria inscribens clypeo palmae appenso* b). Numus Pellerinianus ipsum scriptum ΝΙΚΗ. ΚΑΙϹ. indicat c). Verum hi numi moneta Iudaica non sunt, sed in urbe quapiam Graeca ad celebrandam Titi de capta Iudaea gloriam signati.

De numis Iudaicis charactere Samaritano inscriptis agetur post numos Iudaeae.

AE. RR.

AELIA CAPITOLINA.

Olim Hierosolyma, quo nomine sicelos literis Samaritanis inscriptos infra in numis Iudaicis proferemus. Ab Aelio Hadriano urbis restitutore et coloniae conditore dicta *Aelia*, ac praeterea *Capitolina* ab Iove Capitolino, cujus honori ibi Hadrianus templum struxit, ut refert Xiphilinus ex Dione d): *ubi templum dei fuerat, alterum Iovi aedificari curavit.* Hic Iuppiter Capitolinus jam inde a Tito Iudaeis fuit fatalis, cum jussi sunt didrachmum, quod prius ex lege in templi

a) de Censib. b) Beger Th. Br. T. III. p. 105. c) Rec. III. tab. 134. n. 1.
d) L. LXIX. c. 12.

Digitized by Google

Hierosolymitani usus pependerant, Iovi Capitolino pendere, de quo agemus uberius in numis Flaviorum commatis Romani.

Coloniae hujus numi sunt ab Hadriano usque ad Hostilianum.

Epigraphe:

COL. AEL. CAP. etiam AELIA. in obviis.

CO. AE. CA. Antonini, (Mus. Caes. Pellerin.) Caracallae. (Liebe.) In simili numo Vaillantius et Harduinus legerunt C. A. G. A. F., eumque tribuerunt Oeae Africae, quos adeo jure perstrinxit Pellerinius [a]).

COL. AEL. CAP. COMM. nempe *Commodiana*, saepe in numis Pescennii, Severi, Diadumeniani, Elagabali, Decii, Herennii. Videtur Aelia magnis a Commodo beneficiis fuisse adfecta, quia nomen ejus tamdiu inscripserat.

COL. AEL. CAP. COMM. P. F. *intra lauream*, nimirum *Pia Felix*, quo utroque nomine conjuncto primus usus est Commodus, in numo Decii. (Vaill. Panel Mem. Trev.)

COL. AEL. CAPIT. COND. *Colonus arans, pone signum militare*, Hadriani. (Pellerin Mel. I. p. 239.) In hoc Aelia COND*itorem* Hadrianum profitetur.

C. A. C. *Astarte stans in templo 4 col. (in aliis templum abest) d. caput humanum, s. hastam, d. pede fluvium emergentem calcat.* In aliis: *Aquila expansis alis insistens fulmini*, sunt omnes Antonini, priores apud Vaillantium, posterior apud Pellerinium. (Suppl. II. p. 46.)

Numi hi quorsum pertineant, inter eruditos lis est. Vaillantius epigraphen legit: *Colonia Aelia Capitolina* Pellerinius post Harduinum *Colonia Augusta Caesarensis*, eosque adeo Caesareae Samaritidos seu Palaestinae tribuit [b]). Si solam epigraphen in consilium adhibeamus, durabit lis. Nam ut Aelii Capitolini scribere in numis potuere CO. AE. CA., et Caesarenses C. AVG. CAESAR in numo Trajani apud Pellerinium, sic utrique oppidani in moneta nomen coloniae suae majore compendio siglis C. A. C. potuerunt indicare. Ad typos ergo provocat Pellerinius [c]). Astarten sic stantem videt in certis Caesareae numis, ut et aquilam in numo Lucii Caesaris inscripto KAI. ΣΑΡΕΩΝ. Verum inutilis utraque provocatio. Nam ut Astarte hoc cultu est in numis certis Caesareae, sic etiam in certis Aeliae inscriptis COL. AEL. CAP., qui sunt apud Vaillantium in Aurelio et Severo. Numum alterum Graecum Lucii cum typo aquilae esse verius Caesareae Bithyniae, in hujus moneta adserui; quid quod in hoc numo aquila non insistit fulmini, quod tamen fieri videmus in numo cum epigraphe C. A. C. Quare neque typi Pellerinio patrocinantur. Quin spectatis his magis credam numos hos Aeliae tribuendos, nam habemus ejus certum numum cum capite Hadriani, in quo similis aquila expansis alis fulmini super signo militari insistit [d]). Verius igitur numi sic inscripti sunt Aeliae Capitolinae, atque id tanto magis, quoniam Caesarenses in Coloniae numis vix unquam copiosos suos titulos omisere. Mirari ergo desinet Pellerinius, typum aquilae in

a) Mel. I. p. 277. b) l. c. c) Mel. I. p. 275, et Suppl. II. p. 47. d) Vaill.

Digitized by Google

nullo alio Caesareae Palaestinae numo comparere.

ΚΟΛ. ΑΙΛ. ΚΑ. *Templum 4. col., intra quod tria idola cylindri specie*, Severi. (Pellerin, Mus. Caes.)

Insolens prorsus epigraphe Graeca in hujus coloniae numis, cum ea ante et post Severum Latina uteretur. Dubium non videtur, aetate, qua numi hi signati sunt, colonis Graecis magis fuisse frequentatam, atque adeo hos non modo patriam suam epigraphen, sed etiam peregrinos suos deos cylindri specie, qua hi forma in aliis Aeliae numis cum inscriptione Latina nunquam, at frequenter in numis Cypri et Pergae finguntur, monetae intulisse. Verisimiliter tribus his cylindris professi sunt oppidani cultum Veneris Paphiae, ut Pergameni quoque ac Sardiani; alioqui teste Pausania [a]) Paphii sacros Veneris suae ritus cum Ascalonitis Palaestinae communicavere. Narrat Malala [b]), Hadrianum Graecis Aeliam habitandam concessisse, et externas eo nationes deductas, perhibet Dio [c]). Etiam Sebastenos Samariae in numis uno eodemque tempore signatis variasse linguam vidimus.

Typi reliqui:

Iuppiter sedens in templo, cui a dextris adstat Pallas, a sinistris genius urbis muliebris, Hadriani, Diadumeniani (Vaill.)

Est hic Iuppiter Capitolinus urbis praestes. Figura sinisterior, quam urbis genium dicit Vaillantius, forte verius est Iuno, praecipue cum hastam teneat, quae rarius in geniorum manibus est, atque sic tanto certius erit Iuppiter Capitolinus, qui Palladem inter et Iunonem considens fingi solet, de quo vide, quae notabimus in numis Vespasiani commatis Romani ad annum V. C. 824.

Caput Serapidis, Solis, Bacchus, tropaeum, aquila legionaria, colonus arans. Rarior typus: *Dioscuri stantes* media aquila. (Liebe.)

AE. R.

AGRIPPIAS, ANTHEDON.

Maritima. Vetus nomen Anthedon, sed urbem ornavit Herodes M., et in Agrippae honorem Agrippiadem dixit, ut narrat Iosephus [d]).

Autonomi:

Caput muliebre velatum. Ϟ ΑΓΡΙΠ-ΠΕΩΝ. *Navis.* AE. (Haym. T. I. p. m. 237.)

Similem addidit Pellerinius, in quo praeterea L. IH., qui annus an ab epocha procedat, an tempus imperii notet, incertos nos relinquit.

AE. RRRR.

Imperatorii:

Caracallae unum promulgavit Patinus (Num. impp.): ΑΝΘΗΔΟΝΟC. *Astarte capite turrito stans in templo s. hastam, d. pede prorae navis insistens.*

Alium ejusdem: ΑΝΘΗΔ. cum anno

a) in Attic. c. 14. b) Chron. L. XI. p. m. 119. c) L. LXIX. §. 12. d) Ant. L. XIII. et Bell. L. I.

Digitized by Google

vitiato, et eodem typo Vaillantius ex museo regio dedit.

AE. RRRR.

ASCALON.

Maritima, cujus origo fabulis involvitur, ceterum perantiqua, nam ex Iosue discimus, fuisse jam tum unum ex V. satrapiis Philistiim. Iudaeis nunquam subjecta fuit, etsi tota circum vicinia iis pareret. Numos habet regios, autonemos, imperatorios.

Regii:

Antiochi IV. *Caput regis radiatum.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΑΣ. ΔΜΡ. *vel* ΕΜΡ. *Iuppiter seminudus stans d. elata coronam, s. pallio involuta.* AE. (Pellerin Rois.)

Antiochi VIII. *Caput diadematum.* ℞ ΑΝΤΙΟΧΟΥ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΣ. ΙΕΡ. ΑΣΤ. ΕΣ. *Aquila stans cum ramo palmae.* AR. (Fröl. Ann. Syr. p. 101.)

De his numis agetur infra in epocha.

Autonomi:

Caput juvenile nudum. ℞ ΑΣ. *Duo Hermae acutis pileis tecti.* AE. (Pellerin.)

Videntur esse Cabiri, vel Dioscuri.

Caput Solis radiatum. ℞ ΑΣ. *Navis.* AE. (Pellerin.)

Caput juvenile. ℞ ΑΣΚΑ. ΙΕΡΑ. Κ. Α. *Navis.* AE. (Pellerin.)

Caput muliebre velatum turritum. ℞ ΑΣ. Π. *Navis.* AR. III. (Pellerin.)

Vnicus ex hoc metallo inter autonomos.

Caput simile. ℞ ΠΡ. ΑΣ. *Navis.* AE. (Pellerin.)

Similem edidit Haymius, sed cum totam scripturam in unum vocabulum conjungeret, effecit numum Praesiorum Laconiae [a]).

ΑΣ. *Caput simile.* ℞ ΘΠΡ. *Navis.* AE. (Pellerin.)

Caput Iovis. ℞ ΑΣ. *Aquila fulmini insistens transverso palmae ramo, annus* ΘΙ. *vel* ΘΡ. Mallem priorem numerum, nam fabrica remotius aevum sapit. AE. (Mus. Caes.)

ΑΣΚΑ. *Caput muliebre velatum turritum.* ℞ HqP. ΙΣ. *Navis.* AE. (Mus. Caes. Hunter.)

Anni epochae explicabuntur in imperatoriis.

AR. RRRR. AE. RR.

Imperatorii:

Ab Augusto usque ad Alexandrum. Observandum, in his primos imperatores, etiam Augusto posteriores, solo nomine ΣΕΒΑΣΤΟΣ omisso nomine proprio, inscribi, et istud observari adhuc in Hadriano, quem morem et vicinae Gazae aliquamdiu placuisse video.

Epigraphe: ΑΣ. ΑΣΚΑ. ΑΣΚΑΛΩ. nullo alio in his titulo addito, solis epochae annis conspicuis.

* * *

Typi:

Mulier insistens prorae navis capite turrito d. hastam, quae superne saepe in crucem exit, s. quid instar acrosto-

a) T. II. p. m. 170.

Digitized by Google

lii, in area hinc columba, inde ara, quae saepe tridentis, alias I *speciem praebet.* Typus obvius. Huic conjunge alium:

Mulier cum luna in capite s. hastam, d. columbam insistit mulieri in piscem desinenti, Antonini, Severi, Elagabali. (Vaill. Noris.) Pro muliere Tritonem aliquoties dixit Vaillantius. In pictura numi Severi apud Norisium est Centaurus marinus. (Ep. Syrom. p. 486.)

Hos numos erudite explicat Norisius ex Diodoro [a]). Narrat is, prope Ascalonem esse profundum lacum, et in vicinia deae templum, quam Derceto Syri vocant, facie mulierem, inferiore corpore piscem. Huic aliquando, antequam haec metamorphosis perageretur, iratam Venerem Syri cujusdam juvenis amorem injecisse, ex qua consuetudine cum ei filia nasceretur, eam prae pudore in deserto exposuisse, at semetipsam abjecisse in lacum, postea aliqua sui parte piscem induisse. Puellam multo tempore a columbis nutritam evulgato denique prodigio a pastoribus educatam, dictamque ab eventu Semiramidem, postremo post varias vices Nino Assyriae regi nuptam. Addit, ob hanc Dercetus religionem Syros abstinere piscibus tanquam sacris. Tradit etiam ex Philone Eusebius [b]), Ascalonitas columbis perinde abstinere, haud dubie ob honorem puellae ab his nutritae. Est igitur in numo priore Semiramis, quam columba rite discernit. In altero ea ipsa fingitur insistens matri Derceto parte feminae, parte pisci. Hujus etiam meminit Ovidius [c]):

de te Babylonia narret,
Derceti, quam versa squamis velantibus artus
Stagna Palaestini credunt coluisse figura.

Lucianus quoque narrat, se Dercetus imaginem vidisse in Phoenicia parte mulierem, a femoribus ad pedes piscem. Addit, Phoenices piscem non attingere, et ex avibus intactas relinquere columbas, idque fieri Dercetus et Semiramidis gratia, illud, quia Derceto piscis formam habet, hoc, quia Semiramis in columbam mutata est [d]). Etiam Cicero [e]): *piscem Syri venerantur.* De antiquissimo Veneris Coelestis apud Ascalonem fano vide Herodotum [f]), de Syris ἀπιχθυσι vide, quae observat Carolus Neapolis [g]), de columba, quod canit Tibullus [h]).

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palaestino sancta columba suo.

Videtur Artemidorus hanc Derceto cum Astarte confundere. Ait enim [i]): ἰχθυας παντες ἐσθιουσι πλην Συρων τινων των την Ασταρτην σεβομενων, *piscibus omnes vescuntur exceptis Syris quibusdam, qui Astarten colunt.*

* * *

Figura militaris stans d. gladium erigit, s. clypeum et palmae ramum, obvius typus in numis Flaviorum, et aliquanto serius.

---

a) L. II. c. 4. b) Praepar. Ev. c. 5. c) Met. L. IV. 44. d) de Dea Syr. e) Nat. deor. L. III. c. 15. f) L. I. §. 105. g) ad Ovid. Fast. II. 473. h) L. I. eleg. VIII. 17. i) Oneirocr.

Digitized by Google

Mulier gubernaculo insidens s. cornucopiae, Neronis. (Vaill.)

Neptunus stans cum Delphino, Antonini. (Noris.)

* * *

Sacra et *asylum*, in citatis regio et autonomo. His aliisque omnibus titulis prorsus abstinet in imperatoriis.

* * *

Epocha I. Seleucidarum. Hanc manifestant numi regii. In numis Antiochi IV. sunt anni ΔMP. EMP., qui respondent annis V. C. 585. 586. Ascalon, quae primum Ptolemaeis, atque adhuc Evergetae teste Iosepho paruit, tandem armis Antiochi M. cum tota Palaestina Syriae addita fuit.

In numo Antiochi VIII. legitur annus EΣ, respondens anno V. C. 646. Ergo hoc anno Ascalon adhuc Seleucidis paruit, etsi omnis reliqua vicinia Iudaeis jam tum subjecta fuerit, de quo videatur Norisius [a]). Quatuor annis serius Ascalon novam aeram inchoavit, de qua mox. Haec Seleucidarum aera ignota fuit Norisio.

Epocha II. propria.

AP. BP. $\frac{\text{ϛN}}{\text{BP}}$ ΓP. ΘP. ΓIP. in numis Augusti. (Vaill. Noris, Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 316.)

AKP. AΛP. EΛP. Tiberii. (Vaill. Pellerin l. c. Mus. Caes.)

ϛNP. Claudii. (Vaill. Morelli.) In museo Theupoli citatur numus Claudii cum anno BΞP., sed hic aut est Neronis, aut inest alius annus.

AOP. Neronis (Vaill. Noris.) Vaillantius eidem Neroni tribuit numos cum annis BOP. POE. [b]) sed ipse in eodem opere se retractat [c]), aitque esse Vespasiani. Multo magis ejusdem Vespasiani est numus ϛOP ab Arigonio Neroni tributus. Causa frequentium sphalmatum est, quod ut supra innui, hac aetate propria Augustorum nomina numis inscripta non fuere.

BOP. POE. Vespasiani. (Vaill. Num. Graec. p. 259.)

ϛOP. Vespasiani et Titi. (Mus. Caes. Pellerin Mel. II. p. 316.)

BIIP. Titi. (Noris, Theup. Morelli Impp.)

ΘIIP. qP. HqP. Domitiani. (Vaill. Pellerin l. c. Mus. Caes.)

ΘΣ. AIΣ. ΓIΣ. ΔIΣ. ϛIΣ. ZIΣ. KΣ. Trajani. (Pellerin, Mus. Caes.)

ΓKϵ. ϵKϵ. ϵΛϵ. juxta ϵ. Hadriani. (Pellerin, Liebe.)

ϵNϵ. ϛNϵ. Ξϵ. AΞϵ. BΞϵ. Antonini. (Vaill. Mus. Caes. Theup.)

AT. Severi. (Vaill. Noris.)

AKT. Elagabali. (Vaill. Noris.)

BΛT. Alexandri. (Vaill.)

Alteram hanc Ascalonitarum aeram Norisius deduxit ab anno V. C. 650., secutus cum scriptores, tum numos. Eusebius in Chronico ad annum I. Olympiadis 264 haec habet: *Secundo anno Probi juxta Antiochenos annus* 385 *fuit, juxta Tyrios* 402, *juxta Laodicenos* 324, *juxta Edessenos* 588, *juxta Ascalonitas* 380. Annus II. Probi componitur cum anno V. C. 1030. Si ergo retro numerentur anni 380 Ascalonitarum, inhibemur ad annum V. C. 650. Etiam auctor Chronici Alexandrini ad annum I. Olympiadis 169 notat: *Asca-*

a) Ep. Syrom. p. 429. b) Num. Graec. p. 16. c) pag. 259.

Digitized by Google

Ioniae hinc sua tempora numerant. Respondet autem hic annus anno V. C. 650. Idem principium stabiliunt nummi; nam numus Vespasiani cum anno BOP., et Elagabali cum anno AKT. probant, eam non potuisse incipere citius, et numus Neronis cum anno AOP et alter Trajani cum anno KΣ, non potuisse incipere serius. Causam constitutae aerae non produnt auctores, sed facile est eam ab exemplis finitimarum urbium petere, quae excusso Seleucidarum jugo autonomiam sibi circum haec tempora peperere, quas inter etiam nostra Ascalon numeranda. Docuit Pagius [a]), eam deducendam ab Aristobulo, qui ex Hasamonaeorum gente primus se regem dixit. Sed non satis conspirant tempora, quae ipse alibi dictavit [b]).

Ad hanc epocham etiam exigendi sunt anni in omnibus supra citatis autonomis contenti.

Epocha III. proditur in insigni numo Augusti, quem edidit Pellerinius [c]), et qui est etiam in museo Caesareo. In hujus aversa duplex aera notatur, scripta sic: $\frac{\varsigma N}{BP}$ Certum est, inferiorem annum esse epochae II. orsae ab autumno V. C. 650. Est adeo numus hic signatus ab autumno V. C. 751. Quare initium epochae anni ςN figendum ab autumno 696. Huic enim si addatur ςN, seu 56 detracta unitate, adhaerebimus pariter ad autumnum 751. Non aliud habemus luculentius exemplum aerae duplicis uno eodemque tempore usurpatae. Hanc alteram epocham Pellerinius Pompejanam vocat, quoniam hoc quoque anno, aut sequente Pompejus Raphiae vicinae libertatem concessit, propter quam etiam haec aeram auspicata est ab anno V. C. 697 [d]). At fallitur vir eruditus. Pompejus enim non annis V. C. 696, et 697, quibus ipsi cum rebus Syriae nihil amplius negotii fuit, sed 691 Raphiam et vicinas urbes liberas esse jussit. Aliam stabilitae aerae causam suggerit Iosephus [e]). Narrat is, Gabinium Syriae praesidem obivisse Iudaeam, urbesque eversas instaurasse, inter quas nominat Samariam, Azotum, Scythopolin, Anthedonem, Raphiam, Doram, Marissam, Gazam, et alias, ut addit, non paucas. Fuere hae urbes circum ipsam Ascalonem sitae, ut adeo verisimile sit, ea occasione Ascaloni quoque aliquid beneficii impensum. Certum autem est, Gabinium anno V. C. 697, postquam consulatu decessit, in Syriam missum. Cum igitur hoc anno beneficiis a Gabinio donati aeram inchoarent, ejus principium autumno praecedenti, qui fuit V. C. 696, ut in eo tractu mos obtinuit, illigaverunt. Haec scripseram, cum forte fortuna observavi, Pellerinium sive immemorem eorum, quae scripserat, sive meliora edoctum, causam hujus epochae ad eadem, quae dixi, Gabinii beneficia revocasse [f]).

Epocham IV., et quidem Alexandri M., agnoscit Pellerinius ex hujus urbis tetradrachmis ejus regis nomine signatis [g]), sed quam conjecturam in hujus regis moneta refutavimus.

AE. vix R.

---

a) Crit. Bar. ad V. C. 1030. §. 6. b) Apparat. Chron. §. 45. 46. c) Rec. II. p. 236.
d) Mel. II. p. 315. e) Ant. L. XIV. c. 5. §. 3. f) Mel. I. p. 117. g) Mel. I. p. 115.

Digitized by Google

AZOTVS.

Maritima prope Ascalonem.

Imperatorii:

Vnius tantum generis exstant:

Caput Severi. Ϟ IOTA. ΔOMNA. TTXH. ACΩTIΩN. *Protome Domnae in templo distylo.* (Vaill. Mus. Caes.)

In numis urbs scribitur *Asotus*, at scriptoribus est *Azotus*, quamquam et Hardninus numum citet inscriptum AZΩTIΩN.

AE. RRR.

ELEVTHEROPOLIS.

Mediterranea. Quod fuerit vetus ejus nomen, non satis certo constat. Ejus numos, et historiam descripsit Belleyus [a]).

Imperatorii:

Domnae et Caracallae.

Epigraphe: Δ. CЄΠ. CЄ. ЄΛЄΤΘЄ. *Victoria gradiens.*

Anni imperii: Є. H. et Є. Θ.

Nomen ab imperatore. Vocat se *Luciam Septimiam Severianam.* Causa petenda est ex iis, quae ad Diospolin Samariae monui. Nam hujus, et Eleutheropolis numi spectata epigraphe plene conspirant.

Numos Eleutheropolis reperies apud Haymium [b]), Pellerinum [c]), et Belleyum [d]).

AR. RRR.

GAZA.

Maritima versus Aegyptum, urbs longae vetustatis, in sacris literis dicta עזה, et una ex satrapiis Philisthiim. Quae ad urbis historiam, numorum typos, ac praecipue epocham pertinent, vix aliquid desiderari patitur eruditissimus ac ingeniosus Norisius in opere de Epocha Syromacedonum inde a p. 403, cujus industria de urbis hujus moneta agentem plerumque sublevavit.

Autonomi:

Horum nullus ante Pellerinum cognitus, qui tres reperit. His binos addidit Hunterus.

Caput muliebre turritum. Ϟ ΓA. *Signum* Ч *majore forma totum aversae typum constituens, in area* L. IC. AE. I. (Pellerin.)

Signum istud, ut hic generatim moneam, ita numorum hujus urbis, etiam imperatoriorum, notam characteristicam constituit, ut murex Tyriorum, folium apii Selinuntiorum monetae etc. Certe in numis plerisque saltem minutiore forma areae adfigitur. Ejus signi explicatus a paucis hactenus, quod norim, tentatus est, credo, quod taedebat viros eruditos vanas conjecturas nectere. Subolait Hardnino, esse monogramma ex Γ et I contextum, significans Γαζα Ιω, nam ex gemino Γ alteram notam contextam esse, ut quacunque aspicias, Γ occurrat [e]). Laudemus ingenium. Cum illud aliquam triquetrae speciem prae-

a) B. L. T. XXVI. p 429. b) T. I. p. m. 266. c) Rec. III. p. 247. d) l. c. e) Opp. sel. p. 781. col. 1.

Digitized by Google

ferat, qua varias Argivorum colonias usas fuisse constat, et ex variorum testimoniis constet etiam, Io Argivam Gazae substitisse, ut infra dicetur, verisimile aliquando censui, Gazaeos hoc signo suam ab Argivis originem voluisse indicare [a]). Verum conjecturae modicum inesse pondus ipse satis sentio. Abbas Mignot conjicit esse *Mem* Phoenicium, sed ejus se significationem ignorare profitetur [b]).

Caput Iovis laur. ✠ ΔHMOC. ΓAZAEΩ. IEP. AΣT. *Mulier tutulata stans d. pateram, s. cornucopiae, in area* Ч *et* L. IC. AE. III. (Pellerin.)

Caput muliebre turritum. ✠ ΔHMOT. TΩN. EN. ΓAZH. -- *Figura stans d. elata coronam.* AE. II. (Hunter.)

Inscriptum utrique numo ΔHMOC. singulare prorsus est, et in omni hoc Syriae late sumptae tractu praeterquam in Tabarum Decapoleos numo nunquam, quod hactenus sciatur, usitatum. Huic et praecedenti numo inscribitur annus IC. Alteram hanc notam Pellerinius pro Σ habet, legitque adeo 210, et utrumque numum vi epochae ab anno V. C. 693 deductae signatum V. C. 903. At verisimilius videtur, alteram hanc notam esse episemon, id est, senarii notam, non sigma, et indicari annum XVI. ab aera Gazae V. C. 693 ducendum. Nam primum, si nota illa esset sigma, haberemus in uno eodemque numo eam literam triplice varia forma signatam, nempe Σ, C, et Ɔ, quod minus verisimile. Deinde typus horum numorum cum simplex, tum venustus magis videtur convenire anno V. C. 708, quam 903, quod non obscure colligunt oculi longiore usu ad dignoscendam numorum aetatem condocefacti.

MEINΩ. *Vir militaris capite galeato et habitu succincto stans d. ramum oblongum adprehendit, s. sceptrum.* ✠ ΓAZA. Γ. EΠ. BqP. (qP sunt in monogrammate) *Frutex.* AE. III. (Pellerin.)

De nomine MEINΩ, et epochae anno agetur in imperatoriis. Numi aetas in Hadriani imperium cadit.

AE. RRR.

Imperatorii:

A Vaillantio aliisque citantur ab Hadriano usque ad Paulam, at integerrimum Augusti habet museum Caesareum, aliumque Morellius. (in Impp.) Claudium habemus apud Liebeum [c]), et in museo Neumanni, qui in his omissis aliis nominibus ΣEBAΣTOΣ tantum dicitur, qui mos et in vicina Ascalone valuit.

Epigraphe ΓAZA, neque alia unquam.

Typi:

EIΩ. ΓAZA. *Duae mulieres stantes, quarum sinisterior tutulato capite est, et s. cornucopiae, in aliis tridentem tenet, dexteras jungunt,* Trajani, (Pellerin Lettres p. 168.) Hadriani, Aurelii. (Vaill. Noris.)

Mulier, propter quam scriptum EIΩ, est Io Inachi Argivorum regis filia, quae

a) Num. vet. p. 79. b) B. L. T. XXXIV. Mem. p. 346. c) Gotha num. p. 305.

Digitized by Google

cum adstante Gazae genio dexteram jungit. De Ius apud Gazaeos cultu multa jam alibi copiosius commemoravi [a]), quae hic contractius proponenda. Stephanus (in Γαζα.): *Vocabatur et* Ione *ab* Ione (ἐκ τῆς Ιους), *quae illuc appulit, et ibi permansit.* Idem alio loco (in Ιονιον.) *Ione enim et Gaza vocabatur ab Ione,* (ἀπο Ιους) *bovem habens prope in imagine.* Eustathius (ad Dionys. v. 92.): *Ipsam Gazam Ionem vocant aliqui, ubi bos erat in Ius, sive lunae simulacro. Is enim ex Argivorum dialecto lunam significat.* Auctor Chronici Alexandrini [b]): *Cum subinde ex patria fugisset* (Io,) *missi ad eam inquirendam Argivi, cum in Syriam appulissent, visi sunt sibi videre buculam humana voce dicentem: hic ego sum Io.* Ipsam etiam Io, sed absque adscripto nomine video in numis sequentibus.

* * *

Mulier stans d. hastam, s. cornucopiae, pro pedibus bucula, Aurelii, (Vaill.) Severi. (Pellerin Suppl. II. p. 51.)

Applica, quae modo de simulacro Ius apud Gazaeos cum adstante bove ex Stephano et Eustathio memoravi.

* * *

MAPNA. ΓΑΖΑ. *Diana et Apollo stantes in templo distylo*, Hadriani, Faustinae jun. (Noris, Vaill.)

De Marna apud Gazaeos culto plura collegit testimonia Norisius. D. Hieronymus [c]): *Marnas Gazae luget inclusus et eversionem templi pertimescit.* Idem [d]): *Serapion Alexandriae, et Marnae templum Gazae in ecclesias Domini surrexerunt.* Luculentissime Marcus diaconus in vita S. Porphyrii episcopi Gazae, quae inserta est Actis Sanctorum Bollandi [e]): *Erant autem in civitate simulacrorum publica templa octo, nempe Solis, et Veneris, et Apollinis, et Proserpinae, et Hecates, et quod dicebatur Hieron, seu sacerdotum, et Fortunae civitatis, quod vocabant Tycheon, et MARNION, quod dicebatur Cretagenis Iovis* (ut erudite corrigit Norisius ex Stephano, cujus verba mox dabimus, nam in textu est *Critae generis Iovis*) *quod existimabant esse gloriosius omnibus templis, quae sunt ubique.* Addit infra: *Congregati autem idololatrae in MARNEO multa sacrificia et preces faciebant ea de causa. Dicebant enim, MARNAM esse dominum imbrium. MARNAM vero dicunt esse Iovem.* Stephanus [f]): *unde et Cretaei Iovis* (Κρηταιεα Διος) *templum apud ipsos est, quem nostra quoque aetate vocabant MARNAN, id est: Creta genitum.* (Κρηταγενη.) Ex his ergo testimoniis tenemus rationem inscripti numo MAPNA, et hoc nomine Gazaeis intellectum fuisse ipsum Iovem, ut testatur Marcus diaconus, qui Gazaeus ipse fuit. Quare miror, in citato numo verbum MAPNA scribi juxta signum Apollinis, nisi forte fuit simul cognomen Gazae inditum a Marnae cultu apud eos praecipuo. Huic etiam urbi Harduinus ob easdem causas tribuit numum Titi inscriptum ZETΣ. KPHTA-

a) Num. vet. p. 79. b) pag. 34. edit. Venet. c) Epist. VII. ad Lactam. d) in Comment. ad Isaiae cap. VII. e) T. V. p. 655. f) in Γαζα.

Digitized by Google

ΓΕΝΗΣ., quem uberius descripsi in numis Cretae, quorsum verius pertinet.

* * *

MEINΩ in autonomo supra descripto.

Hoc vocabulum erudite Pellerinius ex Stephano explicat narrante [a]): *Vocata est etiam MINOA, quia Minos cum fratribus Aeaco et Rhadamantho profectus ei de se nomen dedit.* Ergo Gaza *Minoa* quoque dicta fuit, quamvis Pellerinius existimet, vocabulo MEINΩ indicari ipsum heroem militari habitu stantem, quem Minoa regem Cretae censet. Ex quo etiam causam culti apud Gazaeos Iovis Cretagenis tenemus, Minoe eum apud Gazaeos stabiliente. Non hic videtur omittendum indicium Eusebii [b]): ἐστι νυν κωμη Μηνωις πλησιον Γαζης, quod Hieronymus vertit: *et nunc est Menois oppidum juxta civitatem Gazam*, fore scribendum: Μινωις, nam hoc modo scribitur urbs Palaestinae, cujus episcopus Zosimus interfuit concilio Chalcedonensi, ut notat Relandus [c]).

Ceterum Gazae, aut verius Palaestinae cum Creta nexus non modo ex citatis hic numis, et inferioris aevi scriptoribus probatur, verum etiam ex scriptoribus aevi superioris. Certe Tacitus veterem aliquorum opinionem prodidit [d]): *Iudaeos Creta insula profugos novissima Libyae insedisse, qua tempestate Saturnus vi Iovis pulsus cesserit regnis. Argumentum e nomine petitur: inclytum in Creta Idam montem, accolas Idaeos, aucto in barbarum cognomento Iudaeos vocari.* Quae opinio ita occupavit Graecos veteres, ut LXX. scripturae Hebraicae paraphrastae vocem כרתים, *Cerethaei*, aliquoties in sacris literis occurentem non dubitaverint Graece reddere Κρητας, et παροικους Κρητων. Quare et Theodoretus [e]) revera existimat appulisse quosdam e Creta, et maritimum eum tractum insedisse. Hunc autem tractum fuisse eum ipsum, in quo Gaza stetit, verisimile fit expenso Ezechielis loco [f]), in quo legitur: *propterea haec dicit dominus deus: ecce ego extendam manum meam super Philistaeos, et occidam Cerethaeos.* Ergo Cerethaei fuere pars Philistaeorum, in his vero sitam Gazam constat. Animadvertendum etiam, eruditum Huetium tantam adfinitatem Mosen inter, et Minoa Cretensem deprehendisse, ut crederet, utrumque unum esse eundemque, et solo nomine varium. Haec prolixius exposuit eruditus Gabriel Brotier in suis ad Tacitum animadversionibus [g]).

* * *

Hercules innixus clavae, Hadriani, aliorumque.

Fortuna stans, Antonini. (Vaill.) Videtur esse haec Fortuna eadem, quam Marcus diaconus supra citatus vocat simulacrum *Fortunae civitatis, quod vocabant Tycheon*, et quae in numis inscriptis ΕΙΩ stans cum cornucopiae cum Ione dexteram jungit, ut diximus.

Generatim typi omnes sunt ex Graecia pura petiti, nullo Astartes indicio in vicinarum urbium moneta obviae, quo insuper confirmatur sententia Iosephi

a) in Γαζα. b) in Onomast. c) Palaest. ill. p. 664. d) Hist. V. 2. e) Animadv ad Sophon. Cap. II. v. 5. f) Cap. XXV. 16. g) T. III. p. 538.

Digitized by Google

adserentis, Gazam fuisse urbem Graecanicam [a]), et, quod supra innui, verisimiliter Argivorum coloniam. Quin adhuc Iuliani apostatae aetate fuisse Graecorum superstitioni supra modum addictam queritur Sozomenus [b]).

* * *

Sacra et asylum, IEP. ACT. in solo autonomo supra memorato. Gaza sub ipsis etiam imperatoribus variis titulis fuit locuples, ut docet marmor Muratorianum [c]), in quo Gordianum honorat ἡ πολις ἡ των Γαζαιων ἱερα και ἀσυλος και ἀυτονομος, πιςη, ἡ ἐυσεβης λαμπρα και μεγαλη ἐξ ἐγκλυσεως τυ πατριυ θευ, *civitas Gazaeorum sacra et asylum, suis legibus utens, fidelis, pia splendida, et magna ex oraculo*, vel *monito patrii dei*, scilicet Marnae, non, ut interpretatur Muratorius: *ex Enclyseo patrio deo*, addito, *quis deus sub nomine Enclysei coleretur ibi, ignotum mihi est.* In numis Philippi patris: EX ORACVLO. APOLLINIS., et alibi passim. Marmora inferioris aevi raro probam Graecitatem sequuntur, et saepe necesse est sententiam aliorum marmorum subsidio eruere.

* * *

Epocha.

L. IE. in autonomis citatis, quas notas dixi indicare XVI.

L. ZΓ., id est: ΞΓ. Augusti. (Morelli Impp. Tab. 39. n. 15.)

L. Ξς. ejusdem. (Mus. Caes.)

L. PI. Claudii. (Liebe p. 305.)

PNΘ. Trajani. (Pellerin Lettres p. 168.)

Γ. ЄΠΙ. BqP. Hadriani. (Vaill.) Idem annus est in autonomo supra citato.

Δ. ЄΠΙ. ΓqP. et Є. ЄΠΙ. ΔqP. Hadriani. (Vaill. Noris.) E. ЄΠΙ. EqP. (Mus. Caes.)

BC. Antonini, et post medios plures.

HIC. (Vaill.)

ΔKC. Aurelii, et Veri. (Vaill. Mus. Caes.)

ZKC. HKC. ΘKC. ΛC. Aurelii, Faustinae jun. (Vaill.)

ΘΛC. Commodi. (Pellerin Suppl. II. p. VI.)

MC. Ejusdem. (Haym T. II. p. m. 296.)

HMC Ejusdem. (Vaill.)

HNC. Severi. (Arigoni.) Caracallae. (Vaill.)

ΘNC. Caracallae. (Vaill.)

ΞC. Severi. (Mus. Caes.)

AΞC. Severi, Domnae. (Pellerin.)

ΔΞC. Plautillae. (Noris, Vaill.)

HΞC. Severi. (Haym.)

ΠC. Elagabali. (Vaill.) Paulae. (Pellerin.)

Epocha I. Norisius epocham Gazaeorum ducit ab autumno V. C. 693. refutatis aliorum sententiis, qui eam aliquanto antea, vel post inchoarunt. Iudicium praeivit auctor chronici Alexandrini, qui Gazaeos sua tempora numerare ab anno IV. Olympiadis 179 adserit, qui respondet anno V. C. 693. Addit argumentum aliud ab anno ordinationis S. Porphyrii episcopi sumptum ex laudato saepe Marco diacono, quod quia prolixius est, et implexius, brevitatis causa omitto. Numi, quos recitat, parum doctrinam juvant. Numus

a) Ant. L. XVII. c. 11. p. 4. b) Hist. eccl. L. V. c. 3. c) pag. 1048. 5.

Digitized by Google

Plautillae per inscriptum annum ΔΞC. probat, epocham Gazae ante annum 692. non posse incipere; nam addito huic 264. obtinebimus annum V. C. 956, in cujus autumno exivisset annus Gazaeorum ΔΞC, at hoc primum anno in aestate secundum aliquorum sententiam, verius exeunte anno superiore constat Plautillam Caracallae nupsisse. Neque initium aerae in annum posteriorem anno 694. dimoveri potest; nam constat, vix anni spatio eam cum Caracalla fuisse conjunctam, Liparam a Severo in exilium actam. Quare cum auctore Chronici Alexandrini Norisius autumno V. C. 693. adhaerendum censet. Causam constitutae hoc anno epochae repetit inde, quod Pompejus quidem anno V. C. 691 coercitis intra terminos suos Iudaeis Gazam, aliasque Palaestinae urbes Syriae contributas libertate donavit, at cum Gaza propter illatas ab Iudaeis clades nimium fuerit exhausta, ea nonnisi biennio post civitatis formam potuit constituere.

Epocha II. in quatuor Hadriani numis supra descriptis, in quibus ea notatur sic: Γ. ЄΠΙ. BqP. etc. Cum praepositae literae aequaliter cum epochae annis procedant, dubitari nequit, eas esse arithmeticas, et coeptam epocham novam constituere, sic ut τῷ Γ. ЄΠΙ. BqP. sensus sit: *annus III. aerae novae, qui respondet anno* 192 *aerae veteris.* Istud luculente comprobatur exemplo vicinae Ascalonis, quae in Augusti numo, ut vidimus, duplice quoque aera usa est, sed proposita sic: $\frac{\varsigma N}{BP}$ pro quo Gazaei scripsere Γ. ЄΠΙ. BqP., sic tamen, ut haec formula idem valeat, ac si scriptum foret $\frac{\Gamma}{BqP}$. Censet Norisius, Gazaeis novae hujus aerae causam fuisse Hadriani in Syriam adventum, qui cum contigerit anno V. C. Iuliano 883, Gazaeos ejus principium fixisse ad autumnum V. C. 882. Non nego, Hadriani adventum novae aerae causam dedisse, at negat numus E. ЄΠΙ. EqP., quem tum, cum haec typis exprimuntur, in museum Caesareum intuli, Gazaeos novam hanc aeram eidem autumni diei, a quo vetus pendebat, illigasse. Etenim idem annus E aerae novae occupat partem anni ΔqP., et partem anni EqP aerae veteris, quod fieri non posset, si unum utrique fuisset anni principium, quo modo supra pag. 281 vidimus, eundem annum Antiochenum HP sociari cum binis annis Neronis E et ς. Forte idem ille dies fuit novae hujus aerae principium, de quo ait Chronicon Alexandrinum: Hadrianus Gazae *festum diem instituit, qui hodieque appellatur Hadriani.* Notandum in numo Pellerianio elementum ꟼ compositum, quod valet qP. Sic et in numo Neocaesareae Ponti vidimus PMR, literis MR colligatis.

Numi Augusti supra citati cum annis ΞΓ, et Ξς, qui respondent annis V. C. 755 et 758, confirmant, quod de Gaza refert Iosephus. Nam cum narrasset, Octavianum post victoriam Actiacam in Aegyptum transgressum Herodi M. Gazam aliasque urbes vicinas donasse [a]), idem perhibet alibi, Herode mortuo

a) Ant. L. XV. c. 7. §. 3.

Digitized by Google

Augustum filio Archelao ademisse Gazam, Gadara et Hippum, quia Graecae fuere civitates, easque cum provincia Syriae conjunxisse [a]). Mortuus est Herodes V. C. 750. Numi memorati signati sunt aliquot post annis, ex quo Gaza ditioni Romanae accessit.

AE. R.

NICOPOLIS.

Prope Hierosolymas, olim *Emmaus*. Hieronymus post Eusebium [b]): *EMMAVS - - - haec est nunc Nicopolis, insignis civitas Palaestinae.* Idem Sozomenus [c]): *Vrbs est in Palaestina Nicopolis hodie dicta. Hanc divinus Evangeliorum liber Emmauntem appellat. Post excidium Hierosolymorum Romani Nicopolin vocarunt, ex eventu autem belli nomen imposuerunt.* Dubitari nequit, novam hanc appellationem oppido inditam ab DCCC. militibus emeritis, quibus Vespasianus excisis Hierosolymis Emmaus inhabitandum concessit, ut refert Iosephus [d]). Fuit ergo Nicopolis ab origine sua mox colonia, at mutatus certe ejus fuit status, et quidem haud multo post; nam neque inter colonias a scriptoribus refertur, et ejus numi nihil habent coloniae.

Numos hujus urbis pro more erudite illustravit Belleyus [e]).

Imperatorii:

ΑΥΤ. Κ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟC. CЄΒ. ΓЄΡΜ. ΔΑΚΙΚΟC. *Caput Trajani.* Ɪ ΝЄΙΚΟΠΟΛЄΩC. ЄΤΟΥC. MB. *Victoria.* AE. (Belley ex Pembrock.)

ΘЄΑ. ΦΑΥCΤΙΝΑ. *Caput Faustinae sen. velatum tutulatum.* Ɪ NI. BO. *Tres spicae colligatae intra lauream.* (Belley.)

Epocha. Hujus exordium Belleyus jure petit ab anno V. C. 824, quo Vespasianus post excisam Iudaeorum metropolin veteranos teste Iosepho in hac urbe collocavit, ut dictum. Cum hoc principio uterque numus recte componitur. Trajani numus signatus est inde ab autumno V. C. 865, Faustinae ab autumno 895. Ea anno praecedente e vivis sublata fuit. Quare in hoc numo cum omnibus consecrationis argumentis proponitur. Satis vel ab ipsis his numis erroris arguitur Iornandes, qui anno IV. Elagabali Emmauntem in Iudaea exstructam, et Nicopolin nominatam refert, quo in errore secutus est antesignanum Eusebium [f]).

AE. RRRR.

RAPHIA.

Maritima et extrema versus Aegyptum.

Imperatorii:

Caput Commodi juvenile, epigraphe dempto ΚΟΜΟΔΟC. *extrita.* Ɪ ΡΑΦΙΑ. ΖΛC. *Diana stans.* (Noris Ep. Syrom. p. 438. Vaillant.)

Caput Caracallae. Ɪ ΡΑΦΙΑ. ϛΞC. *Apollo stans cum lyra.* (Vaill. Harduin.)

Caput Alexandri Sev. Ɪ ΡΑΦΙΑ.

a) Ant. L. XVII. c. 11. §. 4. b) Onomast. in *Emmaus.* c) L. V. Hist. eccl. d) Bell. Iud. L. VII. e) B. L. T. XXX. p. 294. f) in Chronico.

Digitized by Google

IЄP. qC. *Serpens tridenti implicatus.* (Panel. Mem. Trev. Octob. 1737.)

Epocham repetit Norisius a beneficio Pompeji, qui V. C. 691 hujus tractus urbibus Iudaeorum jugo pressis libertatem restituit. Verisimile tamen censet, exemplo vicinae Gazae eam coepisse biennio serius, nempe V. C. 693. Tamen neque ab anno 697 magnopere alienus est, nempe quo Gabinius Syriae praeses complures hujus orae urbes instauravit, quas inter Iosephus Raphiam diserte nominat, ut supra in Ascalone ad epocham III. dixi, quae eadem aera Gabiniana usa est. At cum Ascalon, ut ibi demonstratum est, Gabinianam hanc suam aeram duxerit ab autumno V. C. 696, fieri etiam potuit, ut eandem Raphia ab eodem etiam anno duceret. Dubium istud plurium adhuc numorum subsidium postulat.

AR. RRR.

NVMI SIGNATI NOMINE AVT IVSSV PRINCIPVM IVDAEAE.

Universam hanc seriem in tres classes, ut res ipsa postulat, tribuimus, I. in numos Hebraice inscriptos, aut saltem bilingues, qui ipsi sunt numi principum Macchabaeorum, II. in numos regum Herodiadum, III. in numos Augustorum nomine cusos.

CLASSIS I.

Numi Hebraice inscripti, seu numi principum Macchabaeorum.

Haec numorum classis inde a saeculis duobus cum semisse eruditorum ingenia mire exercuit, propterea quod cum sacrarum literarum studio causa linguae et historiae sacrae penitus connectitur. Primus eorum meminit Wilhelmus Postellus in *Alphabeto XII. linguarum* Parisiis anno 1538 edito. Post hunc numos hujus argumenti, qui sibi obtigerunt, explicare adorti sunt viri meis encomiis majores, Arias Montanus, Vilalpandus, Kircherus, Adrianus Relandus, Harduinus, qui multa feliciter ac erudite dictavere, in multis adhaesere, quia defuerunt numi plures, quos contenderent. Horum moniti erroribus certiora deinceps docuerunt Conringius in *Paradoxis de numis Hebraicis*, Soucietus in opere Gallice scripto: *Dissertation sur les Médailles Hebraiques, appellées communement Samaritaines*, Frölichius in *Prolegomenis annalium rerum et regum Syriae*, Barthe-

Digitized by Google

lemyus variis in dissertationibus, cujus praeclara judicia, cum res tulerit, dabimus. At omnium hactenus laudes superavit Franciscus Perezius Bayerius archidiaconus Valentinus suo *de numis Hebraeo-Samaritanis* Valentiae Edetanorum 1781 edito opere, non minus a chartae, characterum, iconum nitore, quam eruditionis, ac sani ingenii laude omnium, qui sobrie judicant, suffragia promerito. At cum deinde existeret nonnemo, qui negata numorum Samaritanorum fide in ipsum etiam virum praestantem calamum inofficiosum stringeret, quam causam infra capite II. latius tractabimus, altero nos opere donavit, quod *numorum Hebraeo-Samaritanorum vindicias* inscripsit ibidem anno 1790 eodem nitore ac voluminis mole vulgatum. Literarium hujus doctrinae progressum erudite enarratum habes apud Fabricium in Bibliographia antiqua cap. XVI. §. 10, apud eundem Bayerium in opere priore inde a pagina 9, in libello Eberhardi Hauberi Germanice scripto: *Nachricht von den jüdischen Samaritanischen Münzen, Kopenhagen und Leipzig* 1778, et apud industrium Rasche in Lexico sub *Ebraeorum numi.*

Quod hactenus a me constitutum est, quando argumentum aliquod copiose a majoribus tractatum fuit, ut quod optimum est ac scitu necessariam, ex iis decerpam, refutatis iis, in quibus errasse sunt visi, in hac quoque causa mihi praescribendum putavi, sic tamen, ut nemo non intelligat, non perfunctoriam meam fuisse operam, quam examinandis eorum, qui praecessere, scriptis impendi. Antequam ad ipsam numorum explicationem procedo, prolegomenorum instar aliquot sunt capita praemittenda, quorum I. aget de charactere numorum Hebraicorum, II. de eorum fide, III. de eorum aetate, denique IV. de nominibus, pondere, ac materia monetae Hebraicae.

CAPVT I.

De charactere numorum Hebraicorum.

Numos Hebraicos duplice charactere insignes reperimus, uno, qui *Samaritanus* dicitur, altero, qui *Hebraicus quadratus*, et *Assyrius* quoque appellatur, quo in hanc diem biblia exarantur. Numi Hebraici genuini omnes priorem Samaritanum exhibent, qui posteriorem quadratum, cujus generis sunt obvii in omni metallo sicli, tum numi cum effigie Adami, Davidis, Christi etc. modernae artis sunt omnes. Quod cum omnium confessione certum jam putetur, mirum videatur, ante annos non multos Hieronymum Gradenigo archiepiscopum Vtinensem edita dissertatione siclum argenteum Assyriis literis inscriptum in vere antiquorum numero putasse.

Vter character sit antiquior, saepe disputatum. Fuere, qui honorem hunc tribuerent Assyrio, atque hoc tabulas legis scriptas, et fuisse Mosi familiarem contenderent. Alii vetustiorem Samaritanum adfirmant, eum vero, quem Assyrium dicimus, a Iudaeis post LXX. annorum captivitatem ex Chaldaea reducibus adhiberi coeptum, quam ego litem nostrarum esse partium non puto, cum nosse nobis sufficiat, numos, de quibus unis agimus, nonnisi Samarita-

Digitized by Google

num characterem praeferre. Qui amplius sese instrui cupit, adeat eruditos Gallos auctores *novi tractatus diplomatici*. (Tom. I. p. 593.)

At quaeritur, cur Hebraei characterе Samaritano, non Assyrio suos signaverint numos. Ejus causam hanc statuit Froelichius [a]). Duplicem, ait, fuisse Hebraeis characterem, ut et populis aliis, Aegyptiis, Phoenicibus etc.; Horum unum fuisse sacrum, quo lex scribi solita, alterum usus civilis. Ejus discriminis vel illud unum esse argumento, quod sacra biblia more memoriam omnem excedente diverso charactere exarata sunt ab illo, quem in numis habemus. Sed accedit et auctoritas Rabbi Obadiae a Bartenora distinguentis inter scripturam Cuthiim, id est: Samaritanorum, qua, ait, usum fuisse Israel in rebus profanis et moneta argentea, quae nunc quoque reperitur, et quae (ut ipse perperam censet) percussa est tempore regum Israel, et eodem charactere signata. Scriptura autem, inquit, qua nos scribimus libros hodie, dicitur scriptura Assyria, estque scriptura tabularum legis. Sed praetensum istud discrimen utriusque characteris vario modo adhibiti non admittunt laudati diplomaticae novae scriptores [b]), neque cl. Chishul [c]), aliique, ut neque admittere videtur Bayerus, cum probare intendit, etsi argumentis minus solidis, Christi aetate Samaritanas literas apud Hebraeos exolevisse [d]).

Neque vero etiam satis expedita ratio, cur character hic dicatur Samaritanus. Ejus causam altius petitam hanc adfert Frölichius: literas, ait, Samaritanas multo esse antiquiores ipso vocabulo *Samaritanus*, quod constet, Samariam nonnisi annis circiter CM. ante Christum conditam. Captam subinde bis ab Assyriis Samariam, Chutaeis serius Babylone eo traductis, quos adeo verisimile est, sensim Cananaeorum linquam didicisse, et literas usus civilis usurpasse. Samaritanos hos sub principibus Macchabaeis saepe victos, ac tandem Samariam ipsam ab Hyrcano eversam tradit Iosephus. Excisis sub Vespasiano Hierosolymis, et gente sub Hadriano per totum orbem dispersa exolevit inter Iudaeos character civilis, cum cogerentur uti charactere civili ejus regionis, in qua viverent, quin tamen alterum sacrum cum religione penitus connexum omitterent. Verum Samaritani, qui, quoties Iudaei ab externo hoste premebantur, toties se Iudaeos esse pernegabant, relicti adeo suis sedibus, usitatum characterem retinuere. Atque hanc unam causam putat Froelichius, cur post Iudaeorum dispersionem Hebraicus hic et civilis character, et quem in numis conspicimus, *Samaritanus subinde* ab Hebraeis appellaretur.

Alphabetum ex scriptura Samaritana conflatum post alios correctius edidere Froelichius [e]), et Galli diplomaticae novae auctores [f]). Aliud ex numis captum exhibent Bianconus [g]), et

---

a) Annal. Syr. proleg. p. 75. b) l. c. p. 597 et 600. c) Ant. Asiat. p. 28 nota 51.
d) de num. Hebr. p. 238. e) l. c. f) Tom. I. p. 654. g) de Ant. lit. Hebr.

Digitized by Google

Bayerius [a]), Froelichianum et Bayerianum restituit Raschius [b]). Nobis placuit sistere alphabetum Samaritanum, quale illud postremo Bayerius in Vindiciis suis pag. 120. vulgavit. Altius pag. 404. illud cum Phoeniciorum alphabeto conjunctum dedimus.

CAPVT II.

De fide numorum Hebraicorum.

Si Talmudistis credimus, Hebraici varii generis numi varia aetate apud Iudaeos valuere. Olaus Tychsenius pagina 12 libelli sui, quem de mala numorum Samaritanorum fide conscripsit, et de quo infra copiosius agemus, aliquot ex his auctoribus testimonia congessit. In tractatu Sanhedrin Talmudis Hieroselymitani circa annum 300 a nato Christo scripti, mentio fit numi cum imagine regis Saulis. Fertur enim ibi Abigail Nabalis uxor Davidi obsequium detrectasse per causam, quod *moneta domini nostri Saulis adhuc in usu esset.* Vide ibi numos alios Davidis, et Salomonis, Isaaci et Rebeccae, Abrahami et Sarae, Iosue, Davidis, Mardochaei ex his legis Iudaicae παραφρασταις captos. Verum hi id genus numos aut sponte confinxere, aut illi eorum aetate re vera exstitere, sed a misello hoc populo per terrarum orbem dispersо in memoriam pristinae fortunae fabricati, quo modo videmus, in numis contorniatis, qui Romae inferiore imperatorum aevo percussi sunt, insignium praeteritae aetatis virorum memoriam, nulla tamen auctoritate publica, fuisse renovatam. Istud tamen ex his Talmudistarum testimoniis discimus, similis naturae numos, qui hodie omnium manibus teruntur, et quorum capite praecedente memini, nequaquam novicium esse saeculi nostri, ac proxime praecedentium inventum, sed jam primis post Christum saeculis ob causam, quam verisimilem dixi, in vulgus editos. Ceterum quamcunque hanc mercem in vetere Hebraeorum moneta non esse putandam, facile ex iis, quae partim jam diximus, et magis definite docebimus deinceps, elucescit. Denique generatim, quod jam fere inter omnes convenit, neque adeo longius probare attinet, in monetae spuriae classem rejicimus numorum agmen, qui, cujuscunque sint aevi, charactere quadrato, sive Assyrio, non eo, quem Samaritanum dicimus, insigniuntur.

At fuere viri docti, qui numos quoque Hebraeo-Samaritanos nullo dempto in spuriorum numerum amandavere, ex quibus lubet proferre, qui postremus hoc in argumento versatus est, auctorem libelli Germanice scripti, cui titulus: *Die Undchtheit der jüdischen Münzen mit hebrdischen und samaritanischen Buchstaben, bewiesen von Oluf Gerhard Tychsen, herzogl. Mecklenburgischen Hofrath, Professor der morgenländischen Litteratur zu Bützow. Rostock u. Leipzig* 1779. Id est: *Falsitas numorum Iudaicorum cum Hebraicis et Samaritanis literis, demonstrata ab Olao Gerardo Tychsenio ducis Mecklenburgici consiliario, linguarum Orien-*

a) l. c. p. 224. b) Lexic. Tom. IV.

Digitized by Google

talium Bützovii professore. Rostockii et Lipsiae 1779. Hujus libelli indicium cum primum ad me perlatum fuit, mirari mecum ipse, quo pacto vir nulla hactenus ex studiis nostris laude spectatus spondere possit *demonstratam* falsitatem numorum, quos plerique saeculi praeteriti antiquarii, praesentis omnes, qui in arena nostra excelluere, fraudis suspicione immunes sunt professi. Crevit admiratio, quando deinde opus ipsum inspicere, et argumentorum obtusam aciem, quorum mox summa capita exponam, contigit experiri. Prodiit biennio post indicatus supra Perezii Bayerii de numis Hebraeo-Samaritanis liber, nostrum quidem omnium communi applausu acceptus, at Tychsenio invisus, et quod postea patuit, gravissimarum irarum causa. Quas enim tum admoverit machinas homine liberali plane indignas, quibus uti non solent, nisi qui causae suae viribusque indubitant, ut praeclari adversarii elevaret existimationem, Bayerius ipse amare conqueritur in opere, quod Tychsenii criminationibus provocatus vulgare nuper coactus fuerat, quodque operis sui praecedentis *Vindicias* inscripserat.

Summa sententiae a moroso hoc judice latae haec est: numos Hebraeo-Samaritanos ad unum omnes esse spurios, et opus ab impostoribus in tenebris peractum, et cupidis antiquariis obtrusum. Et causae quidem temerariae patrocinium auctoritatibus agere instituit. Ait, istud ipsum non paucis viris eruditis visum, Othoni Sperlingio, Christophoro Wagenseilio, Iacobo Basnagio, Carolo Patino, Francisco Wise, ac non ita pridem Adlero, Arizarrae, Dobrowskio, denique Iulio Schlaegero. At pace Tychsenii ex hoc numero eximendi certe sunt Wisius, et Adlerus; neque enim hi universam Hebraeorum monetam impugnavere, sed quosdam tantum numos, ut dicetur infra. De reliquis antequam judicium fero, nosse cumprimis velim, cum de numorum veterum fide, atque integritate agitur, nequaquam audiendos aut vetustiores artis nostrae magistros, quibus non tanta, quanta hodie, numorum copia praesto fuit, aut eos, qui majorem operam ad colligendam ex numis veteribus eruditionem, quam ad examinandam eorum fidem attulere. Omnes, quos continuo enumeravi, si Patinum demas, ad alterutram classem pertinent, quin sunt in horum numero nonnulli, quorum de re numismatica merita fere sunt ignota. Magnum Tychsenio ad causam suam momentum in judicio Schlaegeri, thesauro Saxo-gothano praefecti, quem in libello Germanice scripto dejerat, omnium, qui per Europam scientiam numorum profitentur, sine dubio esse praestantissimum, cujusque ad ejus libelli calcem epistolam ad se scriptam adfert, qua eruditus is vir testatur, nullum sibi hactenus numum charactere Samaritano inscriptum occurrisse, qui secundum artis nostrae leges aut non propalam falsus, aut saltem non suspectus sibi esset visus. Qua ejus sententia magnifice collaudata addit continuo Tychsenius: *et dubitabimus adhuc, quo minus numos Hebraicis, vel Samaritanis literis inscriptos ad unum omnes ab impostoribus fabricatos statuamus?* Quibus perlectis coepi pendere animi,

Digitized by Google

utrum praestet, hominem isthaec tanta cum fiducia effutientem justo deridiculo permittere, an lapidem illi sophronisterem a propitia Minerva exorare. Nolim vel minimum veris Schlaegeri laudibus detrahi, at magno miramur opere, praeclarum illum virum aevo suo dici inter rei numismaticae magistros principatum obtinere, quo in vivis adhuc fuere Belleyus, Pellerinius, Barthelemyus, Enneryus, aliique, quibus omnes nos in monetae veteris cognitione lubenter adsurreximus, atque istud dici a Tychsenio, nullis hactenus in arte nostra experimentis cognito. Nemo, opinor, nostrum erit, qui spectatis scientiae numismaticae meritis Schlaegero non longe praeferat Christianum Liebeum, cui is in regenda gaza Saxo-gothana successit, qui tamen monetam Samaritanam genuinam agnovit, comprobavitque a). Ac nescio, quae tanta sit Tychsenio in Schlaegeri judicio confidentia. Multo is Tychsenio moderatior, atque circumspectior nequaquam adfirmat, nullum exstare numum Hebraicum certae fidei vix enim, inquit, decimam partem scriniorum, quae veterem monetam ubicunque continent, sibi inspicere licuisse. Istud unum adserit, nullum *sibi* id genus numum hucusque conspectum, quem confidenter genuinum spondere possit. Enimvero ex his dictis nemo arguerit, Schlaegerum universo hujus monetae agmini fidem negasse, nisi is, cujus intererat, exitiale de omnibus his numis ferri judicium.

Sed contendamus et nostras auctoritates, et quantum hae et numero, et excellentia Tychsenianis praestent, lectoris arbitrio permittamus. Missis interim Rabbanitis Nachmanide, Azaria, Alaskero, qui hoc numorum genus ante renatas literas probavere, quorumque infra testimonia proferemus, en tibi certos eorum patronos Wilhelmum Postellum, I. B. Vilalpandum, Ioh. Morinum, Athanasium Kircherum, Hottingerum, Coringium, Bochartum, Relandum, Eisenschmidium, atque ne horum nimium auctoritati tribuamus, quia constat, magis illos illustrandae cuipiam philologiae parti, quam privatim arti numismaticae impensius vacasse, en tibi rursum illustria nomina, Hardouinum, Spanhemium, Soucietum, et qui nostro aevo inclaruere, Liebeum, Frölichium, Pellerinium, Barthelemyum, Enneryum, Dutensium, Combium, Woidium, Bayerium, quorum, praecipue quos postremos nominavi, non modo scientiam in explicandis numis, sed etiam usum in explorandis adprobandisque nemo nostrum est, qui non maximis laudibus gestiat efferre. Atqui horum si fallunt judicia, alterutrum necesse erit consequi, aut stupidi omnes fuisse ingenii, qui, cum Parisiis, Londini, Madriti, Vindobonae ad regias, aut privatorum gazas, sed quae regiis aequiparari possunt, adsiderent, in mediis suis copiis opibusque non viderunt, quod Butrevii in sua monetae veteris egestate vidit Tychsenius quidam, aut fuisse mendaces, ac falsiloquos, qui, quacunque spe, quocunque animo, falsum pro vero potuerunt efferre. Libenter Tychsenio meam quoque auctoritatem opponerem, qui in museo Caesareo justum numerum

a) Goth. num. p. 145.

Digitized by Google

monetae Hebraicae, probissimorum me judice natalium, conserve; verum qui praestantissimorum virorum contempsit judicia, qui palam ausus est adserere, momenta Bayerii *nullius* esse roboris, et se *demonstrasse* falsitatem numorum Samaritanorum, quo pacto sperem meam illi auctoritatem profuturam? Vt tamen aequum lectorem securum reddam, si quis forte Tychsenii argumentis volet adstruere fidem, et ejus conatum non potius incredibilem animi pertinaciam, et ὄρμην putare, lubet nuperum Barthelemyi, nobilissimi in arena nostra palaestritae, testimonium arcessere, quod scriptis in hac causa anno 1790 ad Bayerium literis inseruit, et quas hic ad calcem suarum Vindiciarum adjecit. Ejus verba sunt: (pag. VI.) *J'admire le zèle, avec lequel vous soutenez l'honneur des médailles Samaritaines; je n'aurois pas ce courage. Si l'on doutoit de leur authenticité, il faudroit douter de celle des médailles Grecques, et des Romaines. Je n'ai pas lu l'ouvrage de M. Tychsen, mais quand même ses raisons seroient très ingénieuses, elles n'affoibliroient jamais l'autorité des monumens qu'il veut détruire. Tous les grands Cabinets de l'Europe contiennent des médailles Samaritaines; celui du Roi en particulier, par les nombreuses aquisitions qui se sont faites de mon temps, en conserve plus de 80. Partout elles ont été scrupuleusement examinées par des Antiquaires à qui une longue expérience avoit appris à discerner les pièces vrayes d'avec les pièces fausses, partout on a deposé en leur faveur, etc.* Nemo ergo deinceps de numorum Samaritanorum fide dubitabit, nisi qui una volet Barthelemyi excellentiam tam illustribus hactenus argumentis comprobatam numismaticis Tychsenii ratiociniis extra hanc causam plane ignotis inferiorem ducere.

Factum forte fortuna, ut aliquot abhinc annos, quo tempore hanc de numis Hebraicis lucubrationem adornaveram, inciderem in libram Germanice scriptum, cui titulus: *Bibliothek der alten Litteratur und Kunst. Göttingen* 1786. In ejus operis parte I. pagina 201 vidi de laudato altius Bayerii libro, qui numos Hebraeo-Samaritanos explicat, praeclarum ferri judicium a viro quopiam erudito, qui nomen suum solis literis *Ch.* expressit, a quo praeterea intellexi, Tychsenium mentem de impugnata a se numorum Samaritanorum fide mutasse. Fateor, non mediocrem me ex eo indicio cepisse voluptatem, cum viderem, apud virum praeclarae indolis consilium bonum, etsi serum, plus opinione praejudicata valuisse, atque, ut ait vetus proverbium: (Diogenian. Proverb. Cent. II. §. 76.)

Αλλοτε μητερη πελει ἡμερα, ἀλλοτε μητης,

obortam illi denique diem matrem, quae saniora doceret, quam olim dies neverca docuerat, gratulabar. Quare ejus viri honori magis consultum putabam, si, quae ipse damnavit, non amplius recoquerem, et amico silentio praeterirem. Sed neque istud nobis solatium reliquum fecit. Etenim in libello, quem anno 1787 Butzovii edidit, quemque Bayerius Vindiciis suis pag. 71 ad verbum inseruit, profitetur ipse, *indignabundum sese in prima parte Bibliothecae Göttingae anno superiore exousae fabulam*, se opinionem de fictitia numorum Samaritanorum conditione deposuisse, *relatam legisse*, ac mox in falsum ejus indicii aucto-

Digitized by Google

rem graviter invehitur. Haec cum legissem, cepi consilium, quod sane dempto Tychsenio omnibus facile probabitur, incredibilem ejus, et obnixam adversus bonam causam obstinationem perstringendi. Sed desino longius molestum argumentum persequi, ne mihi irascar ipse, ob quam causam leviter succensui praeclaro Bayerio, quem nollem in refutandis imbellis inimici judiciis tam operose versatum, et amplas nobis Vindicias, receptis in eas futilibus Tychsenii criminationibus, scriptisque ad se ejus literis, quarum sententiam nemo eordatus erit, qui nosse cupiat, aut cognitam non aspernabitur, propinasse. Satis hercle fuerat edixisse, in urbium illustriorum museis exstare numos Samaritano charactere insignes, eorumque fidem a viris in arte nostra principibus copiose approbatam, illorumque eos manibus quotidie teri, minimumque eo laborandum, quod rariores hos numos aut non viderit Butzovium, aut eruditus quidam Butzoviensis non adprobaverit.

Quos hactenus memoravi auctores, omnibus ad unum numis Samaritanis bellum ἀσπονδον indixere. Mitior fuit virga censoria Hadriani Relandi, et Francisci Wise Anglì, sed tamen necdum, ut oportuerat, indulgens. Nam aeneis Hebraicis dandum quidem jus civitatis censuere, at in spuriorum numero habendos sicles omnes, etsi Samaritanis literis insignitos. At vero ex omnibus Wisii argumentis a me adcurate expensis nullum reperi, quod eos reprobandos continuo suaderet a). Ait, eos a falsariis lucri cupidis effictos obtrusosque, et eruditis fucum factum. Novimus malas falsariorum artes, at si valet viri praestantis accusatio, nullius aut populi, aut regis habebimus numum vere veterem, quoniam in omnium horum numis imitandis sese fraus recens exercuit. Non negamus, ex his quoque numis multos esse maligni commatis, damus etiam, falsos esse omnes illos, qui sibi conspecti fuere, at non propterea eadem ignominia notandi sunt ejus generis omnes alii. Cusa fuisse apud Hebraeos numismata argentea cum eadem utrinque inscriptione ac typo, qualem infra in moneta Simeonis dicemus, certum est ex testimonio rabbanitae Mesis Ben Nachman Gerundensis, quod quoniam hos numos eximie illustrat, lubet totum adferre. In hujus appendice ad Perusche Hattorah haec leguntur: *Benedixit mihi hucusque deus, quod dignus habitus fui, et perveni Acho, et inveni ibidem in manu seniorum istius terrae monetam argenteam sculptam sculpturis sigilli, in cujus latere erat quasi aspectus virgae amygdali, et ex altero quasi aspectus* צלוחית, *id est:* amphorae, *et in amborum laterum ambitu scripturae insculpta satis evidens. Et ostenderunt scripturam Cuthaeis, qui legerunt eam illico. Est enim scriptura Hebraea residua Cuthaeis illis, prout memoratur in Massichta Sanhedrim. Legerunt autem e latere uno:* השקלים שקל sicles siclorum, *et ex altero:* ירשלים הקדשה Ierusalem sancta, *et dixerunt, quod virga baculi Aaronis sunt amygdali et flores ejus, et figura secunda urna mannae.* Non opinor Wisium numi hujus fidem in dubium vocaturum, nam scripta

a) Mus. Bodl. p. 214.

Digitized by Google

haec sunt a Nachmanide, quem constat dixisse exeunte saeculo XII. et ineunte XIII., quo sane tempore nullus adhuc impostor adulterandae monetae veteri animum applicuit; praeterea numus hic spectatis omnibus causis talis est, quales esse siclos infra in moneta Simeonis docebimus, dempto שקל השקלים haud dubie a Cuthaeis false lecto, sed quod ipsum jam rabbi Azarias in שקל ישראל *siclus Israel*, ut oportuit, correxit in opere suo מאור עינים Tract. III. cap. 56. Si ergo revera olim signati sunt numi similes et etiam ante VI. saecula conspecti, cur non et horum aliqui ad nos poterant pervenire? Si suos, quos vidit Wisius, non agnovit genuinos, at suos, quos viderunt, tales agnovere, ut vetustiores antiquarios taceam, Frölichius, et Belleyus, qui id genus plures exstare cum in regio, tum in variis privatorum per Galliam museis aperte testatur [a]), quibus adde viros in antiquitatis numariae crisi insigniter versatos Pellerinium [b]), et Barthelemyum [c]), qui et nuper judicium suum confirmavit in epistola ad Bayerium data, quam hic Vindiciis suis ad harum calcem pag. III. inseruit. Denique siclos veram fuisse monetam, non tantum pondus, infra capite IV. auctoritate Fl. Iosephi, et Philonis probabitur.

CAPVT III.

De aetate numorum Hebraicorum.

Istud jam nunc omnibus persuasum, non existere numos Hebraicos, quos ante tempora principum Macchabaeorum signatos certa possis ratione adfirmare. Credibile, remotissimis temporibus, ut inter omnes alias gentes, inter Iudaeos mutuum commercium siclis non numeratis, sed appensis peractum. Enimvero testimonia, quae alterius sententiae patroni ex emptione Abrahae et Iacobi adducunt [d]), usum monetae jam tum signatae non evincunt. Fuisse tamen libere permissum usum monetae exterae, etiam cum viventium illis effigies impressae erant, certum est ex Matthaeo narrante [e]), Christum oblato sibi denario, qui erat numisma census, sciscitatum: *cujus est imago haec, et circumscriptio?*

Ex hujus classis numis, quos habemus superstites, ii, qui Simeonem principem inscribunt, jam suapte Macchabaeorum aevum eloquuntur. Alios in quibus legitur: *redemptionis*, vel *liberationis Sion*, eodem pertinere, infra docebimus. Supersunt sicli, seu numi argentei, quorum per inscriptionem incerta est aetas. Verum hi, etsi Macchabaeorum aetatem non testantur, non tamen inficiantur, neque certam per se causam offerunt, quae altius iis aevum adsignari necessario postulet. Quin inscripti his anni I. II. III. idoneum argumentum sufficiunt, eos Simeonis principatui deberi, quod iidem anni in certis ejus numis leguntur. Argumenta alia pete ex ipsis numis. Denique alios imperante Hadriano fuisse signatos, infra in moneta Simeonis docebimus.

a) B. L. Tom XXI. p. 459. b) Lettres p. 31. c) B. L. Tom. XXIV. p. 56. d) Genes. c. 23 et 33. e) Cap. XXII. 20.

Digitized by Google

CAPVT IV.

De nominibus, pondere ac materia monetae Hebraicae.

Hebraeorum pondus et moneta fuere siclus et partes, ut Romanorum as et partes. Siclus divisus in siclum dimidium, vel ejus tertiam, vel quartam partem, et fuit haec moneta cum argentea, tum aenea, ut infra in moneta Simeonis exemplis patebit. Adde obolum, Hebraice *ghera*, qui fuit sicli pars vicesima.

Fuisse Hebraeis siclum monetam argenteam, diserte testatur Iosephus [a]): ὁ δὲ σικλος, νομισμα Ἑβραιων ἐστι, Ἀττικας ἔχεται δραχμας τεσσαρας, *siclus vero qui est Habraeorum numisma, valet quatuor drachmas Atticas.* Eundem sicli valorem ex Philone eruit Bayerius, etsi is sicli explicate non meminerit. Nam pretium redemptionis voti in viris statuit δραχμας διακοσιας νομισματος ὁλαργυρου, *drachmas CC. ex moneta argenti puri.* Iam cum in Levitico cap. XXVII. 3 istud ipsum pretium statuatur L. sicli argenti, apparet, Philonem, qui eandem summam in drachmis computavit, siclum IV. drachmis aestimasse. Vt fides habenda est Iosepho et Philoni, qui Iudaei ipsi fuere, sic certe peccavere, quod pondus sicli comparatum nimio auxerunt, nam tetradrachmum Atticum pondere multum praestare siclo, jam pridem vidit Frölichius, cui pondus sicli integri est circiter granorum 229 librae Norimbergensis, cum tamen tetradrachmum Atticum appendat ejusdem librae grana circiter 284. Vide hoc ejus tentamen in Prolegomenis ad Annales Syriae pag. 84, ubi plura, quae ad monetae Hebraicae pondus pertinent, persequitur. At multo adcuratius est examen, quod nuper in siclorum pondere instituit Barthelemyus, quia plures contendendi facultatem habuit. Exstat illud in epistola, quam eruditus is Gallus ad Bayerium dedit, quamque hic sub finem suarum Viadiciarum pag. VI. vulgavit. Comparatis is siclis VII. reperit eorum pondus granorum Parisinorum 271 ½, 268, 267, 266, 258, 256, pondus semisicli granorum 132 ½. At vero pondus tetradrachmi Attici, quod idem vir praeclarus jam olim longo et operoso examine eruit, cujusque nos summam dedimus in Volumine I. hujus operis in Prolegomenis generalibus capite IX. pag. XLV., est circiter granorum 320 librae Gallicae. Ergo Iosephi testimonium cum numis ipsis comparatum justo intervallo differt. Propius ad verum pondus accessit D. Hieronymus, cum ait [b]): *Siclus enim viginti obolos habet, et quarta pars sicli quinque sunt oboli.* Cum drachma Attica contineat obolos sex, oboli viginti dabunt drachmas 3 ⅓, cumque juxta Barthelemyi examen drachma Attica contineat circiter 80 grana Parisina, drachmae 3 ⅓ efficient grana 267, quod pondus cum vero siclorum pondere mox indicato rite conspirat. Iosephum, qui pondus nimio auxit, excusare quidem conatur Barthelemyus, sed, ut videtur, magis amice, quam solide. Contra fuere, qui de sicli pondere plus justo detraxerunt, quos inter Hero Alexan-

a) Ant. Iud. L. III. c. 8. §. 2. b) in Mich. proph. cap. 14.

Digitized by Google

drinus illum didrachmum fecit, et staterem siclos duos complexum.

Monetam Hebraicam argenteam tantum, aeneamque novimus, aurea, saltem certae fidei, ignota.

NVMI
PRINCIPVM ET REGVM IVDAEAE
Hebraice inscripti.

Saeva regum Syriae imperia, ac praecipue Antiochi IV. jam pridem Hebraeorum ingenia suapte ferocia ad excutiendum jugum accenderunt. Gentis tandem suae mala miseratus MATHATHIAS ex stirpe Hasamonaeorum ducem sese extulit, spretisque regis mandatis suos, ut libertatem capesserent, est cohortatus. Moritur V. C. 587, A. X. 167, relictis filiis V. paternae virtutis ac consiliorum aemulis, *Ioanne*, *Simeone*, *Iuda*, *Eleazaro*, *Ionathane*.

IVDAS patri Mathathiae succedit, multis pro populi libertate praeclare patratis tandem in ipso praelii tumultu strenue dimicans occumbit V. C. 593 A. X. 161. Patris et filii nulli cogniti numi.

IONATHAN fratre Iuda demortuo dux Iudaeorum constituitur. Eum Alexander I. Syriae rex summum pontificem et amicum appellat missa insuper corona aurea et purpura. Denique pravis Tryphonis Syri artibus perit V. C. 611, A. X. 143.

Ionathani duo hactenus numi tributi, sed munere, ut mihi post alios visum, irrito; nam horum unus bilinguis verius est Alexandri Iannaei, alter pure Hebraicus incerti est principis, quem dabimus infra inter numos Hebraicos dubios.

SIMEON.

In fratris Ionathanis locum ducis, vel principis nomine succedit. Ei Demetrius II. Syriae rex non modo pontificatum et principatum confirmat, sed et tributa remittit, et genti libertatem impertit, in cujus memoriam beneficii constituta epocha, quae omnia confirmantur numis. Nono pontificatus anno a Ptolemaeo Abobi filio collocatis insidiis occiditur V. C. 619 A. X. 135.

Numi Simeonis.

Sub hoc demum principe certa Hebraeorum moneta incipit expresso Simeonis nomine, at quo ejus anno istud fieri coeptum, inquirendum. Plerique ejus numi annos aliquos epochae more, ut: anno I., vel II. etc. inscriptos praeferunt, addito: *redemptionis Israel*, vel *liberationis Israel*, *Sion*, *Ierusalem*. Hujus aerae initium commode definit auctor libri I. Macchab. cap. 13 v. 41: *Anno centesimo septuagesimo ablatum est jugum gentium ab Israel, et coepit populus Israel scribere in tabulis et gestis publicis: anno primo sub Simone sacerdote magno, duce, et principe Iudaeorum.* Procurata haec populo libertas indulgente Demetrio II. Syriae rege. Annus memoratus CLXX. est aerae Seleucidarum, qui coepit in autumno V. C. 611. Ab hoc igitur anno plane verisimile, inscriptos hos Simeo-

Digitized by Google

nis annos esse ducendos; nam dubium non est, extendendum etiam ad numos, quod auctor ejus libri in tabulis et gestis publicis scriptum dixit, quod apertius colligitur ex epistola Antiochi VII. Evergetae Demetrii II. fratris, quam is biennio, aut triennio post eidem Simeoni scripserat, et qua illi veniam signandae monetae propriae confirmare videtur: *nunc ergo statuo tibi omnes oblationes, quas remiserunt tibi ante me omnes reges, et quaecunque alia dona remiserunt tibi. Et permitto tibi facere PERCVSSVRAM PROPRII NVMISMATIS in regione tua.* Και επιτρεψα σοι ποιησαι ΚΟΜΜΑ ΙΔΙΟΝ ΝΟΜΙΣΜΑ της χωρας σου [a]). His ut praeclare ea, quae dixi stabiliuntur, tamen mirum nonnullis visum, annos in his Simeonis numis ultra quartum non progredi, cum is annos solidos VIII., nempe ab anno V. C. 611 usque 619 principatum tenuerit. Varias varii causas attulere. Forte post annum IV. coepere anni epochae in moneta reticeri, et ad haec tempora pertinent numi infra citandi, qui Simeonis quidem nomen, at sine anni mentione ostentant. Monendum, cl. Freretium negare, annos, qui in libro I. Macchabaeorum leguntur, esse aerae Seleucidarum, quod hactenus eruditis passim creditum, sed alterius, cujus initium figendum ad annum V. C. 447, de quo vide, quae olim monebo in expositione aerae Seleucidarum.

In recensenda Simeonis moneta placuit lex Bayerli eam secundum inscriptos annos recitantis, quibus continuo subjiciam eos, qui annum omittunt.

Annus I. Simeonis.

שקל ישראל Shekel Israel. *(Siclus Israel.) Calix, supra quem* א.

ירושלם קדשה Ierusalem Kedoshah. *(Ierusalem sancta.) Ramus trifidus cum floribus.* AR. I. (Bayer, et alibi.)

En tibi veram veri sicli imaginem Samaritanis inscripti literis, sed quibus hic et deinceps Assyrias substituimus. Pars adversa inscribitur *Siclus Israel*, ut adeo siclum comprobet ipsa etiam epigraphe. Non igitur probare possum conjecturam Bayerii, qui id genus numos, quod a pondere tetradrachmorum, ut capite IV. diximus, amplius deficiunt, tridrachma, sive dodrantes siclorum putavit [b]). Nam in numis anni I., II. et IV. videbimus, cum numus fuit pars totius, monetarios quoque hanc partem, ut: *dimidium*, *quadrans*, adscripsisse. Ergo cum hi, de quibus agimus, numi dicantur pure *sicli*, integri etiam, et non eorum partes erunt putandi. Calix putatur indicare vas illud, quo manna recondebatur. Elementum א supra positum significat annum I., quod ne dubium cuipiam videatur, vetant sicli anni II., in quibus elemento ב, sive II. praefigitur ש, seu litera αρχαιοσα του שנת *annus*. Neque vero dubium est etiam, elementa haec esse notas ejusdem epochae, quam mox in sequentibus videbimus, nimirum liberationis Israel sub Simeone, quae cau-

a) Macchab. I. c. 15. v. 5, 6. b) De num. Hebr. p. 70.

Digitized by Google

sa est, cur numos hos, quos autonomos jure dicere possis, quod principis aut effigie, aut nomine carent, Simeonis monetae accenseamus.

In parte aversa scribitur: *Ierusalem sancta*, quod elogium urbi proprium esse voluit non modo gens Hebraeorum, sed neque negaverunt exteri. Sic in epistola sua Antiochus VII. a). *Ierusalem autem SANCTAM esse et liberam*, et sanctam hodieque compellant ipsi Turci. Typus rami florescentis creditur indicare ramum Aaronis saltem ex mente rabbi Nachmanidis supra citati sub finem capitis II. Alii in eo aliud vident.

Prodiit nuper Petropoli libellus, cui titulus: *I. G. Kochii consil. Aul. etc.: Tentamen enucleationis hieroglyphicorum quorundam numorum* 1788 *ex typogr. imp.* Adjectae sunt tabulae aeneae, quas olim Klemmius libello suo *de numis Hebraeorum Tubingae* 1730 annexuit. Numos hos omnes Kochius nequaquam, quod inter nos omnes convenit, esse Samaritanos statuit, sed signatos in Aegypto, et inscriptos lingua Arabica, numos ipsos ramum palmae ac calicem vel urceum sistentes signatos esse hieroglyphis, Pharaones, id est: reges Aegyptios significantibus. Sensus inscriptionum, qui nobis est v. g. *Siclus Israel, Ierusalem sancta etc.* Kochio interprete est: *magnum agmen odore percepit*, et: *communi usui permissae palmae maris ramus siccus diffudit odorem*, etc.: Praetereo plura alia eo in libello contenta, quae auctori certa et explorata sunt visa, nobis, quorum praecordia ex pejore luto finxit deus, in ἀπίστοις putantur. Saepe querimur in circulis eruditionis nostra aetate defectum, forte rectius ejus abusum miserabimur, atque idem evenire sanae philologiae, quod nunc maxime sanae physicae, quam virtutis occultae praeceptis, incantationibus, teratologiis, atque omni fere veteris superstitionis apparatu inquinari, corrumpique videmus.

Observandum denique, hactenus tantum observatos siclos cum annis א, ב, ג, id est: I. II. III., et qui auctiores offerunt annos, in suspectis putandos. Deinde, in siclis, et semisiclis anni praesentis epigraphen *Ierusalem sancta* literis X exarari, at in siclis annorum II. et III. literis XIII. ut videbimus.

* * *

חצי השקל Chatsi hashekel. (*Dimidium sicli.*) *Calix supra quem* א. ירושלם קדשה Ierusalem Kedoshah. (*Ierusalem sancta.*) *Ramus trifidus cum floribus.* AR. II.

Hujus numi, qui est in museo regis Galliarum, et indicium, et ectypon Barthelemyus nuper communicavit cum Bayerio, qui ejus in Vindiciis suis meminit inter adnexas sub finem eruditi ejus Galli literas pag. V., expresso in proxima tabula aenea iconismo. Nunc primum vocabulum חצי, *dimidium*, occurrit, in semisiclo proximi anni, et in numo aeneo anni IV. rediturum. Cum vocabulo conspirat etiam pondus, nam appendit librae Gallicae grana 132 ¼, cujus duplum efficere pondus sicli, diximus capite IV.

a) I. Macchab. 15. 7.

Digitized by Google

שמעון נשיא ישראל Simeon nassi Israel. (*Simeon princeps Israel.*) *Palma.*

שנת אחה לגאלת ישראל Shenat achat legeulat Israel. (*Anno I. redemptionis Israel.*) *Pampinus.* AE. II. (Bayer tab. I.)

Eadem epigraphe exarata intra coronam pampineam.

Eadem epigraphe. Diota. AE. I. (Harduin, Bayer in fronte operis.)

Eadem epigraphe. Ramus palmae intra lauream.

Eadem epigraphe. Lyra. (Kircher Oedip. Aeg. et restitutus a Bayerio p. 26.)

Sunt numi hi omnes perrari. Palma vetus Iudaeae symbolum, pampinus videtur indicare laetam vini abundantiam, vel aliam aliquam sacram allegoriam. De utroque vide Bayerium [a]).

שנת אחת לגאלת יש (*Anno I. redemptionis Israel.*) *Botrus.*

Literae novem peregrinae a Samaritanis diversae. Palma arbor. AE. II. III. (Mus. Caes. Bayer tab. I. n. 4. 5.)

Hujus naturae numum primus edidit Harduinus, et commentario sui moris illustravit in Plinio suo [b]). Serius suum de illo judicium edixit Soucietus in sua de Hebraeorum numis dissertatione, et post hunc Frölichius reperto numo simili in museo collegii S. I. Post hos omnes ejusdem argumenti binos exhibuit Bayerius adjecto suo commentario [c]). Omnes eo conveniunt, his literis contineri nomen *Simeonis principis*, quale est in praecedentibus, sed scriptum literis alienis. At cum sententiae huic obstare viderentur literae in singulis variantes, (nam in omnibus his quatuor, videlicet Harduiniano, Frölichiano, et utroque Bayeriano, etsi idem est literarum numerus, tamen eaedem forma differunt) cum tamen, si idem nomen expressere, eandem debuissent obtinere formam, eo tandem se redactum vidit Bayerius, ut Simeonis nomen steganographica, seu arcana scriptura exaratum cogeretur conjicere, inventa eum in finem, ne nomine suo palam monetae inserto jus regum Syriae videretur velle violare [d]). Verum si istud, necesse erit admittere, quoniam elementa haec in omnibus variant, etiam legem steganographicam, qua exarandum fuit Simeonis nomen, saepe esse mutatam. Sed nolo cum hujus, tum Harduini, et Soucieti conjecturis commemorandis, quibus sua stabiliunt, diutius inhaerere, quod longius petitae sunt, et quod aenigmatica ejusmodi monumenta recte quidem eruditorum oculis subjiciuntur vulgata, sed et recte intacta relinquuntur, nisi cum dies probabilem aliquem explicatum sufficit, cujus naturae certe non est is, quem obtulit Bianconus, qui scripturam legit: אל עקר יהב, *deus abstulit afflictionem* [e]).

Annus II. Simeonis.

שקל ישראל Shekel Israel. (*Siclus Israel.*) *Calix, supra quem* שנ. ירושלים הקדושה Ierusalaim hakedo-

a) Pag. 217. b) Tom. I. p. 432. c) pag. 155. d) pag. 169. e) de ant. lit. Hebr. p. m. 25.

Digitized by Google

scha. (*Ierusalem sancta.*) *Ramus trifidus cum floribus.* AR. I. (Mus Caes. Bayer.)

Non differt hic siclus a siclo anni I., nisi literis שב, qui ב שנת, *annus II.*, notant, et numero literarum XIII., quibus aversae epigraphe exaratur. Reliqua vide ad siclum anni praecedentis.

* * *

חצי השקל Chatsi hashekel. (*Dimidium sicli.*) *Calix, supra quem* שב.

ירושלים הקדושה Ierusalaim hakedoscha. (*Ierusalem sancta.*) *Ramus trifidus cum floribus.* AR. II. (Bayer Vindic. pag. 34, iconismus est pag. 42.)

Illustrem hunc numum, neque aliunde hactenus cognitum, primus nuper vulgavit Bayerius, cujus similem, sed cum anno I. supra dedimus, cum quo conspirat etiam pondere, ut ibidem testatur Bayerius.

* * *

ירושלם (*Ierusalem.*) *Templum IV. columnis fultum, in quarum medio janua.*

שב לחר - - ישראל Shenat shetaim lacherut Israel. (*Anno II. liberationis Israel.*) *Calix.* AR. I.

Hunc musei Hunteriani numum Bayerius sub finem operis primi pag. XII. ex testimonio cl. Woide indicavit. Similem, sed in nonnullis diversum, exhibuit etiam Bayerius, quem describam infra in numis Simeonis anni incerti, quorsum explicatum differo.

* * *

שמעון (*Simeon.*) *Palma.*

ש ב לחר ישראל Shenat shetaim lacherut Israel. (*Anno II. liberationis Israel.*) *Pampinus.* AE. II. (Mus. Caes. Beyer p. 95.)

שנת שתים Shenat shetaim. (*Anno II.*) *Diota.*

חרת ציון Cherut Tzion. (*Liberatio Sionis.*) *Pampinus.* AE. III. (Mus. Caes. Bayer p. 95. et in Vindic. p. 46.)

Iam nunc occurrit vocabulum חרת, vel praefixo *Lamed* לחרות, vel parcius לחרת, vel לחר. Derivandum quidem videtur a חרת, *sculpsit, scripsit*, ex quo ergo substantivum הרות significaret *sculpturam, scripturam.* Quae significatio cum hoc loco non adrideret eruditis, dum ultra inquirunt, repererunt vocabulum illud in Mischnicorum libris pro *libertate* sumi, ut adeo serius haec ejus significatio fuerit introducta. Vide de hoc plura apud Bayerium [a]).

Etiam nunc *Sion liberatum* dicitur, cum numi praecedentes liberatum Israel praedicarent. Signati sunt adeo hi numi post diem XXIII. mensis II., quo docemur, Iudaeos Sionem ingressos, et qui fuit Simeonis annus II. [b]).

* * *

Annus III. Simeonis.

שקל ישראל Shekel Israel. (*Siclus Israel.*) *Calix, supra quem* ש ג.

ירושלים הקדושה Ierusalaim hakedoscha. (*Ierusalem sancta.*) *Ramus trifidus cum floribus.* AR. I.

Hactenus legis instar creditum, nullum exstare probae fidei siclum cum anno III. Vnicus tamen hic nuper illatus

a) Pag. 21. seq. b) I. Macchab. XIII. 51.

Digitized by Google

est in museum regis Galliarum, de quo Barthelemyus: *il est bien conservé et d'une antiquité incontestable*, ut lego sub finem Vindiciarum Bayerii pag. VII., qui et continuo pag. IX. ejus ectypon proposuit, quod plane ejusdem cum siclis anni II. rationis est.

* * *

שנת שלוש Shenat shelosch. (*Anno III.*) *Diota.*

חרות ציון Cherut Tzion. (*Liberatio Sionis.*) *Pampinus.* AE. III. (Bayer p. 116.)

* * *

Annus IV. Simeonis.

שנת ארבע חצי Shenat arba chatzi. (*Anno IV. dimidium so. ponderis monetarii.*) *Malum citreum, hinc et illinc fasciculus ramorum.*

לגאלת ציון Legeulat Tzion. (*Redemptionis Sion.*) *Palma arbor, hinc et illinc vas frugibus refertum.* AE. II. (Bayer tab. IV. n. 1.)

Ramorum fasciculum ad Hebraeorum festum *Lulav*, quod *palmae ramum* significat, referunt eruditi. Alii aliter sentiunt. Vide plura apud Bayerium [a]. Malum citreum refertur ad morem, quo fructus is in xenopegiae festo gestari est solitus.

* * *

שנת ארבע רביע Shenat arva revia. (*Anno IV. quadrans.*) *Duo fasciculi ramorum.*

לגאלת ציון Legeulat Tzion. (*Redemptionis Sion.*) *Malum citreum.* AE. II. (Bayer.)

שנת ארבע Shenat arva. (*Anno IV.*) *Fasciculus ramorum, hinc et illinc malum citreum.*

Eadem epigraphe. Calix. AE. III.

Numi hi omnium sunt maxime obvii. Biancanus in antica numi sui, qui huic posteriori similis est, legit: פש ארבע, quas prieres binas literas explet: שנת פסח *pascha anni*, nempe *quarti* [b]), adprobante ejus sententiam Swintono Anglo [c]). Non occurrit viris eruditis, elementum פ in nullo Samaritano certae fidei hactenus repertum. Numi integri hanc, quam dixi, epigraphen praeferunt.

* * *

Numi Simeonis absque annorum nota.

שמעון Simeon. *Porticus IV. columnis fulta, cujus medio intercolumnio adfixa lyra, in imo linea sinuata.*

לחרות ירושלם *Fasciculus ramorum, juxta malum citreum.* AR. I. (Bayer.) AE. (Bouteroue, Pembrock. P. II. tab. 85.)

Numus hic a variis editus, at correctius a Bayerio. Hic post alios existimat, hoc typo exhiberi mausoleum, quod a Simeone patris fratrumque exuviis magnifice in urbe Modin exstructum refert auctor Libri I. Macchabaeorum XIII. 27. Sed dubium movet numus alter similis a me supra in numis Simeonis anni II. descriptus, in quo teste Woidio juxta similem porticum scriptum legitur ירושלם *Ierusalem*. Sin istud, sistet sane typus substructionem aliquam, non quae in Modin, sed quae Hierosolymis stetit, quarum nomen juxta scriptum

a) Pag. 127. b) de Ant. lit. Hebr. p. m. 28. c) Trans. philos. Vol. L. p. 792.

Digitized by Google

est, et haud dubie ejus urbis aedificium aliquod illustrius, ut partem templi etc.

* * *

שמעון Simeon, *intra lauream.*
נשיא ישראל nassi Israel. *(Princeps Israel.) Amphora.* AR. IH. (Harduin.)

Eadem adversa.

לחרות ירושלם lacherut Ierusalem. *(Liberationis Ierusalem.) Duae tubae.* AR. III. (Mus. Caes.)

Existimat Frölichius, in numo hoc fingi tubas duas, quas olim Moses dei jussu fieri fecit, ut earum cantu castrorum motus regeretur, ut legitur Numeror. X. 11.

* * *

שמעון Simeon. *Botrus.*
לחרות ירושלם lacherut Ierusalem. *(Liberationis Ierusalem.) Lyra.* AR. III. (Souciet.)

שמנעו *(sic)* Simeon, *intra lauream. Eadem epigraphe. Calix.* AR. III. (ex mus. Hunter. apud Bayer. sub. fin pag. XIII.)

שמעון Simeon. *(Palma.)*
Eadem epigraphe. Pampinus. AE. H. (Mus. Caes. Bayer.)

Eadem adversa.

לחרות ירוש lacherut Ierus. *(Liberationis Ierus.) Botrus.* AE. III. (Mus. Caes. Bayer tab. VI.)

ון - - - Simeon. *Lyra.*
שלם - - - *Ierusalem. Ramus palmae intra lauream.* AE. III. (Bayer tab. VI.)

Numi Simeonis

imperante Hadriano cusi.

Prodigio simile, moneta Simeonis Halamonaei imperante Hadriano signata. Verum istud res ipsa eloquitur. En ejus testes numos hactenus repertos.

ון - - - *apparentibus in extima ora literis Latinis* NOPTI - - - NCI. *Botrus.*

לחרות - - ושלם *apparentibus in ora literis* P. M. TR. P. COS. *Lyra.* AR. III.

Numus hic primum vulgatus exstat in Bell. Lettr. Tom. III. hist. p. 184, eumque vidit et Soucietus in sua de numis Hebr. dissertatione p. 15. 16, ubi et alium similem ex museo regio citat. Eundem restitutum, et aeri incisum dedit Barthelemyus in singulari dissertatione, quam Vindiciis suis inseruit Bayerius sub finem pag. IX.

שמעון Simeon. *Racemus, in ora numi literae* ΤΠΔ.

לחרות ירושלם *Ramus palmae, in numi ora manifestae literae:* IAN. ϹЄB. IϹЄP. ΔA. *apparente adhuc linea faciei imperatoriae.* AR. III.

Hujus numi descriptionem cl. Woide Anglus cum Bayerio communicavit, qui eum sub finem operis sui primi pag. XIII. vulgavit. Est in museo olim Hunteri.

עון - - *in area residuae literae* TR. *Botrus.*

לחרות ירושלם *Duae tubae, apparentibus adhuc vestigiis capitis Trajani.* AR. HI.

Numum hunc musei abbatis Tersan eodem loco vulgavit Barthelemyus, restituit una cum iconismo Bayerius.

Ex his numus prior ex museo Pontcarrei supremi apud Rothomagenses praesidis protractus eruditum Gallorum consessum, ut indicato loco videre est, primum in admirationem rapuit, deinde in varias sententias distraxit. Istud continuo ab omnibus animadversum, esse

Digitized by Google

numum Trajani, docentibus hoc residuis literis Latinis. Alii ejus impugnare cimelii fidem, alii adfirmare, additas scalpello per fraudem literas Latinas, alii, novam Trajani matricem veteri Simeonis numo temere impressam, alii recentiorem esse Simeonis matricem et Trajani numo superinductam credere, quae postrema sententia cum adrideret etiam erudito Henrion, adserere non dubitavit, numos Hebraicos omnes Simeonis nomine insignes non esse Simeonis Macchabaei, qui aliquot saeculis Trajanum praecessit, sed Simeonis Barchocebae, qui imperante Hadriano populares Iudaeos ad excutiendum Romanorum jugum cohortatus gravissimi ejus belli auctor exstitit, atque istud tanto videri certius, quia Basnagius [a]), aliique in veterum Iudaeorum scriptis repererunt, Barchocebam nomine suo feriundos numos curasse.

Nemo non videt, rei summam eo niti, ut certi reddamur denique, ad quem novicius character pertineat, ad Simeonem qualemcunque numo inscriptum, an Trajanum. Ajo ad Simeonem, qua in sententia facile mihi cum cl. Henrion convenit. Enimvero in numis id genus recusis illum jure censebo novicium characterem, cujus signa in media numi area sunt evidentiora, at veterem dicam illum, cujus signa fere abolita sic tantum tralucent, ut per spissam nebulam sol, cujusque aliquot solum literae illaesae mansere in numi margine, quorsum matrix recens ab exstantioribus mediis numi partibus impedita pertingere non potuit. At in omnibus his, quos citavi, numis, quod Hebraicum est, dominatur, imperator extrusus veteris juris non habet, quod ostendet, praeter residuas in ora literas, et fugientia augusti capitis lineamenta. Addo argumentum aliud ex penu numismatica depromptum. Si in numo primo novicius character est Trajani veteri Simeonis Macchabaei inductus, ubi gentium statuemus hunc signatum denarium? Romaene? at quis credat, veterem Macchabaei numum aut in urbem evasisse, aut tam oscitantes fuisse illustris ejus imperii monetarios, ut massam jam signatam malleo iterum subjicerent? An foris? At ea aetate monetae Romanae officinam extra urbem non novi. At, inquies, Trajanus bellum gessit in Oriente; facile ergo monetarii, qui castra sequebantur, cum in Syria incudem exercerent, Simeonis numum, quem propter Iudaeae vicinam ad manum habebant, potuerunt recudere. Verum neque istud potest admitti, nam inscriptum OPTIMO. PRINCIPI satis evincit, denarium hunc signatum, antequam in Orientem proficisceretur Trajanus, ut docebimus in moneta Trajani, et quod sequitur, numum urbi natales suos debere. Non satis haec argumenta apud animum versarunt ii, qui Trajani χαραγμα aetate posterius crediderunt. Sed enim qualecunque istud effugium placuit eruditis, quod omnia alia malebant, quam signatam Simeonis nomine ea aetate monetam agnoscere. Tamen veterem Trajani characterem in suo agnovit Woidius, non ausus est aperte negare Bayerius [b]).

a) Hist. des Juifs. L. VI. ch. 9. b) Num. Hebr. p. 238, et in Prologo.

Digitized by Google

Male rem suam agunt, qui hanc sententiam tuentur propterea, quia difficile est explicare, quis Simeoni Macchabaeo nexus sit cum aetate Trajani. Antequam istud ago, nonnihil immorandum memoratae supra Henrionis sententiae, qua is sanxit, numos omnes Simeonis nomen praeferentes non esse ejus Macchabaei, sed Simeonis Barchocebae famigerati sub Hadriano Pseudomessiae. Iudicium istud, quod audacius visum, nemini, quod norim, adrisit, ac propterea continuo impugnatum a Pinartio, sed qui argumentum validissimum, et quo uno tota Henrionis doctrina disperit, opponere neglexit. Nam quod omnium maxime inquiriri oportuit, fueritne huic Barchocebae nomen Simeonis, quod tribuit Henrion, neque a Pinartio fuit inquisitum, neque serius a Biancono, Bayerio, aliisque, sed ab Henrione prolatum temere passim creditum. Et tamen nullum exstat monumentum, in quo is Simeonis nomine compelletur. Quod si Simeon dictus non est, aut saltem sic dictum probari nequit, qua illi fiducia tribuemus numos Simeonis nomine insignes, et non modo hos, in quibus sumus, bilingues, sed etiam alios omnes, quorum cum Simeone illo Macchabaeo nexum ipsa epigraphe, ut vidimus, aliaeque causae abunde stabiliunt?

Alia ergo ad eos explicandos tentanda via, eaque ut insolentior, sic ab ipsis horum numorum causis imperata. Iam istud indubitatum, eos neque ante Trajanum, neque post Hadrianum feriri potuisse. Non ante Trajanum, quod hujus nomine sunt inscripti; non post Hadrianum, quod exacti hoc imperante ex Iudaea Hebraei et toto orbe dispersi non amplius in unam gentem coaluere, nullo adeo monetae propriae, et lingua patria loquentis futuro usu. Intra hos limites non aliud horum numorum genesi commodius tempus adsignabimus, quam quo Barchocebas palam obsequium detrectavit, et elato belli signo populares suos a Romanorum servitute ad pileum vocavit. Istud si admittas, facilem habes hujus monetae explicatum. Erat tum Iudaeorum fortuna non absimilis illi, quam Macchabaeorum aetate experti sunt. Pressi tum a regibus Syriae, et ad tributum adacti, nunc a Romanis. Inter haec mala exstitere tum Mathathias ejusque filii, quibus ducibus excussum denique per vim jugum, et parta genti libertas, quam nunc provinciam in se suscepit Barchocebas. Ergo ille idoneo consilio veterem Simeonis, quo olim propugnante ablatum jugum gentium, monetam resuscitavit, ut populum ea conspecta pristinae majorum virtutis commonefaceret, essetque, ut fuit tum, testimonium publicum restitutae libertatis. Quod vero numos imperatorios in monetae patriae usum convertit, causam video duplicem, alteram necessariam, arbitrariam alteram, sed meditatam. Vnam necessariam dixi, quod, ut fit in tumultuario imperio, non continuo praesto fuere, quae ad metallum flandum feriundum requiruntur. Commode defectum suppleverunt numi imperatorum, quorum magna tum ubique copia, ac praecipue Trajani.

Digitized by Google

Idem accidisse vidimus in subitis nonnullorum tyrannorum imperiis; nam et Regalianus et Dryantilla fere semper in aliena moneta habitant. Altera causa fuit, quod novos numis imperatoriis typos inducendo monetam exteram in monetam moris Iudaici convertit, ex qua pro vetere instituto quaevis animantium signa exulabant. Adde contumeliam, quae speciem praebuit in ipsius principis caput saevientium, conjurantiumque, cum ex moneta eum publica deturbarent. His ergo de causis veterem monetae patriae morem revocavit, aut verius numos veteres Simeonis restituit, eodem plane modo, quo numos consulares eadem fere aetate a Trajano restitutos videmus servatis tam anxie eorum archetypis, ut nisi epigraphe restitutos diceret, hodieque cum archetypis misceremus, et tamen utrorumque aetas sic distat, ut aetas numorum Simeonis Macchabaei, et eorum, quos a Barchoceba restitutos dixi. Quod si scriptorum veterum nullus meminit, hanc a Barchoceba restitutionem tentatam, at neque veterum quispiam restitutae a Trajano monetae meminit.

Perlatis nuper ad me, quas avide exspectaveram, Bayeri Vindiciis vidi, idem argumentum haud ita pridem tractatum quoque fuisse a cl. Barthelemyo, ut supra ad hujus generis numum primum indicavi. Quo in ratiocinio ita mihi cum viro summo convenit, ut in his, quae in hac causa modo exposui ante annos jam plures literis tradita, nihil occurreret, quod mutandum videretur. Addit idem in eadem dissertatione, ab his numis valide confirmari, quod pridem docuerat, literarum Samaritanarum usum apud Iudaeos saltem usque ad alterum post Christum saeculum valuisse.

Numos primum ac tertium, quos initio descripsi, esse ex obviis Trajani denariis, facile inspicienti patebit. Alter pondere drachmae obvius item est ejusdem imperatoris ex eorum genere, quorum aversa inscribitur ΔΗΜαρχικης ΕΞουσιας ΤΠατος Β. vel Γ. vel Δ etc. qua ex epigraphe superest tantum ΤΠΑ., id est: COS. IV. Ex inscriptione partis anticae alterius incudis injuriam evasere literae τριAN. CЄB. ΓЄP. ΔΑκος etc.

De numis Hebraicis dubiis.

יאוחנהן הכוהן הנשיא *(Ieochannahan sacerdos princeps) intra coronam.*

Literae dubiae. Duplex cornucopiae intermedio papavere. AE. III. (Bayer Num. Hebr. p. 176.)

In alio simili:

- - - - - יהוחנן *superne* A *reliqua epigraphe dubia.* AE. III. (Bayer l. c. p. 178. Mus. Caes.)

יונתן הכהן הגדל והברין *(Ionathan sacerdos magnus et - - -) intra coronam.*

Duplex cornucopiae intermedio papavere. AE. IV. (Barthelemy B. L. Tom. XXIV. p. 49.)

Alios similes a variis editos separata tabula pictos stitit Bayerius a), ad quos animadvertendum, omnes inter se

a) Num. Hebr. p. 190.

Digitized by Google

quidem esse simillimos modulo, typo, versuum numero, literarum forma, situ, et ordine, sed tamen in iis variare vocabula, et observari complures literas diversas ab iis, quas in Simeonis moneta videmus.

Numum III. *Ionathani* summo pontifici, et ante Simeonem fratrem, sub quo moneta Hebraica, quam hactenus descripsimus, signata est, vita functo tribuit Barthelemyus, at Bayerius hunc, et similes omnes *Ieochannahani*, seu *Iohanni* Hyrcano Simeonis filio. Lubet audire praecipuas ejus causas.

Omnes hi numuli, inquit [a]), adeo sunt inter se similes, ut necesse sit, eos esse unius principis. Quod si placet eos inter plures principes dividere, sic ut horum alii ex mente Barthelemyi sint vere Ionathanis, alii ex mente sua Iohannis Hyrcani, necesse erit statuere, Hyrcanum in cudendis numis suis respexisse exemplar numorum, quos patruus Ionathan feriundos curavit. At cur Hyrcanus potius exilem hanc despectamque Ionathanis monetam imitaretur prae illustri altera, quam vidimus, patris Simeonis? cur formam literarum, quam in patris numis viderat, immutaret, et revocaret eas, quae sunt in numis patrui? Cur Ionathan *sacerdotis magni* titulo est usus, quando eo usus non est Simeon successor, aut cur hic eo abstinuit, quando illo gloriatus jam est frater Ionathan, qui praecessit? Sunt haec Bayerii argumenta gravissima, reliqua praetereo, quod aut infirmiora sunt, aut numos ab eo Iohanni Hyrcano tributos aeque feriunt. Concludit [b]), hunc quoque Barthelemyi numum Hyrcano esse tribuendum. Quod si in eo revera Ionathanis nomen legitur, factum istud contendit seu caelatoris oscitantia, seu quod Hyrcanus Ionathanis quoque nomen tulerit, ut eum appellat Eusebius. Iam vero antea professus est [c]), se in aliis id genus numulis, quos sive Pembrockius, sive alii edidere, *Iohannis* nomen satis liquido legere.

In universa hac lite quae tenenda sententia, quae aspernanda? Causam fateor ancipitem, et tenebris undique circumseptam. Me quidem judice omnes hujus argumenti numuli unum eundemque principem habebunt auctorem, quod toto cultu habituque simillimi sunt, et facile adsentior Bayerio adserenti, verisimile non esse, Hyrcanum, cujus quoque nomine id genus numos signatos agnoscit Barthelemyus, contempta monetae patriae forma ad modulum monetae patrui Ionathanis redivisse. At quis statuendus Iudaeorum dux horum auctor numorum? Istud enimvero pendet a vocabulo, quod in horum numorum epigraphe versum primum constituit, et quo contineri principis nomen conspirant omnes. Verum cur vocabulum istud fere in singulis aliter exaratur? In Barthelemyano satis luculentum est *Ionathan;* in Bayerianis praetensum Iohannis nomen jam scribitur *Ieochannahan*, jam *Ichochanan*, idem in aliis numis vocabulum, etsi aliis literis scriptum, ad eandem *Iohannis* significationem adigit Bayerius. Habeo ante

a) Num. Hebr. p. 192. b) l. c. p. 199. c) l. c. p. 192.

Digitized by Google

oculos id genus numos sex, quatuor ex museo Caesareo, binos ex museo Neumanni nostri; ex his unicus est, qui conspirat cum numo in tabula Bayeriana num. IV. posito, reliqui cum inter se, tum ab omnibus ibi propositis discrepant. Idem observavit in numis similibus musei Hunteriani Woidius, ut ipse in epistola ad Bayerium data, hujusque operi ad calcem adjecta testatur. An ergo admittemus, principis Hyrcani nomen in numis uno eodemque tempore cusis tot formarum fuisse patiens? Quod si quis volet contendere, quotiescunque versus primi characteres variant, toties alium principem intelligendum, nae is saltem octo varios principes constituat, nam mihi saltem octo id genus numi sunt cogniti, in quibus ii characteres toto, ut ajunt, coelo differunt, et ex quibus neque Ionathanis, neque Iohannis nomen quantocunque conatu elicias. Satius igitur, horum examen numorum hactenus intentatum relinquere, aut saltem non magnopere illi immorari, quod post magnos et hiatus et conatus in conjecturas denique parum proficuas desinimus. Nimis in illo multa progressum difficilem reddunt, imperfecta linguae scientia, characteres partim ignoti, partim in exilibus his numis male expressi, aut etiam exesi, plurēs propter raritatem contendendi difficultas, denique historicorum ejus tractus inopia. Quid si negare vellem, numos hos esse principum Hasamonaeorum, quis poterit me falsi arguere? Iam istud inter omnes certum, horum vocabula numorum componi literis, quarum complures alia sunt forma, quam qua sunt ii, quibus certi Simeonis numi inscribuntur. Quis vero credat, intra paucos annos sic eas sub unius regionis principibus degenerasse? Habuit vicina Idumea et Arabia suos regulos sui per intervalla juris et ritus Iudaici, nonnullorum etiam certos habemus numos. Quis negare ausit, ab horum quopiam monetarium sibi jus adrogante hos signatos numos inscriptos quidem literis Hebraicis, sed quae pro regionis diversitate variabant? Et forte tota similium numorum epigraphe, quam adhibitis tormentis principis jubemus nomen profiteri, aliud non est, quam sacra quaedam sententia, cujusmodi serius Arabum moneta ex Korano depromptam solet ostentare. Sic et sententiam includit famigeratus ille Sidoniorum numus a nobis in numis Phoeniciis prolatus, et sententiam videre sibi visus est Pellerinius in numo bilingui Antigoni, quem infra proponam. Nos est mihi animus, singularem hanc ejus opinionem tueri, ajo tantum, diversam esse posse harum inscriptionum explicationem, et forte eam, quam viri eruditi hactenus se reperisse crēdidere, ἀεννον ὅσον fallere. Scilicet ut eorum ego consilium laudo, proboque, qui ejuscemodi numos curate descriptos in lucem edunt, et conjecturis sobrie ac parce illustrant, sic nolim eorum sequi institutum, quos in iis explicandis copiosos et obnixos video, non multo hactenus felicius collocata opera, quam fuit ab iis, qui in situm paradisi terrestris inquisivere. In his cum essem, forte fortuna in Barthelemyi epistolam ad Bayerium datam incidi, in qua summus hic vir, et in hac arena insignis prae aliis famae candide profitetur,

Digitized by Google

sese eruditorum in hoc argumento altercationes et dissidia denique pertaesum istud studiorum genus abjecisse, quo magis amoenis deinceps disciplinis posset vacare [a]).

* * *

Inter numos incertos hujus classis referendi etiam sequentes:

Diota, hinc et illinc litera varians Samaritana.

Botrus cum pampino. AE. III. (Bayer Num. Hebr. p. 202.)

Numos similes quatuor exhibuit Bayerius addito amplo commentario. Conjicit, tribuendos Alexandro Iannaeo, de quo mox, aut hujus filio Aristobulo, quem narrant adventanti Pompejo ingentis pretii vitem auream, quam in his numis exhiberi existimat, obtulisse. Mutavit serius mentem. Nam cum simili altero sibi forte oblato inscriptum legeret IOTΛIA, numum hunc aliosque adeo huic similes Iuliadem Galilaeae urbem vocandos sanxit [b]), malim Iuliae Tiberii matri tribuendos, ut dicemus infra in classe III. in hujus Augustae numis.

Numi principum Iudaeae

inde a Simeone usque ad Herodem Magnum.

Simeoni V. C. 619 A. X. 135 insidiis, ut diximus, caeso

IOHANNES filius in pontificatu sufficitur, cui cognomen *Hyrcani* fuit, quod Antiochum VII. ad bellum Parthicum comitatus Hyrcaniam subegit. Samariam Iudaeis perpetuo inimicam evertit. Moritur V. C. 647 A. X. 107 relictis filiis *Iuda*, *Alexandro Iannaeo*, et *Antigono*.

Fuere, qui huic Iohanni Hyrcano numos tribuerent, sed conjecturis parum solidis, ut paullo altius dictum.

IVDAS, qui et *Aristobulus*, et *Philellen*, patri succedit, et se regem primus appellat fratre Antigono aliquamdiu regni socio. Moritur V. C. 649 A. X. 105.

ALEXANDER IANNAEVS *et* IONATHAN

reges.

Alexander fratre mortuo alter Iudaeae rex, saevi et inquieti ingenii. Moritur V. C. 675 A. X. 79 relictis filiis *Hyrcano* et *Aristobulo*.

De Ionathane ignota omnia, ut dicetur.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ.
Ancora.

Astrum, inter cujus radios literae Samaritanae. AE. IV.

Primum stabiliendi typi. Antica indubitatam ancoram offert. De aversae typo variant sententiae. Rotam dixere Barthelemyus [c]), et Pellerinius [d]). Ego olim coronam malebam [e]). At numus similis nitidior, quem serius museo Caesareo intuli, tum similes alii,

a) Bayer Num. Hebr. sub. fin. p. XXI. b) Vindic. p. 24. c) B. L. Tom. XXIV. p. 61. d) Rois p. 214. e) Catal. mus. Caes. Tom. I. p. 248.

Digitized by Google

quos Neumannus noster possidet, luculentum astrum exhibent. Quod vero illud nonnullis aut rota, aut corona visum est, fecit circulus extimas radiorum partes ambiens, sed et hic in simili Neumanni ancoram partis anticae ambit, cujus ille causam uni monetarii libidini recte imputat.

Quaerendum deinde, quis sit Alexander, quem numi hi diserte memorant. Primus, qui, ni fallor, numum similem promulgavit, Frölichius eum Alexandro Syriae regi, incertus tamen, primone, an secundo, adscripsit, nihil de fabrica Iudaica suspicatus, quod in suo literae peregrinae astri radiis interceptae oculum fugerunt [a]). Barthelemyus et Pellerinius, quod literis his *Ionathanis* nomen perscriptum legere visi sunt, signatos hos in Iudaea numos statuerunt, scriptumque in altera numi pagina nomen Alexandri I. Syri, quod ab hoc Ionathan dictus est summus pontifex et amicus, ut auctor libri I. Macchab. cap. 10 testatur [b]). Horum sententiae accesseram ego, et proxime Neumannus [c]). Et suadebant istud causae sane probabiles, ac primum quidem mutua inter utrumque principem amicitia, cumque Ionathan confirmatum pontificatus jus Alexandro deberet, eadem ratione videri potuit regis praepotentis et de se bene meriti nomen in moneta sua sociasse, qua subinde reges Ciliciae, Ponti, Bospori atque etiam Iudaeae Romanorum principum vultus aut nomina monetae suae commiserunt. Causam promovit ancora Alexandri nomini adstituta, gentilicia, ut omnes noverunt, regum Seleucidarum tessera, qua hoc loco signanda profiteri visus est Ionathan, Alexandrum e Seleuci sanguine prognatum, quem in illustrem hanc stirpem per nefas intrusum communis tum ferebat opinio. At horum omnium conjecturis adversus Bayerius nequaquam, ajebat, in his numis agi de Alexandro quopiam extero, sed ejus nominis rege domestico, nimirum vel Alexandro Iannaeo Iohannis Hyrcani filio, vel altero Alexandro Aristobuli II. filio, qui a Pompejo M. una cum patre Romam abductus falsis per iter custodibus in Iudaeam reversus aliquamdiu turbas dedit, donec a Gabinio in ordinem redactus est [d]).

Dixi supra, in parte aversa horum numorum intra astri radios contineri literas Samaritanas, quae judicio Barthelemyi et Pellerinii *Ionathan* significant. Ac Barthelemyus quidem non modo multo serius veterem suam sententiam tueri perrexit, sed testatus insuper est, oblatos sibi fuisse numos, in quibus Ionathanis nomini nomen aliud *regis* adjectum reperit, scripto nimirum inter radios יהונתן מלך *Iehonathan Melech, (Ionathan rex.)* Lege haec a viro erudito tradita ad calcem Vindiciarum Bayerii, ac primum in sua ad Bayerium epistola p. IV., deinde in adjecta altera epistola ad auctores diarii *Journal des Sçavans* pag. XV. XVI., ubi et numi imaginem expressam habes.

Cum causam dubiam implexamque habemus tractandam, aliud, quod cum ratione agamus, non superest, nisi ut

a) Annal. Syr. p. 67. b) II. cc. c) II. cc. d) Num. Hebr. p. 198.

Digitized by Google

primum, quae certa sunt, commonstremus, iisque fruamur, deinde edisseramus, quae incerta, eorumque enucleationem permittamus posteritati. Numulos hos esse Iudaicos, dubitari nequit, partim quod animantium absunt imagines, partim quod literis Samaritanis sunt inscripti. Satis etiam verisimile, nomine ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ non intelligendum Alexandrum Syrum, sed regem hoc nomine indigenam. Exstant enim numuli alii non multum absimilis rationis, quos proxime recensebo, qui certe sunt Antigoni Iudaeae regis, et hinc regis quidem nomen Graece scriptum: ΒΑCΙΛЄΩC. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ, illinc item epigraphen Samaritanam exhibent. Vt ergo in his necesse non est, exterum quempiam Antigonum respicere, sic neque in praesentibus exterum Alexandrum. Ex binis Alexandris indigenis, quos supra memoravi, potius in praesentes numos jus haud dubie est Alexandro Iannaeo, qui ipsos annos XXVII. regno praefuit. Quo minus Alexandrum alterum malim, in quem magis inclinat Bayerius, in causa est, quòd is nonnisi per seditionem Iudaeam invaserat, neque, quod constet, regis nomen tulerat. Diximus, qui Alexandrum Syrum praeferunt, potissimum typo ancorae niti. Non repugno, ancoram commode ad Syriae regem referri, sed ajo etiam, posse illa seu sacram, seu allegòricam significationem contineri, perinde ac botro, pampino, ramo, calice, palma, ac similibus. Sic et numi Tiberiadis Galilaeae ancoram sistunt nullo utique cum Syriae rebus nexu.

Quod ad Ionathanis nomen attinet; credamus Barthelemyo adserenti, manifeste illud in numis suis legi, tametsi ipse non habeam, quo istud confirmem. Habeo ante oculos numos id genus quinque, sed in quibus omnibus literarum radiis interceptarum tenuia tantum supersunt vestigia. Sed quis deinde erit horum numorum Ionathan? Conjecerat olim Barthelemyus, esse ejus, qui in Iudaeae principatu fratrem Simeonem praecessit. Verum mutavit sententiam, ex quo in numo suo *regis* titulum Ionathani additum vidit, cum certum sit, primum fuisse inter Hasamonaeos Iudam Aristobulum, qui in regium nomen invaserit. At quis hic rex Ionathan, cum de Iudaico hujus nominis rege non constet? Iudicium istud meas vires excedere tanto fateor lubentius, quanto apertius professus est Barthelemyus ipse regii hujus numi praeco et index, ad explicandum hoc dubium praeter conjecturas nihil sibi praesto esse.

* * *

Alexandro Iannaeo numos alios Bayerius olim per conjecturam adscripsit, sed retractavit serius, ut diximus supra in numis Hebraicis dubiis.

* * *

Alexandro Iannaeo in pontificatu succedit filius *Hyrcanus*, sed eo victo regnum occupat frater *Aristobulus II.* At Pompejus tum Damasci agens auditis utriusque fratris juribus Hyrcanum pontificem, sed absque regis nomine constituit, Aristobulum cum filiis Alexandro et Antigono captum Romam abducit. Libertate subinde a Caesare donati, et in Iudaeam reduces Aristo-

Digitized by Google

bulus pater filiusque Alexander Pompejanorum artibus occumbunt uno deinceps superstite Antigono, de quo continuo.

ANTIGONVS.

Aristobuli II. filius. Vitatis Pompejanorum insidiis, quibus, ut dixi, pater fraterque succubuere, a Iulio Caesare ex Aegypto Syriam ingresso adversus Hyrcanum pontificem ac patruum regnum Iudaeae petit, sed non impetrat, quod Caesar Antipatro Herodis M. patri, et Hyrcani in rebus omnibus administro palam faverat. Occiso Caesare Antigonus a Parthis, qui V. C. 714 duce Labieno Syriam invaserant, quosque magnis sibi muneribus devinxerat, Iudaeae rex praepositus Hyrcanum foede mutilatum Hierosolymis ejicit, ipse biennio post a M. Antonio, qui Herodem Iudaeae regem designavit, per Sosium legatum capitur, virgisque caesus securi percutitur V. C. 716 principum, regumque stirpis Hasamonaeorum postremus.

Numi:

- - - - ΑΝΤΙΓΝΟΥ *(sic) scriptum extrinsecus circum coronam.*

Duplex cornucopiae, intra quod duae literae Samaritanae, circum illud extritis aliis superstites literae כהן גדל Cohen gadol *(Sacerdos magnus).* AE. II. (Barthelemy B. L. Tom. XXIV. p. 49.)

ΒΑCΙΛΕΟC. ΑΝΤΙΓΟΝ. *intra coronam.*

Cornucopiae simplex, circum similes literae כהן גדל *praeter extritas alias.* AE. III. (Barthelemy l. c.) In simili musei Caesarei adverto luculentas literas מתת Mathath. Alios duos similes vulgavit Pellerinius, sed in uno legitur ΒΑCΙΛ. ΑΝΤΙΓ., in alio: ΒΑCΙΛΕΩC. ΑΝ. AE. II. (Rois tab. XVI.)

ΒΑCΙΛΕΩC. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. *extrinsecus scriptum circum coronam, intra quam* E.

Duplex cornucopiae, intra quod et extra literae Samaritanae. AE. II. (Pellerin Rois tab. XVI.)

ΒΑCΙΛΕΩC. ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ. *extrinsecus scriptum circum coronam.*

Duplex cornucopiae multis intra et extra hoc literis Samaritanis. AE. II. (Pellerin Suppl. IV. p. 119.)

In priores binos additis eorum iconismis praeclare commentatus Barthelemyus eos invicte huic Antigono vindicavit, cum ab aliis aut Antigono Macedoniae regi, aut Antigono Asiae regi, aut Antigono Ioannis Hyrcani filio, qui cum fratre Aristobulo I. aliquamdiu Iudaeae regnum tenuit, adscriberentur. Plus molestiae dedere literae Samaritanae, quod earum major pars aevum non tulit paucis superstitibus, ex quibus, ut dixi, vocabula *sacerdos magnus* conficiuntur. Idem duas literas, quas in numo primo dixi intra duplex cornucopiae consistere, legit שנ א, id est: *anno I.* nempe regni Antigoni. Istud si verum, probabile etiam, literam, quae est in corona numi III., quamque Pellerinius E existimat, esse potius Samaritanam, et quidem *aleph* eodem explicatu, ad cujus etiam formam in numi pictura accedit. Pel-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

lerinius numi postremi epigraphen explicare aggressus mire se torsit, dum tandem sequentem sententiam extunderet: *Mathathias sacerdotium juxta bonum praeceptum dei transportavit.* Sed utrum haec interpraetatio vere sit, ex genio linguae Hebraicae, et hoc viri eruditi judicio standum, arbitrentur alii. Quae sit mea in similium explicatione inscriptionum sententia, satis supra exposui, quo loco de numis Hebraicis dubiis egeram. Satis esto, Barthelemyum in suis ad Bayerium literis, quas hic ad Vindiciarum suarum calcem posuit, testari, literas Pelleriniani hujus numi multum esse vitiatas [a]). Tamen istud certum, in numo II., quem ex museo Caesareo exhibui, literas מתת *Mathath* non esse ambiguas, cumque idem vocabulum Barthelemyus videret in numo suo, et in aliis similibus certam epigraphen כהן גדל *sacerdos magnus*, inscriptionem numi integram efficit: *Mathathias sacerdos magnus*, quam praeterea conjicit ad ipsum Antigonum pertinere, quia qui Graecis Antigonus, idem Iudaeis videtur dictus Mathathias, quo modo Aristobulo domesticum nomen fuit Iudae, Alexandro nomen Iannaei etc. Vide haec pluribus discussa in Bayerii Vindiciis sub finem pag. XV.

CLASSIS II.

NVMI REGVM ET PRINCIPVM HERODIADVM.

Fuit Herodiadum stirps postrema principum indigenarum, quae regio nomine Iudaeae praefuit, qua exstincta ad nostram usque aetatem exteris imperiis paruit. Exstant ejus principum numi justo numero, sed rari plerique, et non solum ob hanc causam, sed etiam quod historiam cum sacram, tum profanam magnopere illustrant, avide semper expetiti. Eorum catalogum olim scripsit Harduinus in sua *de numis Herodiadum* dissertatione, quae est in ejus Operib. selectis p. 328, quem subinde copiose auxit Frölichius [b]). Operae pretium puto, omnem Herodis genealogiam hoc loco ob oculos ponere, non levi ad explicandos ipsos numos subsidio. Eam post alios proposuit cl. Brotierus in suis ad Tacitum notis [c]), etsi in nonnullis mancam, uti v. g. in Herode M. omisit uxorem primam Dorin matrem Antipatri. Nostris usibus sequens catalogus, etsi contractior sufficiet. Qui plus desiderat, adeat Reinerum Reineccium.

STEMMA HERODVM ILLVSTRATVM.

1. ANTIPATER, dynasta Idumaeus, Hyrcano a consiliis, et in rebus gerendis primus administer. Ejus uxor 2) CYPROS nobilis ex Arabia prosapiae. Vide Iosephum, ex cujus testimoniis etiam quae sequuntur, pleraque deprompta.

3. HERODES MAGNVS. Vide numos.

4. DORIS uxor prima, plebeia, ex

a) Pag. IV. et XIV. b) Regg. vet. num. anecd. p. 90. c) Tom. II. p. 368.

Digitized by Google

aula ejicitur. Ejus filius 5) ANTIPATER. Postquam multas in patrem fratresque turbas dedisset, patris jussu paullo ante hujus mortem occiditur.

6. MARIAMNE patre Alexandro, Aristobulo II. avo genita, altera Herodis M. uxor.

7. ARISTOBVLVS Herodis M. et Mariamnes filius, a patre occiditur.

8. BERENICE Aristobuli uxor ex Idumaeis oriunda, Antoniae Claudii Aug. matris familiaris.

9. AGRIPPA I. Aristobuli et Berenices filius. Vide numos.

10. CYPROS filia Phasaeli, Agrippae I. uxor. Ei Iuliae nomen a nonnullis perperam adfictum est. Vide proximam Berenicen.

11. AGRIPPA II. Agrippae I. et Cypri filius. Vide numos.

12. DRVSVS moritur infans.

13. BERENICE Agrippae I. et Cypri filia, nupta primum Herodi Chalcidis regi, deinde Polemoni II. a patrio Ponti regno ad partis Ciliciae regnum traducto, sed a quo innata sibi levitate discedit. Tito Caesari occasione belli Iudaici cognita et impense amata victorem Romam comitatur, serius a Tito generose dimittitur, quod hunc amomorem displicere Romanis intellexit. Ad eam pertinet celebre epigramma, quod Athenis vidit Sponius: (Voyage Tom. III.)

ΙΟΥΛΙΑΝ. ΒΕΡΕΝΙΚΗΝ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ. ΜΕΓΑΛΗΝ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΘΥΓΑΤΕΡΑ. ΚΑΙ. ΜΕΓΑΛΩΝ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ. ΤΗΣ. ΠΟΛΕΩΣ. ΕΚΓΟΝΟΝ.

Iuliam Berenicen reginam magnam Iulii Agrippae regis filiam, et magnorum regum benefactorum urbis neptem. Mirum sane, hanc epigraphen a Frölichio [a]), eumque secuto Brotiero referri ad Cypron Agrippae I. uxorem, cum singula paene verba huic sententiae adversentur. Errori causam praebuit numus Graecus inscriptus: ΑΓΡΙΠΠΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛΙΑΣ. ΥΙΟΣ, quem jam Harduinus adscripserat Agrippae II. Agrippae I. filio [b]), cumque in numo hujus mater dicatur *Iulia*, creditum continuo, Cypron dictam quoque fuisse *Iuliam*, et ex marmoris testimonio etiam Berenicen. Verum satis hodie constat, Graecum hunc numum pertinere ad hominem Romanum, nempe Agrippam Postumum, qui fuit filius M. Agrippae, et Iuliae Augusti filiae. Nihil ergo praesens marmor ad Cypron; nam totum est ejus Berenices, quam pater *Iuliam*, ut sese *Iulium* in honorem gentis Iuliae sueta tum adulatione vocaverit, sitque Cypros solo suo interea, et nativo nomine contenta.

14. DRVSILLA. Agrippae I. filia, Agrippae II. soror, uxor primum 15) AZIZI, Emesae regis, qui ut Drusillam ex lege ducere posset, verpus esse maluit. Deinde 16) Antonii FELICIS Iudaeae praesidis, cui fortuna per vices tres uxores reginas attulit. V. Walchium de Felice trium reginar. marito in Symb. liter. Rom. Decade II. Vol. III.

17. AGRIPPA Drusillae et Felicis

a) Notit. elem. p. 228. b) Chronolog. vet. test. p. 573.

Digitized by Google

filius. Cum matre in Vesuvii incendio Tito imperante perit.

18. MARIAMNE, Simeonis filia, uxor Herodis M.

19. HERODES, qui et PHILIPPVS apud Marcum [a]), alius a Philippo tetrarcha, de quo infra. Fuit Herodis M. et Mariamnes filius.

20. HERODIAS Agrippae I. soror, nupsit primum Herodi Philippo patruo, subinde abducta ab altero patruo Herode Antipa, ejus deinde in exilium pulsi comes.

21. SALOME Herodis Philippi et Herodiadis filia, quae matris suasu petiit necem Ioannis Baptistae. Vide Iosephum, et Matthaeum [b]).

22. MALTHACE Herodis M. uxor.

23. ARCHELAVS Herodis M. et Malthaces filius, ethnarcha Iudaeae post patris mortem ab Augusto dictus [c]). Anno principatus X. Viennam Galliae in exilium mittitur.

24. HERODES ANTIPAS Herodis M. et Malthaces F. tetrarcha Galilaeae, Herodiadis alter maritus. Vide numos.

25. CLEOPATRA Herodis M. uxor.

26. PHILIPPVS Herodis M. et Cleopatrae F. Ituraeae et Trachonitidis tetrarcha. Vide numos.

27. HERODES Agrippae I. frater, cujus et filiam Berenicen, suam neptem, uxorem habuit. Fuit rex Chalcidis. Vide numos.

28. MARIAMNE altera Herodis Chalcideni uxor.

29. ARISTOBVLVS Herodis Chalcideni et Mariamnes F. A Nerone Armeniae minori praeficitur.

HERODES MAGNVS.

Antipatri Idumaei filius, jam inde a puero magnis rebus intentus Romanorum primores sive Pompejanos, sive Caesarianos sibi cumprimis observandos duxit, valuitque tantum apud eos gratia, ut ab Antonio, cujus potestati permissus Oriens, Iudaeae tetrarcha, ac non multo post V. C. 714 rex ipsius etiam senatus voluntate designaretur [d]). Sed exclusus tum ab Antigono Hasamonaeo Iudaeae regnum Parthorum beneficio occupante, subinde impetratis ab Antonio auxiliis, quorum dux Sosius, Antigonum Hierosolymis inclusum ad deditionem cogit, ipse remoto aemulo Iudaeae regnum securus auspicatur V. C. 716 [e]). Augusti gratiam ut captaret, retineretque, omnibus grassabatur obsequiis, aedificatis ejus nomine urbibus dicatisque templis. Denique post administratum gnaviter, magnifice, ac liberaliter regnum, sed et infanda crudelitatis exempla, qua in suspectos quosvis, atque ipsos etiam liberos, uxores, propriumque sanguinem desaeviit, enatis per totum corpus vermibus inter atrocissimos dolores animam efflat V. C. 750, de quo mortis anno vide, quae proxime in numis filii Herodis Antipae disputabuntur. Supremis tabulis regnum sic inter filios divisit, ut

a) Cap. VI. v. 17. b) XIV. 3. seq. c) Ioseph. Ant. L. XVII. c. 11. §. 4. d) Ios. Ant. Iud. L. XIV. c. 14. §. 4. 5. et Bell. Iud. L. I. c. 14. §. 4. e) Dio L. XLIX. §. 22.

Digitized by Google

Archelaus rex esset, Herodes Antipas Galilaeae tetrarcha, Philippus Trachonitidos [a]), quod ratum habuit Augustus, nisi quod Archelaum non regis, sed ethnarchae nomine praeesse Iudaeae voluit [b]).

Numi:

ΗΡΩΔΗC. *Botrus.* ℞ ЄΘΝΑΡΧCC. *Galea cristata, juxta perexiguus caduceus.* AE. III. (Liebe p. 139.) Sed Harduinus legit: ΗΡΩΔΟΤ. ЄΘΝΑΡΧΟΤ, (Num. Herodiad. in Opp. sel. p. 328.) quem posteriorem modum in omnibus, quos vidit, deprehendisse se testatur Barthelemyus. (B. L. T. XXVI. pag. 536.)

Alius similis, sed hinc botrus, illinc caduceus. (Barthelemy l. c. ex museo Chamillard.)

Mirum sane, Herodem in his numis dici Εθναρχον, *gentis principem*, quem illi titulum a Romanis datum non constat. Testibus historicis primum *tetrarcha* fuit, mox inde ab anno V. C. 714 *rex*, etsi *ethnarchae* titulus in Iudaeae principibus neque ante, neque post Herodem insolens fuit; nam is teste Iosepho antea datus Hyrcano, posthac Archelao Herodis M. filio. Existimat Spanhemius [c]), appellationem hanc Herodem sibi vindicasse illo tempore, quo, Hyrcano ethnarcha a Parthis victo et in captivitatem abducto solus rerum in Iudaea potiebatur, necdum tamen regis titulo Romae, quod ei postea contigit, decoratus. Sed nullo istud fundamento nititur. Forte verior est conjectura Scipionis Maffeji, existimantis [d]), memoratum in hoc numo Herodem ethnarcham esse potius Archelaum, quem, ut mox diximus, hoc fuisse honoris vocabulo praeditum constat. Ejus opinionis causa princeps est, quod idem hic Archelaus a Dione *Herodes Palaestinus* diserte dicitur [e]), quo modo et is, qui in numis dicitur Agrippa, apud Iosephum, et in Actis Apostolorum c. XII. v. 1. Herodes quoque dicitur, ut pridem post alios advertit Norisius [f]). Addo, eum Herodis M. filium, qui a Marco cap. VI. v. 17. dicitur Philippus, a Iosepho ipsum quoque Herodem appellari [g]). Enimvero animadverto, plerisque Iudaeae principibus geminum fuisse nomen, unum instituti patrii, alterum peregrinum, neque istud solum in gente Herodis, sed jam etiam sub principibus Hasamonaeis, sic qui *Ioannes*, idem et *Hyrcanus*, qui *Iannaeus*, et *Alexander*, qui *Iudas*, et *Aristobulus*, etc. unde veram tenemus causam, cur eorum nomina apud scriptores varient, et quae adeo ipsis etiam numis potest applicari, qui forte domestico nomine appellant illum, qui nobis tantum ex peregrino cognitus est. Iam ex Herodis M. filiis binos habemus ex patris nomine vocatos, Herodem Philippum, et Herodem Antipam, quid ergo vetat, tertium quoque filium fuisse Herodem Archelaum? Adeo verum est, quod ait Plutarchus [h]): πολλα δε, ως

a) Ios. Ant. L. XVII. c. 8. b) Ios. l. c. cap. XI. c) de Pr. num. T. I. p. 521. d) Ant. Gall. p. 113. e) L. LV. §. 27. f) de num. Herod. Antip. g) Ant. Iud. L. XVIII. c. 5. §. 1. h) de Pyth. orac. p. m. 401.

Digitized by Google

ἐοικε, των ὀνοματων ἀποκρυπτουσιν αἱ παρωνυμιαι, *scilicet multa nomina a cognominibus occultantur.*

Typus botri jam ex Hasamonaeorum numis cognitus. De galea quod dicam, non habeo, nisi quod simillimae formae galeam dependentibus cristis habemus in numis Philippi V. Macedoniae regis. Iuxta hanc galeam in his numis apparet minutum sigillum, quod in plerisque iconismis instar 8 vel contracti Graeci ου effictum videmus. At Barthelemyus in suis manifestum caduceum agnoscit, qui et in altero Chamillardi solus numi aversam occupat.

* * *

Galea. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΗΡΩΔΟΥ. L. Γ. *Ara luculenta, in area* T, *cui imminet parvum* o. AE.

Numus similis a variis editus, et ab his varie accepta litera T partis aversae. Harduinus eam dixit principem literam vocis Τιβεριας, apud quam urbem hunc statuit numum signatum [a]), quod esse falsum, mox dicetur. Maffeius eam cum L. Γ. conjunxit, cusumque adeo numum contendit anno 303 aerae Seleucidarum [b]). Sed quascunque has eruditorum sententias oppido fallere demonstravit Barthelemyus, cum testatur, in numo simili recens in museum regis illato observari parvum o literae T imminens, ut adeo haec forma sit instar monogrammatis, neque adeo vel urbem, vel aeram significare possit [c]).

Ex inscripto ΒΑΣΙΛΕΩΣ patet, numos similes esse Herodis cujuspiam, qui regis nomen tulit. Non ergo, quod censuit Harduinus [d]), pertinere possunt ad Herodem Antipam Galilaeae principem, quem regioni huic non regis, sed tetrarchae nomine praefuisse infra dicemus. Perperam vero tetrarcham hunc etiam regem appellatum probare intendit ex Actis apost. cap. XII. v. 1. *misit rex Herodes manus etc.* nam hoc loco Herodis nomine intelligendum Agrippam I., paullo altius diximus. Novi, eundem tetrarcham regem dici apud Matthaeum cap. XIV. et Marcum cap. VI., at constat, a veteribus nonnunquam reges dici, qui erant regis filii, et Herodis M. quidem filii tetrarchae tanto magis, etsi minus proprie, reges dici poterant, quod portioni suae regia potestate praecerant, unde apud Hesychium: Τετραρχαι οἱ βασιλεις, quo sensu et Iosephus Lysaniae tetrarchiam dixit Λυσανιου την βασιλειαν [e]). Interea vix credibile, Herodem Antipam sese in moneta publica dixisse regem; quem tetrarcham tantum esse voluerunt Romani, cujusque moneta certa tetrarchae tantum nomine inscribitur. Quod si rex revera fuit, cur Agrippae I. regi regium titulum invidit, et postremo principatus sui anno profectus est Romam, ut eundem honorem sibi a Caligula peteret [f])? Herodes jure dictos reges novi binos, Herodem M., ejusque ex filio Aristobulo nepotem Herodem Chalcidis regem. Video, ab eruditis praesentes numos jam huic, jam illi Herodi tribui, malim ego Herodi M.; nam qui numi certi sunt Herodis

a) Opp. sel. p. 331. b) Ant. Gall. p. 113. c) B. L. Tom. XXVI. p. 538. d) Opp. sel. p. 331. e) Bell. Iud. L. II. c. 11. §. 5. f) Ios. Ant. L. XVIII. c. 7. §. 1.

Digitized by Google

nepotis, ejus caput proponunt, quia signati a' Chalcidensibus, gente Graeca, quos nulla religio vetuit animantium signa monetae imprimere. E converso existimo, numos, qui his signis destituuntur, tribuendos Herodi M., cusos scilicet in Iudaea superstitionis suae tenace. Istud si verum, signati sunt hi numi V. C. 718, qui fuit regnantis Herodis annus III.

* * *

Clypei quatuor in orbem dispositi. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΗΡΩΔΟΤ. *Galea, in area* ЄΙ. AE. III.

Numum hunc edidit Frölichius ex museo Savorgnan [a]). Ex eadem causa, quam mox prodidi, tribuendum puto Herodi M. Clypei partis anticae eo modo sunt dispositi, quo eos dispositos videmus in numis Macedonicis; sed jam in his monui, in pluribus urbium regumque numis etiam extra Macedoniam hunc typum deprehendi. Ex anno epochae ЄΙ. confit, numum hunc signatum V. C. 730, qui fuit Herodis M. annus XV.

* * *

Numi Herodis M. hactenus ex aere tantum reperti sunt. Si fides Zonarae, aureos etiam, argenteosque flavit. Narrat enim [b]), eum ingruente fame *τον ὁντα κατα τα βασιλεια κοσμον συγκοψαι εἰς νομισμα, thesaurum regium in numos concidisse.* At Fl. Iosephus, unde haec hausit Zonaras, verba: *εἰς νομισμα* reticet, contentus dixisse, aurum et argentum thesauri regii concisum fuisse [c]).

HERODES *Antipas* TETRARCHA.

Patris Herodis M. testamento primum rex, sed mutata voluntate Galilaeae tantum et Peraeae tetrarcha constituitur confirmante Augusto [d]). Ademptam fratri Herodi Philippo uxorem Herodiadem in justae uxoris loco habet, quod cum ei exprobraret Ioannes dictus Baptista, salutaria monentem misso carnifice e medio tollit. Christo sibi tradito illudit. Exeunte Caligulae imperio Romam profectus, ut regis titulum ab imperatore impetraret, sed praeventus Agrippae I. criminationibus Lugdunum Galliae in exilium mittitur, ejus tetrarchia eidem Agrippae tributa V. C. 792 P. X. 39.

Numi:

ΗΡΩΔΟΤ. ΤΕΤΡΑΡΧΟΤ. *Ramus palmae, in area* L. ΛΓ. *in alio:* L. ΛΔ. Ꝟ ΤΙΒΕΡΙΑC. *intra lauream.* AE. II. (Pellerin Rois p. 175, Barthelemy B. L. Tom. XXVI. p. 537.)

Numi hi signati sunt apud Tiberiadem Galilaeae urbem, quam Herodes condidit, et in Tiberii honorem sic appellavit, ut in hujus urbis numis diximus. Anni inscripti indicant annos tetrarchiae, quam ex patris testamento post hujus mortem adivit V. C. 750, ut ad sequentes numos probabimus.

* * *

ΗΡΩΔΗΣ. ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. *Ramus palmae, in area* L. ΜΓ. *in alio:* L. ΜΔ.

a) Ad num. regg. vet. access. tab. II. et in Not. elem. tab. XX. b) Annal. L. V. c. 16. c) Ant. L. XV. c. IX. §. 2. d) Ios. Ant. L. XVII. c. 8 et 11.

Digitized by Google

Ꝟ ΓΑΙΩ. ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ. *intra lauream.* AE. III.

Numi-hi, ex quo detecti fuere, continuo summo loco sunt habiti, quod eorum ope annus mortis Herodis M., atque adeo et annus nati Christi adcuratius innotescit. Tanti ergo momenti cum sint, necessarium cumprimis visum, de eorum fide ac probitate, et ne qua fraus bonam causam corrumperet, nos esse securos.

Is, qui annum ΜΓ, seu 43 exhibet, anno 1689 in lucem prodivit ex museo Rigordii patricii Massiliensis. Migravit deinde in museum le Bret, ut refert Bimardus [a]), ex quo eum citat quoque Panelius [b]). Eum non multo post praeclara dissertatione illustravit Norisius specie epistolae ad Pagium datae: *de numo Herodis Antipae.* Verum quod fusus credebatur, etsi ex vero archetypo, scrupulum eruditis, atque ipsi etiam Norisio injecit, et erant, quibus reprobandus omnino videbatur. Sed universam hanc causam de numi Rigordiani seu probitate, seu mala fide jam parum moramur, ex quo nobis constat, similem alium servari in locuplete thesauro quondam Pellerinii, ut ejus ipsius oraculo docemur [c]), cujus deinde simile exemplar fidei indubitatae nuper ipse in museum Caesareum intuli, sed in cujus aversa legitur: ΓΑΙΩ. ΚΑΙΣΑΡ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΩ.

Alterum cum anno posteriore ΜΔ, seu 44 primus edidit Vaillantius [d]). Vnde insignem hunc numum hauserit, non constat. Ejus tamen certam esse fidem, reperisse se credidit Freretus reperto libello ipsius Gallandi manu exarato, in quo is refert, sibi, cum Nointellum legatum in Palaestinam comitaretur, et apud Hierichuntem subsisteret, oblatum numum aeneum, in cujus facie una palma cum epigraphe ΗΡΩΔΟΥ. ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, et in area ΜΔ, in altera laurea, in cujus tamen medio quid sit, distinguere ipse non potuit. Iudicavit ergo Freretus, idem inscriptum fuisse laureae, quod in numo Rigordiano, nempe: ΓΑΙΩ. ΚΑΙΣΑ. ΓΕΡΜ. ΣΕΒ., neque adeo Vaillantii numisma posse in dubium vocari [e]). Verum metuo, ut hoc Frereti judicio plene liceat acquiescere. Subit enim animum suspicio, visum Gallando numum esse potius illi similem, quem ex hujus Herodis numis supra primum ex Pellerinio et Barthelemyo citavi. Sane si Gallandi verbis disertis stare velimus, plus illi cum hoc, quam cum Rigordiano convenit. Ait, epigraphen numi fuisse: ΗΡΩΔΟΥ. ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ, at in Rigordiano est: ΗΡΩΔΗΣ. ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ, deinde typum fuisse palmam, *palmier*, cujus omnino speciem praebet illud, quod Pellerinii iconismus exhibet, at in Rigordiano simplex est palmae ramus. Illud, quod inclusum laureae distinguere non potuit Gallandus, aeque poterat esse epigraphe ΤΙΒΕΡΙΑC, ac quod malebat Freretus: ΓΑΙΩ etc. Quod ad inscriptum annum attinet, animadvertendum, eum in citato numo Barthelemyi sic exaratum: ΛΔ et quod sequitur, ambiguo sensu, legendumne sit ΛΔ

a) ad Iobert T. II. p. 443. b) Mem. Trev. Octob. 1737. c) Rois p. 175. d) B. L. Tom. II. p. 495. e) B. L. Tom. XXI. p. 292.

Digitized by Google

seu 34, an MΔ, seu 44, et erant eruditi non pauci testibus ipsis Barthelemyo, et Frereto [a]), qui posteriorem hanc lectionem probaverant. Quod his visum, potuit et videri Gallando, potuitque is numi, quem viderat, siglam resolvere in MΔ, resolvendam potius in ΛΔ. Ex quo patet, multo mihi videri verisimilius, hunc Gallandi numum esse ejusdem naturae cum Pelleriniano. At vidit Vaillantius numum Rigordiano similem, sed anno MΔ notatum. At verisimile etiam, Gallandum numi hujus indicium cum Vaillantio communicasse, ab hoc eum cum Rigordiano collatum, ejusdemque esse naturae dempto epochae anno creditum, et talem deinde in iconismo propositum. Non haec otiose, aut Frereti, si viveret, ingratiis disputavi, qui forte et ipse mecum consensisset, si cum citato Gallandi numo contulisset similem alium, quem Barthelemyus ex museo regis recitavit, ac tum profecto minus laborasset in explicando anno MΔ, quem nonnisi quaesitis effugiis cum annis tetrarchiae Herodis Antipae potuit componere.

Misso igitur tantisper anno praetenso MΔ in alterius anni certi MΓ naturam inquiramus, quo usi sunt eruditi ad definiendum annum, quo Herodes M. diem obivit, atque etiam annum nati Christi propius definiendum.

Iam ex Iosephi verbis confecerunt eruditi, mortuum Herodem anno V. C. Varroniano 750 A. X. 4 tempore verno. En causas paucis propositas. Ait, regnasse Herodem post interfectum Antigonum annos XXXIV., postquam autem a Romanis rex creatus fuerat, annos XXXVII. [b]). Ejusdem testimonio creatus est rex Olympiade CLXXXIV. C. Domitio Calvino iterum, et C. Asinio Pollione cos [c]). Processere hi consules V. C. 714 A. X. 40. Hoc ergo anno ipse in urbe praesens conferentibus operam M. Antonio et Octaviano in ipso senatu renunciatus est rex, et quidem ejus primo semestri, nam Iosephus istud factum refert Olympiade CLXXXIV., quae eo anno currebat adhuc usque ad solstitium aestivum. Si igitur principio ejus anni coepit Herodis annus I., necesse est, annum regni XXXVII. coepisse initio anni 750, sed qui annus postremus paucorum tantum esse dierum potuit, quod ipse ejus mense Martio, aut Aprili mortuus est, ut dicetur. Altera nota chronologica a Iosepho citata est annus XXXIV inde ab interfecto Antigono. Factum istud contendit Dio Claudio et Norbano cos. [d]) qui fuere consules anni V. C. 716 A. X. 38, et quidem, ut ex serie historica colligi potest, eo anno jam adulto. Si ergo tum coepit annus I. Herodis, annus ejus XXXIV. coepit anno jam adulto V. C. 749 A. X. 5, quo labente ipse mense Martio sequentis anni Iuliani diem obivit. Aliud Iosephus insigne argumentum offert, cum narrat, Philippum Herodis M. filium mortuum anno Tiberii XX., postquam tetrarchiae annis XXXVII. praefuit [e]). Annus Tiberii XX. fuit annus V. C. 787, a quo ei

a) ll. cc. b) Ant. L. XVII. c. 8. §. 1. §. 22. c) Ant. L. XIV. c. 14. §. 5. d) L. XLIX. e) Ant. L. XVIII. c. 4, 5, 6.

Digitized by Google

subtrahamus annos Philippi XXXVII., devenimus ad annum V. C. 750, quo tetrarchiam mortuo patre adivit Philippus. Haec de anno mortis Herodis M. certa ex Iosepho ducimus. Quod ad anni tempus attinet, binas idem peristases commemorat, primum eclipsin lunae, quae paucos dies ejus mortem praecessit. Eam Astronomi ad diem XIV. Martii figunt. Deinde quod mortuus est Herodes, antequam pascha celebraretur. Ad comprobandum eundem mortis annum praeclare etiam faciunt numi Quinctilii Vari Antiochiae signati cum annis EK. ϛK. ZK. ducendis ab aera Actiaca. Horum postremus ZK, qui haud dubie etiam postremus ejus Syriae praesidis fuerit, incipit in autumno V. C. 749 A. X. 5. Constat vero etiam ex Iosepho, Varum ante Herodis mortem, et etiam aliquanto post, Syriae administratione functum, et non raro ad eum regem commeasse. Ex quo sequitur, ejus mortem diutius differri non posse, quod Augustei moris non fuit, magistratuum imperia prorogare. Haec, quae dixi, copiosius exposuere Vaillantius [a]), ac praecipue Freretus [b]).

Herodis mortem ex Iosephi testimoniis ad tempus vernum anni V. C. 750 A. X. 4 fixum egregie etiam confirmat citatus Herodis Antipae numus cum anno MΓ, seu 43. Constat, eum patris testamento constitutum tetrarcham Galilaeae. Coepit ergo annum I. tetrarchiae numerare mox a morte patris, seu a vere V. C. 750, ergo annus numi MΓ, seu 43 inivit in vere V. C. 792 P. X. 39. Certum vero, Antipam eodem hoc anno in Italiam appulsum tetrarchia spoliatum, et Lugdunum Galliae exulatum ire jussum, quod jam erudite comprobavit Norisius in eundem hunc Antipae numum commentatus. Ex quo efficitur, mortem Herodis M. in annum posteriorem differri non posse. Hactenus plana omnia, ac proclivia. At Freretio numus anno MΔ notatus, quem omnino existere credidit, crucem merito fixit, quod is annus dictos limites et auctoritate copiose stabilitos, nimirum mortem Herodis M. et exilium Antipae excedere videbatur. Hunc ergo excessum ut cum annis Antipae conciliaret, necesse visum primum statuere, anno mortis Herodis alterum mensem Nisan extra ordinem intercalatum, deinde annum Antipae primum fuisse incompletum et paucorum tantum dierum, sic ut sequente proxime Nisan iniret Antipae annus alter, quem morem numerandorum in Iudaeae regibus annorum ex verbis Talmudi comprobat. Sed haec viri praestantis effugia tum tandem amplectenda censebo, cum certi erimus, existere revera numos Antipae anno MΔ notatos, quod supra in dubium vocavi.

Ex hac ergo disputatione necessario sequitur, et invicte demonstratur, aeram vulgarem nati Christi, quam Dionysius Exiguus monachus Scytha ad diem XXV. Decembris V. C. 753 fixit, aliquot saltem annis retardare. Certum enim est ex sacris literis, natum

a) B. L. Tom. II. p. 495. b) B. L. Tom. XXI. Mem. p. 278.

Digitized by Google

Christum, cum adhuc in vivis esset Herodes M. At qua ratione Christus, quem aera nostra vulgaris V. C. 753 natum statuit, Herode adhuc vivente nasci potuit, quem V. C. 750 diem obivisse modo demonstravimus? Vnde sequitur, Christum post annum V. C. 749 nasci non potuisse, et aeram nostram saltem annis IV. plus justo praevertere. Sitne Christi nativitas magis adhuc retrahenda, quod aliqui historicis, chronologicisque argumentis ducti senserunt, meum non est inquirere, quod in praesente instituto numismatica tantum tractamus.

PHILIPPVS TETRARCHA.

Herodis M. et Cleopatrae filius patris testamento Gaulonitidem, Trachonitidem, Bataneam, et Paniadem abstulit [a]). In honorem Augusti Caesaream ad Panium, quae et a conditore *Caesarea Philippi* dicta est, aedificat. Vir moderatus quietique ingenii, et in jure dicundo assiduus, postquam XXXVII. annos tetrarchiae praefuit, mortuus est V. C. 787 P. X. 34. Vacuam ejus morte ditionem, quod prolibus careret, Tiberius provinciae Syriae attribuit [b]).

Numi:

ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. *Caput Augusti laureatum.* Ϟ ΦΙΛ - - - ΤΕΤΡΑΡΧΟΥ. *Templum 4 columnarum, inter quas:* L. Κϛ. AE. III. (Panel Catal. le Bret.) *Alius cum* L. ΛΓ. AE. II. (Maffei Antiq. Gall. epist. 22. pag. m. 112.)

Numum ex citatis alterum cum L. ΛΓ. edidit etiam abbas Fontenu addito erudito commentario [c]). Statuit is, cum pars antica vivi adhuc Augusti effigiem offerat, annum ΛΓ referri non posse ad indicandum annum tetrarchiae. Nam quo tempore Augustus obiit, nonnisi annus XVII. tetrarchiae Philippi agebatur. Conjicit igitur, annum numi ΛΓ pendere ab aera Actiaca in ejusdem Augusti honorem instituta, et a pluribus Syriae urbibus recepta, cujus initium cum sit annus V. C. 723, apparere, annum ΛΓ coepisse V. C. 755, qui fuit annus V. Philippi. Haec eruditus abbas, verum satis apparet, cum sic scripserat, nondum illi fuisse cognitum numum Panelii cum L. Κϛ, qui ductus ab aera Actiaca inibit in autumno 749, verum toto hoc tempore regnavit adhuc pater Herodes. Vix igitur dubitari potest, annos his numis inscriptos esse annos tetrarchiae, praecipue cum videamus, in omnium aliorum Iudaeae principum numis annos inscriptos semper ab eorum principatu pendere. Nihil vero obest, caput Augusti praeferre viventis speciem nullo adjecto consecrationis cultu, nam videbimus infra copiosos Vespasiani et Titi numos post eorum obitum sub Agrippa II. signatos nullo consecrationis indicio.

Cum pars adversa sistat caput Augusti, verisimile est etiam, templum aversae esse illud ipsum, quod teste Iosepho

a) Ios. Ant. L. XVII. c. 8. §. 1. b) Ios. Ant. L. XVIII. c 4. §. 6. c) B. L. hist. T. V. p. 270.

Digitized by Google

Herodes pater juxta specum Panium in Augusti honorem struxit.

Primi sunt hi principis Iudaici numi, qui effigiem insculptam exhibent, cujus plura deinceps exempla dabunt numi Agrippae II. Sed verisimile est, Graecos his principibus subjectos id genus numos feriundos curasse. Constat passim ex Iosephi belle Iudaico, hujus tractus urbes a Graecis habitatas. Quanquam constet etiam, Iudaicos reges, ex quo Romanis obnoxii esse coepere, cum legibus suis laxius cohaesisse. Exemplo esto, Herodem M. templa Augusto condidisse, deinde Herodem tetrarcham Tiberiade domum suam animantium signis exornasse, serius propterea ab iratis Iudaeis incensam, ut refert Iosephus in Vita sua cap. 12. Quanto statuarum populo antiqua clarorum artificum exemplaria imitantium Agrippa II. Caesaream Philippi frequentaverit, narrat Iosephus [a]).

AGRIPPA I. MAGNVS.

Natus Aristobulo Herodis M. filio et Berenice. Caeso patre cum matre octennis Romam profectus et in aula educatus paullatim profuturas sibi amicitias contraxit. Caligulam quod impensius coleret, a Tiberio extremo imperii anno conjectus in vincula, sed hoc paullo post mortuo non libertatem modo volente Caligula, sed et patrui Philippi, et Lysaniae tetrarchias regio nomine adeptus est, adjecta non multo post Antipae in exilium missi tetrarchia. Ergo in Orientem profectus, rebusque ibi ordinatis Romam redux, dum Claudium in obtinendo imperio prompte adjuvat, hujus beneficio veterem ditionem Iudaeae, Samariae, Abilae accessionibus auget. Exactis annis regni VII. moritur, suis propter adfectum in leges patrias multum commendatus V. C. 797, P. X. 44. (Ios. Ant. L. XIX. c. 8. §. 2. Philo de Legat. ad Caium.)

Numi:

Caput Caligulae. ✠ ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΑΣΤΛΟΥ. ΑΠΡΙΠΠΑ. ΒΑΣΙΛΕΥ. *Vir togatus stans d. chartam involutam.* AE. II. (Vaill. Num. Graec. p. 11.)

ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΑΣ. ΙΕ - - - *Caput Caligulae laur.* ✠ ΒΑΣΙΛ. ΑΓΡΙΠΠΑ. Γ. *Princeps cum sceptro in lentis quadrigis.* AE. II. (Frölich Not. elem. tab. XX. n. 10. ex museo Savorgnan.)

Numum priorem Vaillantius et Frölichius Caesareae Palaestinae signatum adserunt, sed perperam, ut videtur, ex binis causis, I. quod imperante Caligula, cujus caput antica exhibet, Samaritis, in qua sita Caesarea Palaestinae, Agrippae nondum paruit, ejus ditioni serius Claudii beneficio adjecta, ut diserte tradit Iosephus [b]). II. quod Caesarea Palaestinae nunquam sese in numis *asylum* dixit. Erit ergo *Caesareae Sebastes*, quae et Panias dicta, condita a Philippo tetrarcha Agrippae nostri patruo, cujus ditionem a Caligula primo imperii sui anno Agrippae regio nomine permissam idem Iosephus auctor est [c]), et quae docentibus numis aliis constanter sese dixit *asylum*.

a) Ant. L. XX. c. 9. §. 4. b) Ant. L. XIX. c. 5. §. 1. c) L. XIX. c. 4. §. 5.

Digitized by Google

Ex iisdem causis alterum quoque numum eidem Caesareae Paniadi confidenter largior. Non placet το ΣΕΒΑΣΤΑΣ a Frölichio promulgatum. Quid enim Dorismus in numo hujus tractus? Dividendum censeo vocabulum, legendumque: ΚΑΙΣΑΡ*ειας* ΣΕΒΑΣΤ*ης* ΑΣυλ*ου* ΙΕ*ρας*. Litera Γ annum haud dubie significat, et quidem principatus Agrippae. Typum uterque numus Romanum habet.

* * *

ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΜΕΓΑΣ. ΑΓΡΙΠΠΑΣ. ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ. *Caput regis diadematum.* Ɪ ΚΑΙΣΑΡΙΑ. Η. ΠΡΟΣ. ΤΩ. ΣΕΒΑΣ. ΛΙΜΕΝΙ. *Mulier stans cum gubernaculo et cornucopiae.* AE. II.

Ita utriusque partis epigraphen legendam censuit Belleyus [a]), aliis pro ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ legentibus ΦΙΛΟΚΛΑΤΔΙΟΣ, quanquam istud non immerito quidem, quando et frater Herodes, ut mox videbimus, se dixit *Philoclaudium*, et de Claudii in Agrippam officiis constat. Epigraphen vero aversae: *Caesarea ad portum Sebastum*, a variis varie, sed inique lectam, idem restituit ex numis Neronis apud Caesaream Samaritidos, cui et praesens numus debetur, signatis. Ejus explicationem pete ex moneta hujus urbis. Dicitur in numo ΜΕΓΑΣ, nimirum a Caligula Claudioque, ut in ejus vita diximus, tot provinciarum accessionibus ornatus, quarum reditus teste Iosepho [b]) fuere MCC myriades drachmarum.

* * *

Caput Claudii. Ɪ ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠ. ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. *intra lauream.* AE. II. (Vaill. Num. Graec. p. 14.)

Signatus numus Tiberiade Galilaeae cum capite Claudii, qui non modo Agrippam multis beneficiis adfecit, sed ut videtur, etiam urbem; nam haec se deinceps in ejus honorem ΚΛΑΤΔΙΟΤΙΒΕΡΙΕΩΝ inscripsit.

* * *

*βα*ΣΙΛΕΤΣ. ΑΓΡ*ιππα*. *Caput Agrippae diadematum.* Ɪ *ἀγε*ΙΠΠΑ. ΤΙΟΥ. ΒΑΣ*ιλεως*. *Agrippa filius in citato equo.* AE. III. (Wise Mus. Bodl. p. 118.)

Hujus numi explicationem pete ex numis synchronis Epiphanis et Callinici Antiochi IV. Commageni filiorum, qui et ipsi ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΥΙΟΙ, *regis filii*, in numis appellantur, et equis vecti proponuntur. Teste Iosepho Agrippa eundem Antiochum liberali hospitio excepit [c]).

HERODES REX *Chalcidis.*

Agrippae I. frater, quo deprecante a Claudio Chalcidis regnum obtinet [d]). Regnavit annos VIII.

Numi:

ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΗΡΩΔΗΣ. *φιλοκλα*ΥΔΙΟΣ. *Caput diadematum.* Ɪ ΚΛΑΤΔΙΩ. ΚΑΙΣΑΡΙ. ΣΕΒΑΣΤΩ. ΕΤ. Γ, *in alio:* ΕΤ. Ε. *intra coronam.* AE. II. (Harduin, Seguin.)

ΒΑΣΙΛΕΤΣ. ΗΡΩΔΗΣ. *Caput diadematum.* Ɪ ΚΛΑΤΔΙΑ. ΚΑΙΣΑΡΙΑ *intra coronam.* AE. III. (Harduin Num.

a) B. L. Tom. XXVI. p. 450. b) Ant. L. XIX. c. 8. §. 2. c) l. c. §. 1. d) Ios. Ant. L. XIX. c. 8. §. 1.

Digitized by Google

Herod.) Verum in alio simili, qui est in museo principis Waldeck, lego hinc: ΒΑCΙΛЄΤC. ΗΡΟΔΗC, illinc: ΚΛΑΤ-ΔΙΩ. ΚΑΙCΑΡΙ.

Titulus *Philoclaudii* grati in Claudium est animi argumentum, et *regis* nomen numos hos praelucente historia hujus esse Herodis proprios jubet. Si vera esset Harduini lectio, haberemus in numo priore ludos *Claudia Caesarea*, sed cum in numo simili, quem ipse vidi, scriptum sit ΚΛΑΤΔΙΩ. ΚΑΙCΑΡΙ, pro ludis habemus nomen ipsum Claudii Caesaris dedicandi formula.

AGRIPPA II.

Agrippae I. filius. Patre V. C. 797 mortuo annos natus XVII. aliquamdiu privatus vixit, dum illi V. C. 801 P. X. 48 Claudius Chalcidis regnum Herodis morte vacuum impertiret. Ei quinquennio post Claudius pro Chalcide tetrarchiam Philippi regio nomine concessit, quam subinde Nero parte Galilaeae auxit [a]). Ortis sub hoc in Iudaea turbis auctor primum suae genti fuit, ut arma adversum Romanos ponerent, at cum nihil proficeret, cum Vespasiano arma junxit. Propterea a gente Flavia ad imperii fastigium evecta benigne semper habitus in regia dignitate annos natus LXXII. obiit V. C. 852 P. X. 99 regum Herodiadum, omniumque Iudaeae regum postremus.

Numi:

Sunt hi justo numero, omnes fere epochae anno insignes, quam coepisse dicemus V. C. 814 P. X. 61. Sunt praeterea variae naturae, alii bilingues, alii ritus vere Iudaici, alii peregrini, alii notam S. C. praeferunt. Eos omnes studiosius descripsit Frölichius [b]), a quo tempore vix alium proditum reperi.

* * *

ΒΑCΙΛЄΩC. ΑΓΡΙΠΠΑ. *Tabernaculum.* Ɪ L. E. ς. Z. Θ. *Tres spicae.* AE. III.

Dubitatum, sintne similes numi Agrippae I., an II. Istud certum, numos anno Θ notatos Agrippae I. esse non posse, qui VII. tantum annos regnavit. Sed istud ipsum, postremum hunc numum Agrippae II. necessario tribuendum, argumento mihi est, etiam praecedentes, quia simillimae sunt fabricae, et formae, esse posterioris Agrippae. Censent eruditi, his typis indicari tabernaculorum festum, et oblationem primitiarum frugum. Solos hos numos vere Iudaicos dixeris, quod signis animantium abstinent. Reliqui omnes hominum aut capita, aut signa ostentant, unde conjicere licet, eos a Graecis signatos.

* * *

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Caput Neronis.* Ɪ ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΕΡΩΝΙΕ. *intra coronam.* AE. III. (Pellerin Rois p. 176. Vaill. Frölich.)

Numum hunc signatum esse Neroniade, quae et Caesarea Paniados, jam dixi in numis hujus urbis, quo loco et eum explicatum habes. De praefixo ΕΠΙ vide paullo infra.

a) Ios. Ant. L. XX. c. 8. §. 4. b) Reg. vet. num. p. 105.

Digitized by Google

* * *

ΒΑCΙΛΕΟC. ΜΑΡΚΟΥ. ΑΓΡΙΠ-ΠΟΥ. *Dextera spicas et papavera stringens.* Ɪ ЄΤΟΥC. ΑΙΥΟΥ. *Corolla, omnia intra coronam.* AE. III. (Pellerin Suppl. I. p. ».)

Bina in praeclaro hoc numo singularia occurrunt, I. praenomen ΜΑΡΚΟΥ, quo Agrippam nostrum usum ex nullo alio monumento constat. Tractum illud conjicit Pellerinius a *Marco* Antonio IIIviro, cujus benevolentiae stirps Herodiadum splendorem suum debuit. Forte tutius alii ab ipso M. Agrippa Augusti genero duci volent. II. Modus scribendi anni regni ΑΙΥΟΥ, quod positum pro *ἐνδεκατου*, id est: anno XI., nimirum numero cardinali ΑΙ, seu XI. addita terminatio ordinalis ΤΟΥ ex vocabulo *ἐνδεκα*ΤΟΥ. Eodem loco exemplum simile adfert ex numo Antonii et Cleopatrae, in quo scriptum: ЄΤΟΥC. ΚΑΤΟΥ. ΚΑΙ. C., id est: *ἐτους εἰκοστου πρωτου και διακοσιοστου, anno XXI. supra CC.*

* * *

Epigraphe et caput Vespasiani, in aliis Domitiani. Ɪ ΒΑ. ΑΓΡΙΠ. Ι. ΙΔ. *Victoria stans scribit in clypeo.* AE. I. II. (Frölich, alii.)

Cum epocha Agrippae II. coeperit anno V. C. 814, ut infra ex numo Domitiani patebit, numi praesentes signati sunt V. C. 827. Frölichius nullum certum hujus Agrippae numum cum capite Vespasiani novit, cujus inscriptus annus praesentem ΙΔ praeverteret. Quare promulgatos a Vaillantio numos cum capite Vespasiani, et annis Z et Θ male lectos suspicatur, quod annus Z a capite epochae V. C. 814 ductus nondum in imperium Vespasiani, et annus Θ nonnisi in ejus annum I. incidat. Quare conjicit, in iis potius scriptum ΙΖ et ΙΘ. Typus haud dubie captae Iudaeae memoriam renovat.

* * *

Caput in aliis Titi, in aliis Domitiani. Ɪ ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ЄΤ. ΙΘ. *Triremis.* AE. II. (Vaill. Harduin.)

Idem alterutrius caput. Ɪ ЄΤΟ. Κ. ΚΑ. ΚΓ. ΚΔ. *Palma, vel Victoria.* AE. II. (Frölich.)

* * *

IM. CA. D. VESP. F. DOM. AV. GER. COS. XII. *Caput Domitiani laur.* Ɪ ЄΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ЄΤ. Κϛ. S. C. *Caduceus inter duplex cornucopiae.* AE. III. (Harduin num. Herod. Vaill. Num. Graec.)

Eadem adversa. Ɪ SALVTI. AV-GVST. S. C. ЕΠΙ. ΒΑ. ΑΓΡΙ. ЄΤ. Κϛ. *Ara.* AE. II. (Harduin l. c. ac praecipue Frölich Reg. vet. p. 111.)

Hi numi initium epochae, qua usus est Agrippa II., stabiliunt. Domitianus nonnisi anno V. C. 839 P. X. 86 fuit consul XII., quo eodem anno currebat annus Κϛ, seu 26, ergo annus ejus epochae primus figendus ad V. C. 814 P. X. 61, qui fuit imperantis Neronis octavus, Agrippae inde ab V. C. 801 P. X. 48, quo rex a Claudio dictus est, decimus quartus. Quae Agrippae causa fuerit constituendae aerae anno regni sui XIV., non constat. Harduinus, qui stabilitam eam adserit propterea, quod eo anno commissum Agrippae ex S. C. imperium rei militaris

Digitized by Google

in Palaestina est [a]), hujus causas sententiae hodieque nobis debet. Pagius annum Kς ad regnum Agrippae refert [b]), sed satis eum refellunt anni numorum, quos dedimus, et dabimus, cum imperantibus compositi.

At plura alia numi hi observatu digna offerunt, primum, quod bilingues sunt, deinde quod regis nomini praefigitur ΕΠΙ, denique quod additur nota senatusconsulti S. C., quae omnia simul conjuncta in nullo alio numo vetere reperiuntur, et quae explicare mearum non esse virium profiteor. Quod ait Frölichius, numos similes a Romanis colonis, sed Agrippae subjectis cusos videri [c]), tantum abest, ut dubium tollat, ut etiam augeat. Nam si Agrippae subjecti, quid ad eos senatus consultum? Cum viderem praepositum ΕΠΙ, credidi primum, Agrippam in urbe aliqua Iudaeae, vel Samaritidos Romanis subjecta magistratu honorario functum, ut olim Carthagine Nova Mauretaniae reges Iubam II. et Ptolemaeum, quia praefixum ΕΠΙ plerumque magistratum eponymum indicare solet: verum et in numo supra citato: ΕΠΙ. ΒΑΣΙΛΕ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΕΡΩΝΙΕ. legimus praefixum ΕΠΙ, qui tamen numus signatus est apud Neroniadem, quam in Agrippae fuisse potestate constat, ex quo illi hunc tractum Nero cessit [d]). Praestat, in tanta caligine non ultra progredi.

* * *

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑC. *Caput laur.* ℞ ЄΤΟ. Kς. ΒΑCΙ. ΑΓΡΙΠΠ. *vel* ΑΓΡΙΠΠΑ, *vel* ΑΓΡΙΠΠΑC. *Victoria inscribens clypeo, et pede galeam calcans.* In aliis: *Duplex cornucopiae, intra quod caduceus.* AE. II. III. (Frölich l. c.)

Recitavi hos numos, ut appareat, eodem anno Kς plures variae rationis numos ab Agrippa signatos fuisse.

* * *

ΑΥΤΟΚΡΑΤ. ΟΥЄCΠΑCΙΑΝΩ-CЄΒΑCΤΩ, *vel similiter, vel:* ΑΥ-ΤΟΚΡ. ΤΙΤΟC. ΚΑΙCΑΡ. CЄΒΑC. *vel similiter, vel,* ΔΟΜЄΤΙ. CЄΒΑC. ΓЄΡ. ΜΑΝΙ. *aut similiter.* ℞ ΒΑ. ΑΓΡΙΠΠΑ. cum annis variis: ЄΤΟ. Kς. ΚΖ. ΚΘ. *Dea stans cum cornucopiae, vel Victoria, vel duplex cornucopiae etc.* AE. I. II. III. Singulos ex variis museis recitat Frölichius.

Paullo ante comprobavi, epocham Agrippae II. incipere V. C. 814, cujus anno XIX. mortuus Vespasianus, et anno XXI. Titus. Ex quo sequitur, citatos Vespasiani et Titi numos cum annis 26. 27. 29, quoniam utriusque vitam excedunt, iis vivis feriri non potuisse, sed post mortem grati animi causa in honorem gentis Flaviae, cui, ut mox dicetur, plurimum debuit Agrippa, etsi, quod mirum, utriusque consecrati absit mentio. At enim non alius superest hunc excessum explicandi modus.

* * *

ΒΑ. ΑΓΡ. *Caput muliebre turritum.* ℞ ЄΤ. ΔΛ. *Cornucopiae.* AE. III. (Pellerin Rois p. 176.)

ΑΥΤΟ. ΔΟΜЄ - - - *Caput Domi-*

a) Num. Herod. Opp. sel. p. 349. b) Crit. Bar. ad ann. Chr. 60. c) Reg. vet. p. 111. d) Ios. Aut. L. XX. c. 8. §. 4.

Digitized by Google

tiani laur. ☧ ЄΠΙ. ΒΑϹΙ. ΑΓΡΙΠ. ЄΤ. ΛЄ. *omnia intra lauream.* AE. II. (Harduin.)

Anni 34 et 35 postremi sunt, quos cogniti hactenus Agrippae numi offerunt. Ex quo patet, Agrippam II. anno V. C. 848 P. X. 95, et sub Domitiani exitum vixisse adhuc et regnasse. Alioqui et teste Iusto Tiberiensi apud Photium [a]) Agrippa noster παρελαβε την ἀρχην ἐπι Κλαυδιυ, ηὐξηθη δε ἐπι Νερωνος, και ἐτι μαλλον ὑπο Ουεσπασιανυ, τελευτα δε ἐτει τριτῳ Τραιανυ, *inchoavit regnum sub Claudio, auctus sub Nerone, et adhuc magis sub Vespasiano, mortuus vero anno III. Trajani*, ergo anno V. C. 852 P. X. 99, vel anno serius. Haec non vidit Tillemontius, qui Agrippam circa annum P. X. 93 mortuum conjecit. Vide argumenta alia a Frölichio ad stabiliendam Agrippae II. mortem proposita [b]).

ZENODORVS TETRARCHA PONT. MAX.

Eum, etsi Iudaici ritus non fuerit, cum principibus Iudaicis conjungimus, quia eorum aetate vixit, et tetrarchiam obtinuit, quae deinde Herodi ejusque posteris permissa fuit. Zenodori vitam et res gestas in ejus numi explicatione, quem mox recitabimus, erudite descripsit Belleyus [c]).

Hic Zenodorus conducta pretio Lysaniae tetrarchia, quae Trachonitide, Batanea, Auranitide, Paniade constabat, latro verius, quam princeps, ac propterea delatus Augusto circa annum V. C. 730 ejus jussu solam Paniadem retinuit demptis provinciis reliquis paullo post Herodi M. permissis. V. C. 734 praesente in Syria Augusto cum restitui sibi veterem ditionem incassum peteret, eodem anno Antiochiae exstinguitur, residua ejus ditione Herodi quoque donata.

Numi:

NE. KAI. L. ZΠ. *Caput Augusti nudum.* ☧ ZΗΝΟΔΩΡΟΣ. ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ. ΚΑΙ. ΑΡΧΗΡ. *Caput Zenodori nudum.* AE. II. (Belley l. c. Pellerin Rois tab. XVI.)

Hanc, quam proposui, veram esse hujus numi epigraphen, ex integriore Pelleriniano comprobavit Belleyus, cum inique hactenus ab Harduino, Vaillantio, Morellio lectum esset L. ΒΠΣ vel ΘΠΣ, aut similiter pro certo L. ΖΠ, et in aliorum lectione vocabulorum varie esset peccatum. Dicitur Zenodorus ΤΕΤΡΑΡΧΗΣ ex causa, quam diximus. Titulum ΑΡΧΗΡ., qui additur, perperam scriptum pro ΑΡΧΙΕΡεως, dubitari nequit, unde discimus, Zenodorum cum principatu etiam pontificis max. dignitatem conjunxisse.

NE. KAI. juxta caput anticae scriptum Havercampus explevit legendo: ΝΕρων ΚΑΙσαρ. Verum omnium consensu caput illud est Augusti, et hoc imperante vixit, mortuusque est Zenodorus. Verius rectiusque Belleyus legit ΝΕος ΚΑΙσαρ, *junior Caesar*, et talis dici poterat Octavianus a I. Caesare adoptatus, eodem fere sensu, quo is, antequam Augustus diceretur, in nu-

a) Cod. 33. b) Reg. vet. p. 93. c) B. L. Tom. XXVIII. p. 545.

Digitized by Google

mis scribitur CAESAR. DIVI. F. Sic et in numis Faustinae jun. habemus NЄA. ΦAVCTЄINA.

Restat expediendus annus epochae ZΠ, cujus ut initium reperiatur, in utrumque Zenodori terminum inquirendum. Caeso Cleopatrae insidiis Lysania, qui V. C. 714 patri Ptolemaeo Mennaei F. successit, Chalcidis tetrarchia M. Antonii beneficio eidem Cleopatrae permissa fuit. Obiit haec violenta morte V. C. 724. Ergo ante hunc annum Zenodorus tetrarchiam sibi ab Octaviano permissam adire non potuit. Zenodorum mortuum diximus V. C. 734. Certum igitur, intra X. hos annos Zenodori numos signatos. At mihi magis adhuc spatium istud coarctandum videtur. Nam Octavianus V. C. 727 dictus *Augustus* deinceps minus digne *novus Caesar* appellabatur, quo eum nomine hi numi compellant. Ergo si ex his principiis annos 87 revolvamus, nutabit aerae principium inter annos V. C. 637 et 640, sed incerta tamen ejus constitutae causa. Existimat Belleyus, regibus Syriae ea aetate inter se digladiantibus Chalcidenses excusso Syrorum jugo autonomiam sibi impetrasse, et inde annos computare coepisse, cui deinde instituto sese quoque Zenodorus accommodaverit.

CLASSIS III.

Numi Iudaici Augustorum nomine cusi.

Exstant numi aenei parvi inde ab Augusto usque in Neronis aevum, quos in Iudaea signatos jure censemus, quia more Iudaico nullum animantis signum insculptum offerunt, et praeterea annos imperantis principis, quod etiam huic tractui proprium, inscribunt. Lubet eos, ut sibi successere, paucis enarrare.

* * *

Augustus.

KAICAPOC. *Spica.* Σ L. Λ. ΛΓ. ΛЄ. ΛΘ. M. MA. *Palma.* AE. III. (Mus. Caes. Morelli impp.)

Anni inscripti sunt anni Victoriae Actiacae V. C. 723.

* * *

Tiberius et Iulia mater.

IOTΛIA *intra coronam.* Σ L. Γ. vel L. ς. *Lilium.* AE. III. (Pellerin Rec. II. p. 241. Morelli num. Liviae tab. III. n. 36.)

IOTΛIA *intra coronam.* Σ L. B. *Palmae ramus.* AE. III. (Panel de numo Tarrac. tab. III.)

TIBЄPIOT. KAICAPOC. CЄ. *Simpulum.* Σ IOTΛIA. CЄ. *Lilium.* AE. III. (in meis Num. vet. p. 288.)

Pellerinus vocabulo IOTΛIA numi sui putabat indicari Iuliadem Galilaeae urbem, eumque in hac cusum, quanquam non abhorreat ab eorum sententia, qui illo Iuliam Augusti filiam intelligendam credidere. Prior sententia certe fallit docente numo III., in quo vocem IOTΛIA excipit CЄβαςη. Alteram conjecturam evertit non eadem modo causa, nam Iulia Augusti filia nunquam Augustae nomen tulit, sed etiam inscripti anni B, Γ, qui, cum in hac sententia ducendi forent ab aera Actiaca, respondebunt annis V. C. 724, 725, quo tempore Iulia puella fuit no-

Digitized by Google

vennis, et nullo tum adhuc illustriore nomine. Est ergo horum numorum Iulia mater Tiberii, ut plane patebit ex numis sequentibus.

* * *

TIBЄPIOT. KAICAPOC. L. H. *vel* IA. *Simpulum.* ℞ IOTΛIA. KAICAPOC. *Tres spicae colligatae.* AE. III. (Mus. Caes.)

TIB. KAICAP. *intra lauream.* ℞ IOTΛIA. L. A. *vel* Θ, *vel* IA, *vel* IΔ. *Palmae ramus.* (Morelli num. Liviae, Mus. Caes. Panel l. c.)

TIBЄPIOT. KAICAPOC. *Lituus.* ℞ L. IZ. *in alio:* L. IH. *intra coronam.* AE. III. (Pellerin Lettres p. 5. Neumann.)

Anni inscripti sunt anni Tiberii. In numis primi loci post IOTΛIA. KAICAPOC subaudi μητης.

* * *

IOTΛIA. *Botrus cum racemo.* ℞ L. A. *Diota.* AE. III. (Bayer Vindic. p. 25.)

Numum hunc esse Iuliadis Galilaeae conjecit Bayerius. Verum descripti hactenus numi, magis Iuliam Aug. exigere videntur. Accedit, si essent ejus Galilaeae urbis, scripturos monetarios fuisse IOTΛIAC, quod fuit certius ejus oppidi nomen, quo modo legitur etiam TIBЄPIAC in numis vicinae Tiberiados.

* * *

Claudius et Agrippina jun.

TI. KΛATΔIOC. KAICAP. ΓЄPM. L. IΔ. *Duae spicae decussatae.* ℞ IOTΛIA. AΓPIΠΠINA. *intra lauream.* AE. III. (Mus. Caes.)

* * *

Nero et Britannicus Caess.

NЄPΩN. KΛAT. KAICAP. *Duo clypei decussati.* ℞ BPIT. KAI. L. IA. *vel* L. IΔ. *Palma.* AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Mel. I. tab. 1.)

Annus uterque est Claudii, cujus duos filios Caesares hi numi exhibent, Neronem adoptivum, Britannicum naturalem.

* * *

Nero Aug.

NЄPΩNOC *intra lauream.* ℞ KAICAPOC. L. Є. *Palmae ramus.* AE. III. (Mus. Caes.)

Digitized by Google

ARABIA.

Praeter hanc Arabiam provinciam fuit Arabia nomus Aegypti, cujus etiam habentur numi. Sunt tamen etiam, qui cum propter typum, tum fabricam, quae diversa est ab ea, quam nomi Aegypti praeferunt, haud videntur huic Arabiae Asiaticae posse adimi. Eccos:

APABIA. L. IΓ. *Mulier stans, ad cujus pedes camelus*, Trajani, nisi forte Hadriani est. AE. II. (Vaill.)

Camelus fuit perpetuum Arabiae ejus, de qua modo agimus, symbolum, quod vel ex numis gentium Plautiae et Aemiliae constat. Praeterea obvii sunt numi Trajani commatis Romani, inscripti: ARABIA ADQ*uisita* typo similis mulieris stantis, juxta quam excubat camelus. Ajebam, numum hunc forte esse Hadriani. Nam Vaillantius, qui eundem in Numis Graecis sub Trajano vulgavit, serius a Pagio per Toinardum consultus, respondit: Patinum eum numum Trajano per errorem tribuisse; penes se enim alias fuisse Hadriani numum, in quo eadem inscriptio insculpta [a]).

APABIA. *Protome muliebris capite turrito*, Trajani. AE. III.

Sunt bini in museo Caesareo. Eorum fabrica Aegyptiacum nomorum stylum non sapit. Haud dubie signati sunt in memoriam adquisitae a Trajano Arabiae, perinde ac ΔAKIA in aliis ejusdem numis legitur.

Annus imperii: L. IΓ., nisi fors annus aerae est, de quo vide infra in epocha Bostrae.

AE. RR.

ADRAA.

Arabiae Petraeae prope Bostram. Eusebius [b]): ἡ δὲ Ἀδραα της Βοστρης διεστηκε σημειοις κε, *Adraa a Bostra distat millibus passuum XXV.*

Imperatorii:

ΑΔΡΑΗΝΩΝ. *Caput muliebre turritum*, Aurelii.

Sic legendam epigraphen docet Pellerinius [c]) contra Vaillantium, qui legit ΑΔΡΑΜΝΩΝ, numumque tribuit Adramnae Coelesyriae, etsi nulla hujus apud veteres sit mentio.

ΑΔΡΑΗΝΩΝ. ΤΤΧΗ. *Caput muliebre turritum*, Lucillae.

Adramnae iterum hunc numum tribuit Vaillantius. Si numus prior est Adraae Arabiae, etiam hunc esse ejusdem dubitari nequit, praecipue cum et

a) Pagi Crit. Baron. ad ann. Chr. 105. b) in Onomast. c) Mel. II. p. 93.

Digitized by Google

ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM

vicina Bostra eandem epigraphen TTXH, et eundem typum offerat. Hunc numum perperam Havercampus tribuit Adrano Siciliae, ut in hac monui.

ΑΔΡΑΗΝΩΝ. ΔΟΤCΑΡΙΑ. *Mensa, supra quam urna intra duas icunculas, sub mensa torcular*, Aemiliani. (Belley ex Panel. B. L. T. XXVI. p. 424.)

Ludi *Dusaria* et torcular comparent etiam in numis vicinae Bostrae, ex quibus significationem pete.

* * *

ΑΔΡΑΝΝΩΝ. ΚΟΜ - - - ΗC. CḰΘ. in numo Commodi, quem citat unus Harduinus, et ad eandem Adramnam Coelesyriae refert, de quo nihil decido, ut neque de anno CKΘ, quem is ab anno V. C. 705 ducit.

AE. RRR.

AELA.

Arabiae Petraeae, Pellerinius *autonomum* aeneum, in quo legit ΑΕΛΑΝΩΝ, huc referri posse censet, sed rationes, quas adfert, non convincunt.

BOSTRA.

Arabiae Petraeae, a Pella et Philadelphia Decapoleos in occasum, a Damasco in meridiem. Vrbs illustris, cujus historiam et numos prolixe descripsit Belleyus [a]).

Imperatorii:

Certi exstant ab Antonino usque ad Caracallam. De numo Augusti, qui citatur in museo Theupoli, in cujus Ɪ ΒΟΣΤΡΩΝ, typus *cetra*, dubitari jure potest, cum non constet, ante Trajani aetatem Romanis aliquid juris in Arabiam fuisse. Tentavit Augustus ejus partem duce usus Aelio Gallo, ut narrat Strabo [b]), sed non eam, qua Bostra stetit, neque etiam in Arabia constitit.

Epigraphe:

ΒΟCΤΡΩΝ, Caracallae. (Vaill.)

ΝЄ. ΤΡΑ. ΒΟCΤΡΑ. vel: Ν. ΤΡΑ. ΒΟCΤΡΑ. Commodi. (Vaill. Mus. Christinae.)

ΝЄΑC. ΤΡΑΙΑΝΗC. ΒΟCΤΡΑC. Antonini. (Pellerin Rec. III. p. 244.)

ΝЄΑC. ΤΡΑΙΑΝΗC. tantum, Faustinae sen. (Pellerin Mel. II.)

Addo inscriptiones in Bostrae coloniae numis occurrentes,

Colonia enim serius deducta est, quo auspice, non constat. Id factum ab Alexandro Sev. contendit Vaillantius, quia cum hujus capite primos detexit ejus coloniae numos, tum quod se *Alexandrianam* in numis vocat. At serius detectus est a Pellerinio ejusdem coloniae numus cum capite Elagabali. Idem cognitus jam fuit Belleyo; quare miror, eruditum hunc virum Vaillantio de condita colonia adhaerere [c]). Quoniam Bostrae numum Graecum cum capite Caracallae, et sine mentione coloniae habemus, certum est, coloniam non deductam ante Severum, et verisimiliter ab hoc, si fides Damascio apud Photium [d]): τα Βοσρα της Αραβιας, πολιν μεν ουκ αρχαιαν, υπο γαρ Σεβηρα τω βασιλευς πολιζεται, *Bostra Arabiae, urbem non*

a) B. L. T. XXX. p. 307. b) L. XVI. c) l. c. p. 311. d) Cod. 242.

Digitized by Google

antiquam, quippe a Severo Aug. conditam. Coloniae ergo numi sunt ab Elagabalo usque ad Decium.

COLONIA. BOSTRA. in variis.

N. TRA. BOSTRA. Elagabali. (Pellerin.)

N. TR. ALEXANDRIANAE. COL. BOST. Alexandri et Mamaeae. (Vaill.)

COL. METROPOLIS. BOSTRA. inde a Philippo.

Epigraphe numi Pelleriniani supra citati: NЄAC. TPAIANHC. BOCTPAC. veterem litem feliciter componit. Nam Vaillantius voces decurtatas NЄ. TPA. in Graecis, aut N. TR. in Latinis explevit legendo: NEρια TPAιανη. Felicius Harduinus, quod eventus docuit, NEα legendum censuit. Tamen serius Vaillantii errorem amplexum apparet ex ejus numis urbium illustratis novae editionis. Analoge ergo N Latinum est *Nova*. Ex numo Faustinae, in quo NЄAC. TPAIANHC. absque BOCTPAC scribitur, colligimus, urbi abolito saltem secundum primum institutum Bostrae nomine inditum fuisse alterum *Novae Trajanae*, verum oppidanos vetus suum denuo respexisse, ac tum voces NЄAC. TPAIANHC. in epitheta honorifica transivisse. Cur haec Trajana dicta fuerit *Nova*, decidere difficile est. Si Trajanae Augustae, quarum una in Dacia, altera in Thracia stetit, prius sic fuere compellatae, habemus rationem expeditam, cur posterior haec nostra *Novae* nomen abstulerit. Sed hoc ipsum est, de quo ambigi possit. Vide etiam infra in *epocha*.

* * *

Typi:

TTXH. NЄAC. TPAIANHC. BOCTPAC. *Mulier stans d. tropaeum, s. cornucopiae, pede prorae imposito*, Antonini. (Pellerin Rec. III. p. 244.)

TTXH. NЄAC. TPAIANHC. *Mulier turrita stans d. innixa hastae, s. duas spicas*, Faustinae sen. (Pellerin.)

A. γαϑη TTXH. BOCTPΩN. *Caput muliebre turritum, pone cornucopiae*, Caracallae. (Vaill.)

His ergo typis *Bona Fortuna* urbis proponitur, de qua olim fusius egi [a]).

Astarte stans in templo d. hastam cruce praefixam, s. cornucopiae, pro pedibus duo Centauri, in numo coloniae Mamaeae. (Vaill.) *Eadem eodem modo stans in templo, ad ejus pedes Silenus*, Decii. (Pellerin.)

De hac Astarte in numis adsitarum regionum obvia dicere plura non attinet.

Camelus, notum Arabiae symbolum, Commodi. (Vaill.)

Caput muliebre turritum, pone cornucopiae, Mamaeae. (Vaill.)

Est caput Fortunae civitatis, seu Τυχης.

Colonus arans, Silenus, Alexandri. (Vaill.)

Silenum numo inlatum statuit Belleyus ob vini ad Bostram laetos proventus. At non advertit animum, hunc deastrum solitum esse coloniarum typum.

* * *

Ludi:

AKTIA. ΔOTCAPIA, *intra coronam*,

a) Num. vet. p. 183.

Digitized by Google

Philippi. (Mus. Caes. Frölich IV. Tent. p. 128.)

ΔOTSARIA. *Torcular intra coronam*, Decii. (Pellerin Rec. III. p. XXXVIII.)

Monet Pellerinius [a]), ad hanc quoque urbem pertinere numum cum simili typo, quem perperam, ut ait, Vaillantius Tyro coloniae tribuit, et in quo is item perperam Gallieni caput vidit. At vix credam, bis a Vaillantio in eodem numo peccatum, quem ipse *integrum* profitetur. Et poterant Dusaria etiam Tyrum propagari. Simile torcular, sed contractiore forma, exhibetur quoque in area numi Alexandri Sev. apud Vaillantium, sed qui typi sensum non satis perspexit. Eadem Dusaria et torcular comparent in citato supra numo vicinae Adraae, tum et in numo coloniae Germes Galatiae, ut in hac dictum.

Ludos *Dusaria* erudite explicavit Frölichius [b]). Ea celebrata docet in honorem Dusaris; nam sic Tertullianus [c]): *unicuique etiam provinciae et civitati suus est deus, ut Syriae Astarte, Arabiae Dusares.* Et Stephanus [d]): Θεος δε ἑτος (Δυσαρης) παρα Αραψι - - - τιμωμενος. Hunc vero Dusarem apud Arabas fuisse Bacchum, docet Hesychius: Δυσαρην τον Διονυσον οἱ Ναβαταιοι ὀνομαζουσιν. Plura pete ex ipso Frölichio. Adde, quod refert Arrianus [e]), Arabas duos tantum deos colere, *Coelum*, (Ουρανος) et Bacchum. Neque defuere, qui Bacchum apud Arabas ex Iove natum adserent, quos inter Dionysius Periegetes [f]). Hunc etiam Bacchi cultum comprobat typus torcularis, atque ut post alios observat Belleyus, ipsum quoque urbis etymon, quod ducitur ex Hebraico בצר *vindemiavit*, ex quo ejus nominis urbes in textu Hebraico dicuntur בצרה. Ad quod adludere censet verba Isaiae [g]): *Quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? Quare ergo rubrum est indumentum tuum, et vestimenta tua sicut calcantium in torculari? torcular calcavi solus.*

* * *

Metropolis: Belleyus Elagabali numum ex Pelleriniano citat inscriptum: N. TR. MET. BOSTRA., verum Pellerinius ipse eundem numum describens titulum MET. omittit [h]). Ergo probari nequit, Bostram jam ejus imperatoris aetate fuisse metropolin. Primum hoc honore gloriatur in numo Philippi supra ex Theupoli citato, et alio Frölichiano ejusdem Augusti, eumque in numis Decii constanter repetit. Et verisimile est, Bostram Philippo metropolis jura debere, qui Arabs ipse fuit, et quidem Bostrenus, cuique patriam suam fuisse caram, infra in Philippopoli videbimus.

* * *

Epocha: ЄT. PΔ. in numis Severi editis a Begero [i]), et Pellerinio [k]), neque alius hactenus annus in Bostrae numis observatus. Ejus exordium Belleyus repetit ab eo tempore, quo Bostra cum regione vicina in Trajani potestatem venit, quod accidit V. C. 858, duce Romani exercitus A. Cornelio Palma, ut

a) l. c. b) l. c. c) Apolog. c. 24. d) in Δυσαρη. e) de Exp. Alex. L. VII. c. 20. f) Orb. descr. v. 939. g) XXIII. 1. 2. 3. h) Mel. I. i) Thes. Br. T. III. p. 129. k) Rec. III. p. 244.

Digitized by Google

narrat Dio [a]). Revera etiam Chronicon Alexandrinum narrat, Petraeos et Bostrenos hinc annos suos computare. Observandum tamen ex Belleyo, anni initium ducendum ab aequinoctio verno, quod late ibi probat [b]). Supra in *Arabia* numum Trajani descripsi, in quo legitur L. IΓ., quo forte dicebam notari annum imperii Trajani. Tamen non repugnat, eo notari annum epochae ductae ex eodem principio V. C. 858. Dubium enim non est, eum numum communi Arabiae nomine insignem in nobiliore aliqua adquisitae tum Arabiae urbe, atque adeo vel Petrae, vel potius Bostrae, quae insuper per Trajani beneficta *Trajanae* nomen recepit, fuisse signatum, quo admisso numus hic cusus fuisset a vere V. C. 870, Trajano subinde mense Augusto ejusdem anni mortuo.

AE. Graeci RRR. Coloniae RR.

ESBVS.

Vrbs in sacris literis saepe memorata, sed nomine *Hesebon.* Alii eam in Peraea constituunt, sed Ptolemaeus, et Hieronymus in Arabia locant, et ipse Plinius *Esbonitas Arabas* vocat.

Imperatorii:

Bini, iique Caracallae hactenus solum cogniti:

ATP. ЄCBOTC. *Deus Mensis cultu solito.* (Vaill.)

ЄCBOT. *Astarte stans in templo tetrastylo capite turrito d. pede fors globo imposito, s. hastam.* (Pellerin Suppl. III. p. 135.)

AE. RRRR.

MOCA.

Arabiae Petraeae teste Ptolemaeo.

Imperatorii

Bini tantum reperti:

MOKA. ІЄP: ACT. ATTO. *Mulier turrita in templo tetrastylo d. hastam, s. cornucopiae*, Antonini. (Vaill.) Est satis nota Astarte.

Mulier succincta stans d. spicas et papaver, s. cornucopiae, Severi. (Vaill.) Nimirum Fortuna urbis.

Capitoliensium Coelesyriae numi tam inscriptione, quam typo cum his conspirant. Non audiendus Harduinus, et ejus adsecla Iobertus, qui distracto bifariam vocabulo MOKA legunt: MOκω ΚΑπιτολιεων, atque hos namos Aeliae Capitolinae tribuunt, quorum doctrinam abunde refutavit Bimardus [c]).

AE. RRRR.

PETRA.

Vrbs ejus tractus princeps, quae *Arabiae Petraeae* nomen fecit. Romanis inde a Trajano subjecta numos signavit.

Imperatorii.

Hadriani, Aurelii, juncto etiam L. Vero, Severi, Getae, quos dedere Vail-

a) L. LXVIII. §. 14. b) pag. 313. c) ad Iobert. T. II. p. 252.

Digitized by Google

lantius, Theupoli, Arigonius, Pellerinius, Mus. Caes.

ΠЄΤΡΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. in solis Hadriani numis, et adhuc in his:

ΑΔΡΙΑΝΗ. ΠЄΤΡΑ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC., neque in sequentibus *Hadrianae* appellationem negligit, raro Μητροπολεως.

Typus fere unicus: *Mulier turrita petrae insidens d. pateram, s. tropaeum.*

Epochae annum forte notant literae ΡΛΔ, quae sunt in area numi Severi apud Pellerinium [a]), quam si notant, fluctuat ejus exordium intra annos V. C. 812. et 830. Nulla nobis constat probabilis ejus inductae ratio.

AE. RR.

PHILIPPOPOLIS.

In agro Bostreno, a Philippo Augusto, qui apud Bostram natus est, aedificata, et de ejus nomine appellata [b]).

Exstant numi cum *Coloniae* nomine, et capitibus Philippi, et Marini, qui *Philippopolin* inscribunt, sed quos certius esse Philippopolis Thraciae, in hae dictum.

RABATHMOMA.

Arabiae Petraeae secundum Ptolemaeum, qui eam Ραβαθμωμα scribit, cum quo consentit Stephanus: Ραβαθμωμα πολις τριτης Παλαιστινης, ἡ νυν Αρεοπολις. Sita in vetere Moabitide. Eusebius [c]): Μωαβ πολις της Αραβιας, ἡ νυν Αρεοπολις, καλειται δε Μωαβ και ἡ χωρα, ἡ δε πολις Ραββαθ Μωαβ.

Imperatorii:

Sunt Severi, Caracallae, Getae, at secundum ingeniosam et veram Wisii Angli correctionem [d]), quam etiam calculo suo adprobat Pellerinius [e]), haec est eorum epigraphe:

ΡΑΒΑΘΜΩ. ΒΛ. *Vir armatus stans in cippo, d. gladium, s. clypeum et hastam, hinc et illinc fax ardens*, Getae, in cujus antica scriptum: ΑΤΤ. ΚΑΙ. Π. ΓЄΤΑC., et est caput laureatum. Prostat in museo Theupoli, sed inique scribitur ΡΑΒΑΘΜΟΒΑ.

ΡΑΒΑΘΜΩ. ΔΛ. *Figura galeata stans d. spiculum, s. clypeum, hinc et illinc ara*, Severi. Vaillantius hujus numi index legit: ЄΝ. ΠΑΘΜΩΔΑ, tribuitque Pathmo insulae maris Icarii.

ΡΑΒΑΘΜΩ. ΔΛ. in numo Caracallae, quem Wisius ipse vidit, et qui sibi sanae correctionis auctor exstitit [f]). Typum non prodit.

Huc etiam pertinere videntur sequentes:

ΡΑΒΒΑΘΜΩΜΗΝΩΝ. ΒΜΡ. *Mulier galeata stans d. hastam, s. aquilam, pede cippo imposito*, Severi. (Vaillant. Harduin.) Wisio et urbis inscriptio, et epochae annus suspectus.

ΡΑΒΒΑΘΜΩΜΑ. *Neptunus stans d. delphinum, s. tridentem*, Caracallae. (Vaill.) Sed lectio haud dubie corrigenda ad exemplum praecedentium. Harduinus in simili legit: ΡΑΒΒΑΑΜΗΝΩΝ. ΡЄ. Omnia confusa.

ΡΑΒΒΑΤΑΜΗΝΩΝ. *Hercules Antaeum suffocans*, Gordiani. Vaillantius hu-

a) Mel. II. p. 129. b) Victor Schotti, Zonaras. c) in Onomast. d) Mus. Bodl. p. 205. e) Mel. II. p. 128. f) l. c.

Digitized by Google

jus numi praeco Stephanum citat. Meminit is Rabbatammanae Arabiae montanae. Sed quis de numorum patria certum quid adfirmet suspecta inscriptionis lectione? Satis esto, descriptos a me numos, ut ab aliis descripti fuere.

Typi:

Figuram militarem, quae proponitur in numis I. et II., verisimile est esse ipsum Martem, qui adeo typus Stephani et Eusebii verba confirmat adherentium, ut principio diximus, hanc urbem vocatam quoque *Areopolin*.

Typus Neptuni in numo V. docet contra, quam sentiunt alii, ejus imaginem non semper notare urbem maritimam.

* * *

Epocha. Ejus principium Wisius figit ad annum V. C. 928, quo M. Aurelius in Syriam transmisit. At numus Getae cum Augusti titulo, et anno BΛ. probat, eam non potuisse incipere citius anno V. C. 930. Nam additis huic annis 31 obtinemus annum V. C. 961; at constat, Getam Augusti titulum certo non abstulisse ante annum V. C. 962. Numus Severi cum anno ΔΛ docet, epocham non potuisse incipere serius anno V. C. 930, nisi forte, quoniam apud Arabas, ut supra in Bostra diximus, annus coepit in vere, admitti adhuc possit annus 931. In causa est mors Severi, quae contigit mense Februario V. C. 964. Statuendus ergo pro aerae principio annus V. C. 930. M. Aurelius tum invisit Syriam, et Palaestinam, ex quo itinere videtur etiam vicina Arabia aliquid emolumenti percepisse.

AE. RRR.

MESOPOTAMIA.

ADDAEA.

Huic urbi Haymius numum maximae formae tribuit, in quo hinc capita Gallieni, et, ut ait, Valeriani junioris, illinc ΑΔΔΕΩΝ, *Dioscuri stantes*, intraque IB. Satis obscura est haec Mesopotamiae urbs, et literae IB potius suadent, numum alicui Lyciae, Pamphyliae, Cilicine urbi, in quibus hae literae scribi sunt solitae, in ΔΕΩΝ desinenti tribuendum, praecipue cum ex Haymii iconismo appareat, priores urbis literas non satis esse sanas [a]).

AMIDA.

De numis huic tributis vide infra in Carrhis.

a) Tom. II. p. 381.

Digitized by Google

ANTHEMVSIA.

Situs incerti. Nicephorio adstituit Plinius.

Imperatorii

Caracallae hactenus cogniti.

ANΘEMOTCIΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* (Maffei Ant. Gall. p. 115. Pellerin Mel. I. p. 346. Harduin ad Plin. T. I. p. 268.) Citati hi numi eumdem omnes typum habent.

AE. RRR.

CARRHAE.

Crassi clade nobilitatae.

Recensendi primum numi Carrharum nondum coloniae.

Autonomi:

Caput Solis radiatum, juxta fax ardens. ☧ KAPPHNΩN. ЄT. C. *Luna imminentibus binis astris, infra caput bovis.* AE. (Arigoni.)

De addito ЄT. C. dubitare liceat, nam certi nondum sumus, Carrhenos in moneta sua annos signasse, et si verum est epochae principium a Vaillantio ad annum V. C. 809 fixum, de quo infra, numus signatus est sub Gallieno, quo tempore Carrhae pridem colonia fuere, ac tum το ΚΟΛ. vix fuisset omissum. Ad haec Carrharum moneta nobis cognita sub Gordiano desinit, ut adeo Arigonii lectioni, ut saepe alias, etiam hic liceat diffidere.

* * *

Quos Haymius inscriptos, ut putabat, nomine KAPPAΣ huc adegit [a]), esse Carthaeae, quae fuit Ceae insulae oppidum, in hujus numis demonstravimus. De nullo igitur autonomo hujus classis certi esse possumus, etsi habeamus autonomum coloniae nomine.

Imperatorii.

Antequam colonia deduceretur, horum aliqui memorantur, cujus generis numos Vaillantius temere in coloniarum moneta recenset, etsi coloniae mentionem non faciant, in quo multo adcuratior fuit Pellerinius. Hujus generis certos habemus cum capite Aurelii et Veri; nam suspectus mihi oppido numus Plotinae: KAPPHNΩN typo *cervi*, qui citatur in Theupoli, atque alter Severi: ATPHΛIO. KAPHNΩ. typo *muscae alis explicatis*, quem describit Pellerinius [b]). Nam cum Carrhae jam colonia sub M. Aurelio fuerint, non dubitem, etiam in hoc posteriore scriptum fuisse ΚΟΛ., sed quas literas aevum adroserit.

MAPκφ ATPηλιφ ΦIΛΩPωμαιοι Mητροπολεως A. (πρωτης) AIP. *Caput nudum M. Aurelii.* ☧ ATPηλιων KAPPHNΩN. ΦIΛΩPωμαιων Mητροπολεως A. (πρωτης) *Caput intra crescentem lunam.* (Vaill.)

Insolentior epigraphe partis anticae, et luculentus error adversus grammaticam, cum scribendum sit ΦIΛOPωμαιοι, quem tamen correxit Harduinus ejus et ipse numi praeco.

KAPHNΩN. ΦIΛOPΩM. *Luna cum astro*, in numo L. Veri. (Pellerin.)

a) T. II. p. 141. b) Mel II.

Digitized by Google

De Metropoli prima, titulo Φιλοκωμαιν, et typis vide infra in numis coloniae.

Epochae annum nobis Vaillantius ex descripto hic M. Aurelii numo offert, nempe AIP. Ejus exordium refert ad annum V. C. 809, quo victus a Corbulone Vologases est, Harduinus in biennium differt. Ceterum in nullo alio Carrharum numo hactenus epochae annus compertus dempto autonomo supra citato ex Arigonio, sed eo, ut jam observavi, suspectae lectionis. Neque credam, lectionem epigraphes hujus numi spectata parte antica omni suspicione liberandam, et quoniam tota ea insolentior, ut dixi, est, praestolandum adhuc aliorum praeconium, et differendum etiam de epocha judicium.

AE. RRR.

Colonia deducta certe est a M. Aurelio, nam, ut vidimus, ejus et L. Veri exstant numi absque coloniae mentione, et rursus utriusque Augusti numi, qui Carrhas coloniam profitentur. Accedit *Aureliae* nomen tractum a M. Aurelio coloniae conditore.

Autonomus.

Caput Mensis cum pileo Phrygio. Ꝛ ΚΟΛ. ΜΗΤΡ. ΚΑΡΡ. *Luna cum astro.* (Pellerin.)

AE. RRRR.

Imperatorii:

A M. Aurelio usque ad Tranquillinam.

Epigraphe:

ΑΤΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΟΡ. ΚΟΛ. M. Aurelii. (Arigoni.)

ΚΟΛ. ΑΤΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. L. Veri. (Vaill.)

ΑΤΡ. ΚΑΡΡΗ. ΦΙΛΟΡ. ΚΟΛΩΝ. Є. ΙΓ. Commodi. (Arigoni.)

ΚΑΡ. ΚΟ. ΜΗ. ΠΟΛ. Commodi. (Vaill.)

ΚΟΛ. ΚΑΡΡ. Severi. (Vaill.)

ΚΟΛ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. Caracallae. (Vaill.)

ΚΑΡ. ΚΟ. ΜΗ. ΜЄϹϹΟΠ. A. Alexandri. (Pellerin Mel. I. p. 347.) Vaillantius in similibus pro A legit Δ, de quo agemus infra sub *Metropoli*.

* * *

Typi:

Luna crescens, intra quam astrum, typus obvius, vel: *Caput juvenile cum pileo Phrygio super luna*, ut in citato autonomo.

Haec omnia ad cultum lunae, seu maris, seu feminae, pertinent, cujus apud Carrhas celebris cultus exstitit; nam narrat Spartianus, Caracallam Carrhas Luni dei gratia venisse, additque, ex Carrhenorum theologia lunam et marem, et feminam credi.

Caput muliebre velatum turritum imminente capiti luna, juxta idolum super columella malleum tenens, (Cabirum dixit Vaillantius) in numis Gordiani. (Vaill. Mus. Caes.)

Mulier turrita rupi insidens d. spicas, pro pedibus fluvius emergens., in numis Alexandri passim.

Fluvius est Chaboras, cui Carrhae adsitae.

Digitized by Google

* * *

Exstant in museo Caesareo numuli Caracallae, quos hoc loco describere operae pretium.

IMP. M. AVR. ANTONINVS. AVG. *Caput Caracallae laureatum.*

COL. MET. ANTONINIANA. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. IV.

Eadem adversa.

COL. MET. ANTONINIANA. AVR. ALEX. *Caput muliebre velat. tur.* AE. IV.

Epigraphe et caput dubium.

- - - ANTONIN - - - *Caput muliebre velatum turritum, juxta quod cornucopiae.* AE. IV.

IMP. CAES. M. AVR. ANTON - - - *Caput Caracallae laureatum.*

COL. AVR. METROPOL. ANTONINIANA. CA. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. IV. integerrimus, et fabricae pro aetate perelegantis.

Argumenti causa addo alium Commodi ejusdem musei Caesarei.

KAICAP. AT. KOMOΔOC. CЄ. *Caput laur.*

ΠΙЄP. NIKHC. PΩMAIΩN. *Caput muliebre velatum turritum.* AE. IV. ejusdem fabricae et elegantiae.

Plerosque hos numos jam olim vulgavi [a]). Cum catalogum musei Caesarei ederem, horum primum Edessae Mesopotamiae tribuendum putavi secutus Vaillantium, qui ejus obiter meminit [b]), et Bayerum [c]). At sententiam mutare cogit numus insignis loco IV. citatus, quem serius museo Caesareo intuli, quique aliorum omnium veram patriam haud dubie, ut videtur, definit. Persuadet istud additum post omnes urbis titulos CA., quod explendum esse legendo CA*rrhae*, atque adeo excludendam Edessam, cui absque his literis aliquod in hos numos jus esse posset, nemo non videt. Additos omnes honorum titulos competere Carrhis, partim ex citatis earum numis certis vidimus. *Antoninianam* se vocat haec colonia ex nomine tum imperantis. Nomen *Alexandrinae*, quod offert numus II., altioris est indaginis. Non rare illud reperitur in numis urbium, quae ab Alexandro Severo appellationem honorificam sunt mutuatae. Verum additum illud in numo Caracallae, qui Alexandrum pluribus annis antevertit, hactenus res nova et insolens. Sed enim cui constat, quam ineptus Alexandri M. imitator exstiterit Caracalla, cuique placitum fuerit ea revolvere, quae super hoc argumento docui in numis Alexandri M. Berhoeae Macedoniae signatis, exploratam habebit rationem tituli hujus ab adulatione concepti. Quoniam nomen ALEX. in hoc numo postremum positum est, possit cuipiam videri, eo coloniam quandam *Alexandriam* notari. Verum hoc nomine praeter eam, quae in Troade sita fuit, colonia nulla exstitit. Igitur aeque in hoc numo abest urbis nomen, ac in numo ex citatis primo. Neque desunt aliarum urbium exempla. Vidimus numum Bostrae Arabiae inscriptum NЄAC. TPAIANHC. omisso BOCTPAC. Ergo nequaquam dubitandum, facem praeferente numo IV., numos hos omnes Carrhas pertinere. Non obstat, epigraphen in iis esse Latinam, quae in aliis coloniae Carrharum numis esse Graeca solet, nam

a) Sylloge I. p. 61. seq. b) Numi Colon. sub. Caracalla p. m. 34. 35. c) Hist. Osrhoen. p. 183.

Digitized by Google

et Aelia Capitolina, et Sebaste Samariae variavit lingua, et Antiochiae monetam bilinguem novimus. Constat, Caracallam postremo vitae tempore apud Carrhas commeratum, atque tam verisimile est, in ea colonia aliquid in monetae negotio immutatum.

Postremum Commodi numum addidi propterea, quia omnino geminum alteri, quem loco IV. descripsi, dicere possis, sic ut unum alteri facile substitueres, nisi vetaret inscriptio tam idiomate, quam argumento varia. Epigraphe ΤΠЄΡ. ΝΙΚΗС. ΡΩΜΑΙΩΝ. in variis argenteis denarii pondere cum capitibus M. Aurelii, L. Veri, et uxorum suppresso urbis nomine legitur, quos dabimus infra in numis Mesopotamiae urbium incertarum. Vt hunc numum Carrhis signatum putem, suadent fabrica et typus cum numo IV. communes. Eo Carrheni Commodo qualemcunque de barbaris relatam victoriam gratulantur, forte solutis propterea in vicino Nicephorio vetis, qua in urbe Iuppiter Nicephori nomine colebatur.

* * *

Honorum tituli:

ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΩΝ. in numis Aurelii, Veri, Commodi tam coloniae nomine, quam antea signatis. Hoc titulo etiam Edessae reges usi sunt. Eo suam in Romanos fidem testabantur Mesopotamiae populi, quibus in imperii R. limite collocatis arbitrarium fuit, seu Romanis, seu Parthis sese applicarent.

Nomina ab impp. Aurelia, a M. Aurelio, a quo etiam ante conditam coloniam beneficiis videntur fuisse adfecti. *Antoniniana*, *Alexandriana*, a Caracalla, ut dictum.

Metropolis: In numo M. Aurelii supra ex Vaillantio descripto jam legitur M. A. In numis Commodi et Elagabali apud eundem ΜΗ. ΠΟΛ., quod pro ΜΗΤΡΟΠΟΛ. At distinctius in numis Alexandri ΜΗ. ΜЄССΟΠ. A. Cum hic titulus in aliis M. Aurelii et L. Veri numis omittatur, verisimile est, Carrhas metropoleos honorem ab eodem Aurelio abstulisse. Deinceps eam mentionem vix amplius omittit. Additum A probat secundum Vaillantium, Carrhas sibi metropolis *primae* honorem arrogasse, nam et Edessa se metropolin dixit. At mirer, iam aetate M. Aurelii Carrhas dici metropolin *primam*, quando illo imperante non fuit altera quaepiam secunda; nam Edessa tum adhuc propriis subjecta regibus a Caracalla demum deducta est colonia, et vel ab hoc, vel Macrine dicta Metropolis. Quo augetur suspicio, hunc Aurelii numum male a Vaillantio promulgatum, atque praetensum A plane abesse. Vaillantius, cum in numo, ut putabat, Emisae coloniae Syriae (revera enim hic quoque numus est Carrharum) legeret ΜΗ. ΜЄССΟΠ. A., et in aliis Carrharum: ΜΗ. ΜЄССΟΠ. Δ., (sed et hic erravit legendo Δ pro A) existimavit, ab Elagabalo Emisam, quae fuit hujus patria, dictam fuisse *primam* metropolin Mesopotamiae, Carrhas *secundam*, Δευτέραν. Alii cum in numo simili Alexandri Severi primas literas legerent ΑΜΙ., eum Amidae Mesopotamiae largiti sunt, quam sententiam resuscitavit Bayerus in Opusculis suis a Hoffmanno editis p. 535. Nunc quia constat, legendis his numis deceptum Vaillantium, numumque priorem perinde

Digitized by Google

esse Carrharum, non Emisae, et in altero non legendum Δ, sed solitum A. Eam litem prolixius disputatam vide apud Pellerinium a).

* * *

Annus imperii Є. IΓ. in numo Commodi citato, si modo non imponit iconismus ab Arigonio propositus.

AE. R.

EDESSA.

In Osrhoene sita. Proprios olim reges habuit, quorum plerique Abgari vocabantur. Horum unum bene sub Severo de Romanis meritum Caracalla per fraudem circumventum regno spoliavit, et Edessam sibi subjecit. Ex eo tempore signati numi imperatorii. Sub eodem adhuc Caracalla deducta fuit colonia, ut ejus ipsius numi addito ΚΟΛ. fidem faciunt. Quam inconsulto Vaillantius aliique hujus, et alterius Edessae Macedoniae numos miscuerint, ad hujus numos jam monui, quo loco et facile discrimen inter utriusque numos proposui.

Imperatorii.

In classem numorum Edessae nondum coloniae forte recipiendi aliqui Caracallae numi, qui mentione ΚΟΛ. abstinent, signati adeo ante, quam urbs colonia deducta esset, etsi norim, eam mentionem in nonnullis post Caracallam sublatam. Vaillantius eos cum coloniae numis miscuit, quod eum in Carrharum quoque numis fecisse supra monuimus.

* * *

Coloniae numi sunt a Caracalla usque ad Decium. Hos inter insignis esset, si modo certae fidei, numus Gordiani Africani junioris, quem sic descriptum reperio (Sestini Lettere T. IV. p. 130.):

M. A. K. Γ. ΑΦΡ. ΚΑΛΟC. *Caput Gordiani jun. nudum, cum signo incuso caput Pupieni exhibente.* Ɪ ЄΔЄCCA. O. M. *Caput muliebre turritum.* AE. II.

Quod Gordiani nomen indicet tertia litera K, non intelligo. Certe in omnibus aliis omnium gentium ejus numis abest. ΚΑΛΟC, *Pulcher*, epitheton est ab omnibus imperatorum, regum, principum monumentis publicis alienum, quia in viris parum honorificum, quin neque in feminis hucusque repertum. Honestius Gordianus senior in numis Alexandrinis dicitur CЄMνος, *Venerabilis*. Mirum etiam, nomen *Africani*, quod cognomen tantum fuit, scribi tribus literis, et adjectum laudis epitheton ΚΑΛΟC perscribi totum, cum interea vera ejus nomina *Antonii Gordiani* literis tantum ἀριθμησαις absolverentur. Elementis O. M. notari Οπελλιανη Μαικεινιανη, et legi in solis Macrini et Diadumeniani numis, certum est, quid ergo illa ad Gordianum Africanum? Displicent numi, qui tot, tamque insolentia nobis praedicant. Satis apparet, numum, cum primum lucem vidit, Macrini aut filii vultum et nomina tulisse.

Epigraphe addito aut suppresso coloniae nomine:

ΚΟΛ. ΜΑΡ. ЄΔЄCCA. Caracallae.

a) Rec. IL. p. XIV.

Digitized by Google

AT. AN. ЄΔЄCCA. Ejusdem. (Holsten. ad Steph. p. 107.)

MHT. KOΛ. ЄΔЄCCA. Macrini.

O. M. ЄΔЄCCA. Macrini, (Theup.) Diadumeniani. (Mus. Caes.)

A. O. M. ЄΔЄCCA. (Αντωνινιανη Οπελλιανη Μακρινιανη) Macrini. (Hard.)

MAP. ATP. KOΛ. ЄΔЄCÇA. Elagabali.

MHT. KOΛ. ЄΔЄCCHNΩN. Maesae, Alexandri, Gordiani.

KOΛ. ЄΔЄCCA. Decii.

Typi:

Mulier turrita rupi insidens, coramque ara, pro pedibus fluvius emergens; ea manu tenet aliquid, quod Vaillantius jam sistrum dixit (in Maesa) *jam vexillum* (in Alexandro), *at Pellerinius tempellum* (in Mamaea), *circum eam in aliquibus sunt 4 astra.*

Caput muliebre velatum, cui ex adverso est simulacrum Palladis, ut videtur, columellae impositum, Gordiani. (Mus. Caes. Vaill.) *Nonnunquam sunt etiam duo similia capita se respicientia.*

Metropolis: cujus mentio primum fit in numis Macrini, quamvis forte ad eum honorem jam a Caracalla fuerit evecta, etsi Mesopotamia jam Carrhas metropolin habuit, sed quae ipsa causa videtur, cur ex eo tempore Carrhae se metropolin A, id est *primam*, scripserint.

Nomina ab impp.

MAP. ATP. ANTΩ. etiam majore compendio, a Caracalla, et Elagabalo.

A. O. M. in quo A. vel Antoninianam notat a Diadumeniano, vel potius, quia praeponitur, Aureliam a Caracalla, O. et M. Opellianam, Macrinianam.

AE. C.

REGES OSRHOENI seu EDESSENI.

Regnum Osrhoenum in Mesopotamia juxta Euphratem et ex adverso Commagenes situm nomen traxit ab Osrhoe Heviae filio, qui V. C. 617. distracta turbis cum intestinis, tum externis Syria regnum apud Edessam fundavit, unde et reges Edesseni dicti sunt. In medio Romani Parthicique imperii positum, et utriusque jam suspicionibus, jam insidiis patens tamen usque ad Caracallam perstitit, a quo in provinciam redactum est, ut dicetur.

Hujus regni historiam amplis commentariis illustravit Theophilus Sigefridus Bayerus in opere: *Historia Osrhoena et Edessena ex numis illustrata.* Eo-

Digitized by Google

rundem etiam regum catalogum et numos proposuit cl. Wise a). Vterque eorum seriem ab regni ortu perpetuam dedit ex Dionysio Telmariensi, quem ex Syriaco Latine reddidit Assemannus. Hos adeat, qui omnium Osrhoenes regum volet historiam nosse. Meo enim instituto eos tantum persequar, quorum numos habemus superstites. Ex praecedentibus illustriores fuere *Mannus*, qui proditione Crassum in bello Parthico in insidias traxit, et sub Tiberio *Abgarus*, qui literas, quae adhuc exstant, ad Christum scripsisse ferebatur, de quo vide Bayerium.

Regum Osrhoenes plerisque nomen fuit *Abgarus*, sed in codicibus variae scriptum, Αβγαρος, Αυγαρος, *Abbarus*, *Abagarus* etc. In numis constanter ABΓΑΡΟC. Vnde factum, ut scriptores aliqui omnes ejus gentis reges communi nomine dictos Abgaros putarent. Sic Procopius b): Αυγαρος ἡν τις ἐν τοις ἀνω χρονοις Εδεσσης τοπαρχης. Οὑτω και τους κατα ἐθος βασιλεις πεποιηκασι καλειν. *Erat superiore aetate Abgarus quispiam Edessae toparcha. Ita ibi pro more reges appellabant.* Sed enim alios ibi reges aliis nominibus appellatos eorum catalogus docet. Alterum regum nomen, atque illud quoque frequens est *Maanus*, in numis semper MANNOC. Alia in numis nomina non occurrunt.

Omnes fere horum regum numi altera facie Augusti vel Augustae caput, et nomen offerunt. Commode igitur eadem lege, qua imperantes, procedent.

HADRIANVS *et* ABGARVS.

- - - ΔΡΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Caput Hadriani laur.* ℞ ΑΒΓΑ - - - *Caput Abgari tiara tectum, juxta astrum.* AE. III. (Bayer p. 155.)

Dionysius Telmariensis sub Hadriano memorat Maanum Osrhoenes regem. Ergo Bayerus, ut numi Abgarum cum Maano Dionysii conciliet, putat, huic Maano dignitatis causa fuisse nomen Abgari. At cur non idem dignitatis datum illi, qui non multo post successit, et Mannus in numis scribitur? Si verus est numus, qualis proditur, mallem hujus testimonio credere, quam Dionysii, praecipue cum Bayerius ipse non raro ab hoc abeat, et quem fallacem saepe expertus est Wisius c). Sed et salvum esse potest Dionysii testimonium, si forte numus non est Hadriani, sed alterius imperatoris. Enimvero caput in Bayeri iconismo propositum nihil habet Hadriani. Ex quo miseram commentariorum nostrorum sortem licet cognoscere, saepe a fallacibus seu historicorum, seu antiquariorum testimoniis pendentem.

M. AVRELIVS, L. VERVS *et* ABGARVS.

Caput M. Aurelii, in alio: *L. Veri.* ℞ ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛCΤC. *Caput barbatum tiara diademata tectum.* AE. III. (Patin Numi impp. p. 192. 207.)

Si partes anticae vere ad Aurelium et Verum pertinent, habemus iis imperantibus Abgarum Osrhoenes regem.

a) Catal. num. Bodlei. p. 299. b) Persic. L. II. c) l. c. p. 305.

Digitized by Google

Ejusdem nominis regem ea aetate statuit etiam chronologus Telmariensis.

* * *

M. AVRELIVS, FAVSTINA IVNIOR, L. VERVS, LVCILLA *et* MANNVS.

Epigraphe et caput M. Aurelii. Ꝟ BACIΛЄTC. MANNOC. ΦIΛO - - - *Pallas stans d. hastam, s. clypeum.* AR. III. (Spanheim T. II. p. 578.)

Epigraphe et caput Faustinae jun. Ꝟ BACIΛЄTC. MANNOC. ΦIΛOPΩMAIOC. *Iuno stans d. pateram, s. hastam, pro pedibus pavo.* AR. III. (Ibid.)

A. K. Λ. ATP. OTHPOC. C. *Caput L. Veri nudum.* Ꝟ BACIΛЄTC. MANNOC. ΦIΛOPΩMAIC. (sic) *Sine typo.* AR. III. (Neumann Num. pop. T. II. p. 89.) In alio: *Mulier stans d. pateram, s. hastam.* AR. III. (Pembrock P. III. tab. 25.)

ΛOTKIΛΛA. CЄBACTH. *Caput Lucillae.* Ꝟ BACIΛЄTC. MANNOC. ΦIΛOPΩMA. *Mulier stans d. pateram, s. hastam.* AR. III. (Mus. Caes.) In alio: *Ceres sedens d. spicas, s. facem.* AR. III. (Seguin Num. sel. p. 158.) In alio: *Salus sedens.* AR. III. (Vaill.)

En tibi utrique Augusto, et uxoribus dedicatam a Manno monetam. At quis huic inscriptus Mannus? Fuisse Arabiae, quae in Mesopotamia est, regulum, existimant Seguinus et Spanhemius [a]). Causa illis praecipua Dio, narrans [b]), Abgarum Edessae regem et Mannum finitimae Arabiae principem diu cunctatos, Trajano belli Parthici causa Mesopotamiam ingresso occurrere. Praesentium ergo numorum Mannum illius putant esse aut filium, aut nepotem. Bayerius cum videret ex numis supra citatis, eum, qui M. Aurelii, et L. Veri aetate Edessae rex fuit, dictum fuisse Abgarum, non Mannum, Abgarum etiam eo aevo Edessae regem statuat Telmariensis, nihilque similitudinis intercedat inter hos numos, et ceteros Edessenos, malebat Mannum nostrum alterius toparchiae regulum constituere. Fateor, rationes has non esse aspernandas. Tamen commode hoc loco hos recensemus numos, quoniam, etsi non sunt Edessae, sunt certe ditionis vicinae. Nam is tantum tractus reges Mannos tulit. Ad haec velim consulas, lector, quae infra post certos Mesopotamiae numos disputabo de numis drachmae pondere Aurelii, Veri, et uxorum, inscriptis: TΠЄP. NIKHC. PΩMAIΩN., cum quibus numi praesentes adeo conspirant metallo, pondere, fabrica, typis, ut dubitari nullo pacto possit, eandem utrisque esse patriam. At copiose etiam ibi comprobabo, ejus argumenti numos non alibi, quam in Mesopotamia cusos, et, quod plena utriusque generis numorum concordia fere persuadet, forte eodem nostro Manno procurante.

Mannus hic, qualiscunque is fuit, sese ΦIΛOPΩMAION profitetur. Ejus causa nequaquam ambigua. L. Vero ea tempestate per causam belli Parthici Mesopotamiam obtinente, ut Romano-

a) ll. cc. b) L. LXVIII. §. 21.

Digitized by Google

rum, in quorum tum potestate erat, gratiam captaret, eorum sese amicum est professus, et parum prospere suas sese acturum res speravit, si tantum utriusque Augusti tum imperantis effigiem monetae inferret, nisi iisdem obsequiis utramque mulierem Augustam mactando has quoque in partes traheret. Denique ne non totus Romanus haberetur, placuit totum monetae Romanae modum adhibitis etiam typis Romanis servare, sic ut, nisi vetaret epigraphe, non posses hos numos a Romanis ejus aevi denariis discernere, quas omnes peristases habes etiam in numis ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. etc. quos citavi.

COMMODVS *et* ABGARVS.

ΚΑΙCΑΡ. ΛΟ. ΚΟΜΟΔΟC. *Caput Commodi laur.* ℣ ΒΑCΙΛΕΤC. ΑΒΓΑΡΟC. *Caput Abgari mitra conica tectum.* AE. III. (Mus. Caes. Pembrock.)

Videtur rarissimi hujus numi Abgarus esse idem, qui deinde in numis Severi dicitur Λ. ΑΙΛ. CΕΠ. ΑΒΓΑΡΟC. Nimirum in gratiam Commodi se dixit *L. Aelium*, in gratiam deinde Severi *Septimium*. Idem sensit etiam cl. Wise [a]), et Bayerius [b]).

SEVERVS *et* ABGARVS.

ΑΤΤΟΚΡΑ. CΕΤΗΡΟC. CΕΒ. *aut similiter. Caput Severi laur.* ℣ ΒΑCΙΛΕΤC. ΑΒΓΑΡΟC. *Caput Abgari mitra tectum, prae quo in aliquibus sceptrum.* AE. III. (Mus. Caes.)

Similis adversa. ℣ ΒΑCΙΛ. ΜΕΓ. ΑΒΓΑΡΟC. *Caput simile.* AE. III. (Wise p. 304.)

Similis adversa. ℣ Λ. ΑΙΛ. CΕΠ. ΑΒΓΑΡΟC. *Caput simile.* AE. III. (Ibid.) Apud Bayerum titulis praefigitur BAC. (Tab. V. n. 3.)

Imperante Severo Osrhoenis praefuisse Abgarum, historia docet, quem bello adortus est Severus, quia a Nigro stetit. A Spartiano et Victore parum concinne *Persarum rex* dicitur. Reconciliatus tamen imperatori, Romamque profectus magnifice ab hoc recipitur. Hujus causa benevolentiae adoptasse *Septimii* nomen videtur. A Caracalla, quo is tempore Parthis bellum intulit, in vincula conjectus est, regno in provinciam redacto. In marmore Graeco prope Romam reperto, quod post alios recitat Bayerus, legimus, Antoninum Abgari regis filium dedisse tumulum fratri Abgaro, anno aetatis XXVI. mortuo. Verisimile videtur, utrumque fratrem fuisse filium Abgari nostri, atque ut hic sibi nomen *Septimii* addidit, sic filio nomen *Antonini*, exemplo Severi eandem filio appellationem tribuentis. Forte Antoninus hic idem est, quem a Gordiano recepisse regnum infra dicemus.

Praeter historiam numi quoque, quos modo recensui, Abgarum Severo aequalem sanciunt. Ex his praecipue notandus tertius, qui Abgaro nomina *L. Aelii Septimii* indit. *L. Aelii* nomina a Commodo capta supra verisimile dixi. Quod ad *Septimii* nomen attinet, conspirat quidem Dionysius Telmariensis, qui in annalibus *Abgarum Severum* pro-

a) Mus. Bodl. p. 306. b) l. c. p. 174.

Digitized by Google

dit, sed is rursum omnia perturbat, quando ex ejus calculo is coepit regnare V. C. 941, P. X. 188 porrecto in annum unum et menses VII. regno, quod tempus intra Commodi imperium cadit. Quo ergo is pacto adsciscere sibi *Severi* nomen potuit, qui tum privatus adhuc fuit? Sed testimonium hominis parum adcurati, quo merito fuit omnis aevi sui chronologorum grex, aut corrigant, aut concilient historici, quod jam tentavere Bayerius, et Wisius, quos adi.

ABGARVS *et filius* MANNVS.

ABΓAPOC. BACIΛEΥC. *Caput regis barbatum tiara conica tectum.* ℞ ΛΛANNOC. ΠAIC. *Caput modeste barbatum simili tiara tectum.* AE. III. (Pellerin Rois p. 153.)

BA - - - ABΓAPO - *Caput simile.* ℞ ΛΛANNOC. *Caput imberbe simili tiara tectum.* AE. I. (Pembrock P. II. tab. 72. Wise p. 299.)

Insignis est numus prior, qui patrem Abgarum cum filio Manno sociat. Et vero constat etiam ex catalogo Dionysii, circum illam tempestatem regnasse *Abgarum Severum* cum filio, quem mox *Maanu bar Abgar*, id est: *Mannum Abgari filium*, appellat, quanquam, ut supra indicavimus, is Severi aetatem plus justo praevertit. Hunc Mannum Abgari F. memorat etiam Iulius Africanus scriptor Syrus a sagittandi arte insignem, quod testimonium recitat cl. Wise [a]).

In numo priore duo praecipue sunt observanda ΛΛ scriptum pro M, tum et additum verbum ΠAIC, *filius*, nullo alio in numis exemplo. nam pro illo in aliis valuit verbum TIOC. Teste Pellerinio numus hic ejusdem est fabricae, cujus sunt numi alii obvii Abgari Severi. Quae causa, tum et forma literarum oppido evincit, cimelium istud ad hujus aevi Abgarum Mannumque revocandum, non vero ab Abgarum, ejusque filium Mannum, qui aetate Augusti in regum serie recensentur, quod aliquando leviter suspicatus est Barthelemyus [b]).

Idem etiam numus veterem errorem feliciter corrigit. Nam similem olim edidit Gallandus [c]), sed aversae inscriptione in numo minus integro sic lecta: PTONNOC. BA., quo praeconio decepta historia *Ryonnum* in regum Osrhoenes catalogum intulit. Ejus fallax ectypon vide apud Wisium [d]), qui pro sua perspicacia eam lectionem pridem in dubium vocavit. Verum opem ferente numo Pelleriniano patuit denique, in hoc quoque legendum MANNOC. ΠAIC. ut testatur Barthelemyus [e]).

Numus alter a praecedente lucem mutuatur. Haymius, qui primus eum vulgaverat [f]), cum scriptum reperiret ΛΛANNOC, Alannum quempiam Alanorum, Sarmatici populi, regem sibi finxit, qui cum Abgaro Osrhoeno societatem adversus Parthos iniverit, quae adeo causa fuerit signati communi nomine hujus numi. Ejus sententiam secu-

a) pag. 304. b) B. L. T. XXVI. p. 540. c) Mem. Trev. Septemb. 1701. d) l. c. p. 308. e) l. c. f) T. II. p. m. 70.

Digitized by Google

tus deinde est Frölichius [a]), etsi mirus nemini non videri debeat praetensus hic inter populos tanto intervallo distantes nexus et armorum societas. At enim primus fait Cl. Wise, qui acute conjecit, perperam a monetario scriptum ΑΛΑΝΝΟC pro MANNOC, et Mannum hunc Abgari filium putandum [b]). Praeclaram viri eruditi conjecturam confirmavit praecedens Pellerinii numus serius repertus, ex quo certum habemus *Mannum filium*.

GORDIANVS III. *et* ABGARVS.

Exstinctum sub Caracalla, hujusque perfidia Osrhoenes regnum sub Gordiano III. revixit. Facti hujus scientiam unis numis debemus, tacentibus omnibus historicis. En tibi ejus testes numos:

ATT. K. M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CЄB. *Caput laureatum, in aliis radiatum.* Ɪ ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛЄΤC. *Caput regis tectum tiara solita.* AE. II. III. Sunt obvii.

Similis adversa. Ɪ ΑΤΤΟΚ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛЄΤC. *Abgarus tiara tectus stans et s. scipionem tenens Gordiano in suggestu sedenti Victoriolam offert.* AE. m. m. et I. (Theup. Mus. Caes.) In alio: *Eadem epigraphe. Imperator capite radiato paludatus stans s. globum, adstat Abgarus d. elata, s. scipionem.* AE. I. (Bayer tab. VII.) In alio: ΑΒΓΑΡΟC. ΒΑCΙΛЄΤC. *Abgarus eques pacificatoris habitu.* AE. I. (Ibid.)

Quis fuerit hic Abgarus ad regnum Osrhoenes a Gordiano vocatus, aeque ut alia omnia ignotum. Verisimile, fuisse filium ejus, quem regno exuit Caracalla, quemque bonus Gordianus ad abolendam praedecessoris infamiam restituerit. Et vero probabile est, fuisse postremo Abgaro filios, ut diximus in Abgaro Severo. Videtur Abgarus Gordiani satis diu regno praefuisse, quod ejus numerum etiam in remotis nostris terris magnus exstat numerus.

HILEIA.

Obscuro huic oppido *autonomum* aeneum tribuit Pellerinius: *Caput Paladis.* Ɪ ΙΛΗΑ. *Ceres sedens d. spicas, s. ramum inversum, pro pedibus duo serpentes.* Spectata literarum positione etiam aliter potest epigraphe legi. Numo huic simillimus est alter, quem edidit Rhellius [c]), nisi quod in hoc inscriptio est ΑΘΗ. Quare etiam prior numus Athenarum verius est. Neque vero serius ipse auctor eruditus alienus fuit a restituendo Athenis numo, ut profitetur ipse in indice Supplementi IV. p. 131. Ipsa etiam fabrica, ut ex iconismo apparet, parum favet Mesopotamiae.

MEGIA.

Imperatorium Trajani edidit Pellerinius: ΜЄΓΙΑΙΤΩΝ. *Mulier sedens d. spicas, s. quid instar sceptri* [d]). Auctor eruditus, quoniam aliud urbis nomen magis adfine non habetur, tribuit numum Megiae Mesopotamiae, cujus unus Zosimus meminit, etsi ab hoc scribatur Μαγια. At enim docuit cl. Sestinus, in si-

a) Reg. vet. num. p. 119. b) l. c. p. 300. c) Adpendic. I. d) Mel. I. p. 20.

Digitized by Google

millimo suo distincte legi ΛΑΕΡΤΕΙ-ΤΩΝ, huncque adeo numum Pellerinianum restituendum Laerte Ciliciae [a]).

NICEPHORIVM.

Ad Euphratem, ab Alexandro M. conditum teste Plinio.

Imperatorius.

Gordiani citatur a Vaillantio: NIKH-ΦΟΡΙΩΝ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam.* Videtur ergo urbi a Iove Nicephoro nomen inditum.

AE. RRRR.

NISIBI.

Tigridi fluvio vicina, antiqua et nobilis, Graecis dicta Antiochia Mygdonia [b]).

In area numorum Seleuci VI. Syriae regis non raro scriptum legitur ΝΕΙΣΙ, quo aliqui indicari hanc Nisibin fuere qui crederent, sed quod nos refutavimus in moneta hujus regis.

* * *

Coloniae tantum numi exstant, quam a Severo deductam probabile est, cum quod *Septimia* dicitur, tum quod ait Dio [c]): Severum Nisibi magnam dignitatem addidisse, cujus etiam pars fuerit coloniae honos.

Numi hactenus reperti a Paula usque ad Decium.

Epigraphe: CЄΠ. ΚΩΛΩ. ΝЄCIBI. (nunquam ΝΙCIBI, ut apud scriptores legitur.) Sub Decio tantum: ΚΟΛ. ΝЄCIBI. (Pellerin.) In numo Paulae: ΚΟ-ΛΩΝΙΑC. ΝЄCBЄΙ. (Pellerin Suppl. I. p. 44.) errore haud dubie monetarii.

Typi: *Caput muliebre velatum turritum, supra quod aries saliens*, typus obvius. — *Mulier rupi insidens d. spicas, supra aries saliens, infra fluvius emergens*, Gordiani, Otaciliae. (Pellerin, Vaill.) *Aries intra coronam*, Philippi. (Pellerin.)

Typo mulieris indicari urbis genium constat, sed arietis difficilior explicatus. Male Vaillantius eo indicari censet, annum urbis in vere, nempe cum arietem sol pervadit, incepisse, nam similem arietem salientem etiam exhibent in moneta sua Antiocheni, quorum tamen annum coepisse in autumno, certum est.

Metropolis. Eo honore urbem praeditam a Philippo, existimat Vaillantius, quoniam cum hujus capite primum numum addito MHT. reperit. Verum anteriorem cum capite Gordiani reperit Pellerinius; quin exstant bini Alexandri capite insignes in museo Caesareo, et apud Theupoli. Cum ergo alii Alexandri numi hoc titulo abstineant, alii utantur, certum est, ab hoc imperatore Nisibin metropolis honorem adeptam.

Nomen ab impp.

CЄΠ. et in numis Philippi apud Pellerinium Λ. CЄΠ., a Severo, coloniae, ut verisimile est, parente.

IOT. CЄΠ. vel IOTΛ. CЄΠ. vel: IO. Λ. CЄΠ. etc. in numis Philippi, et Otaciliae, adeptato *Iuliae* nomine a Philippo, qui ex gente Iulia fuit.

AE. R.

a) Lettere P. II. p. 104. b) Theodorit. Hist. L. I. c. 7. c) L. LXXV. 3.

Digitized by Google

RHESAENA.

Gordiani de Persis victoria nobilis.

Imperatorii:

Exstant Caracallae tantum. (Mus. Caes. Pellerin.)

ΡΗCΑΙΝΗCIΩΝ. *Mulier rupi insidens d. spicas, in area* Γ.

Hi numi consentiente etiam Pellerinio inter coloniae numos referendi non sunt, nam ejus indicium nullum neque inscriptione neque typo praebent. Quare etsi, ut verisimile est, a Severo deducta fuit, tamen hi Caracallae numi eam aetatem praecedunt.

AE. RRR.

Colonia, ut dixi, deducta a Severo, quod arguit praenomen *Septimiae* passim obvium. Numi sunt Alexandri Sev., ac praecipue frequentes Decii.

Epigraphe:

ΡΗCΑΙΝΗCIΩΝ. saepe absque addito ΚΟΛ., sed typi coloniam arguunt, nimirum *Colonus arans*, vel addita *Legio*, quae colonos constituit, vel *Vexillum*, vel *Aquila* legionis insigne, vel *Centaurus arcum tendens*, de quo infra.

ϹЄΠ. ΚΟΛ. ΡΗCΑΙΝΗCIΩΝ. in aliis passim.

Typi:

Mulier velata et turrita rupi insidens d. aquilam, pro pedibus fluvius emergens, Alexandri.

Aquila legionis, ut dixi, insigne plerumque in his numis conspicitur, saltem in area constituta.

Genius urbis turritus et Pallas stantes ad aram sacrificant, in area superne aquila, hinc tropaeum, illinc Centaurus arcum tendens, Decii. (Vaill.)

De Centauro vide mox in *Legione*.

Templum, in cujus aditu noctua, infra fluvius enatans, Decii. (Vaill.) In alio pro noctua est *Aquila*, Etruscillae. (Vaill.)

Iovis et Palladis cultum hi numi praedicant.

Legio: hujus vera lectio talis est, nam falsam et usque ad Pellerinii tempora inveteratam mox perstringemus:

LEG. III. P. vel plenius: LEG. III. PIA. in numo Alexandri. (Pellerin Mel. I. p. 348.)

Vtraque epigraphe aut urbis titulos consequitur, aut inserta est vexillo, aut bis ponitur, semel addita urbis nomini, iterum in vexillo conspicua, in numo Decii. (Pellerin l. c. Mus. Caes.) De legione III., quae in Mesopotamia stetit, haec Dio [a]): *Severus Parthicas primam et TERTIAM in Mesopotamia* constituit. Huic ergo legioni, aut ejus parti Severus coloniae conditor Rhesaenam habitandam concesserit.

Vaillantius Centaurum in area sculptum suspicatur ad notandas I. et III. legiones Parthicas, quae teste Dione in Mesopotamia adfixae fuere, et quarum insigne fuisse Centaurum numi Gallieni docent. At enim secundum citatos Gallieni numos Centaurus non legionis I. et III., sed II. Parthicae insigne fuit. Reperio tamen apud veteres, quo typus juvari possit. Narrat Herodianus [b]), Alexandrum Sev. magnam vim sagittariorum, quos secum ex oriente addu-

a) L. LV. §. 24. b) L. VI. c. 16.

Digitized by Google

xerat, partim ex agro Osrhoenorum, partim e Parthia transfugas adversus Germanos instruxisse. Apud Trebellium Pollionem conqueritur Claudius Gothicus, omnes sagittarios, quod pudet dicere, Zenobiam possidere [a]). Propius quid refert Notitia dignitatum [b]): *Equites sagittarii indigenae primi Osrhoeni Rasin.* Eques sagittarius commode indicatur typo Centauri arcum tendentis, et Rasin in Notitia memoratum judice quoque Cellario idem esse videtur, quod Rhesaena; unde colligitur, dictos sagittarios apud Rhesaenam stetisse, et verisimile adeo, Centauri symbolo hos notari milites. Forte tamen hic sagittarii typus zodiacum et astrologiam respicit, nam etiam in vicinae Singarae moneta recurrit.

* * *

Stabilita ex Pellerinio vera lectione L. III. P. notandus duplex error veterum antiquariorum.

I. Omnes, qui Pellerinium praeivere, atque etiam ipse magnus Norisius, et Iobertus [c]) eas literas legerunt: L. IHP. id est: *anno* 118, atque adeo epocham nobis obgesserunt sub Hadriani imperio incipientem. Haec igitur ex epocharum catalogo deinceps expungenda.

II. Vaillantius in quibusdam numis Alexandri et Decii vexillo inscriptum legit: LEG. III. GAL., quam lectionem merito in dubium vocat Pellerinius [d]), qui in suis integris legit LEG. III. P. Legionem III. Gallicam stetisse apud Damascum, et Tyrum, in his vidimus.

AE. C.

SELEVCIA AD TIGRIM.

Vrbs celebris ad Tigridis et Euphratis confluentem prope veterem Babylonem a Seleuco I. condita. Gentile Luciano Σελευκεὺς ἀπο Τιγρεος [e]).

Autonomus:

Caput muliebre turritum. Ɪ ΣΕΛΕΥ-ΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΤΙΓΡΕΙ. *Tripus.* AE. III.

Singularem hunc numum ex museo regis Galliarum video citari a Pellerinio [f]), et Barthelemyo [g]) verum quo sit ex metallo, quo typo, aut epigraphe, non addiderunt. Consultus a Cl. Neumanno Abbas Blondius ejus numi omnes causas, ut proposuimus, descripsit, sic tamen, ut fateretur ipse, multum eum a temporis injuriis passum.

* * *

In hac etiam urbe existimo signata tetradrachma regum Parthorum, de quibus vide, quae disseram in animadversionibus regum Parthiae monetae subjectis §. VII.

AE. RRRR.

SINGARA.

Colonia Romana, a quo deducta sit, nemo prodidit. In numis dicitur ATP. CЄΠ., ex quo colligi potest, eam a M. Aurelio, vel L. Vero deductam, a Severo beneficiis adfectam.

Numi exstant cum capite Alexandri

a) in vita Claudii. b) Notit. Osrhoen. c) T. II. p. 302. d) Mel. I. p. 351. e) in Macrob. f) Rec. II. p. 172. et 249. g) B. L. T. XXVIII. p. 598.

Digitized by Google

et Gordiani, suntque apud Vaillantium, et in museo Caesareo.

Epigraphe constans: ATP. CЄΠ. ΚΟΛ. CINΓΑΡΑ.

Typi:

Caput muliebre velatum turritum, supra Centaurus arcum tendens, de quo typo egimus in vicina Rhesaena.

Mulier turrita rupi insidens, supra idem Centaurus, infra fluvius emergens, Gordiani. (Vaill.)

AE. RR.

ZAYTHA.

Vrbs parum cognita, ex qua Gordiani sepulcrum conspici potest teste Ammiano et Zosimo.

Imperatorius Trajani, atque hic unicus hactenus cognitus, et editus a Pellerinio (Rec. III. p. 252.):

ZATΘHC. NIAC - - *Victoria cultu solito.*

Adludit typus ad relatas a Trajano in hoc tractu victorias.

AE. RRRR.

VRBIS INCERTAE MESOPOTAMIAE.

Exstant certi cujusdam generis numi M. Aurelii, L. Veri, et uxorum, qui me judice in aliqua Mesopotamiae urbe sunt signati. Eos a variis auctoribus promulgatos olim collegi additis commentariis [a]), quos huc transferre instituti ratio postulat.

ATT. KAI. M. ATPHAIOC. ANTΩNINOC. CЄ. *Caput M. Aurelii laur.* Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. PΩMAIΩN. *Armenus humi sedens, juxta clypeus, et vexillum*, in imo APMЄN. AR. III. (Mus. Caes.)

Eundem hunc numum edidit Khellius [b]), sed bis offendit, cum quod pro clypeo aedificium arcuatum vidit, tum quod scriptum inferne, etsi dubitantis more, dixit NЄCI. pro certissimo APMЄN.

Eadem adversa. Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. PΩMAIΩN. *Venus stolata stans d. pomum, s. hastam.* AR. III. (Vaill.)

ÞATCTINA. CЄBACTH. *Caput Faustinae jun.* Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. PΩMЄΩN. *(sic) Idem Veneris typus.* AR. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. PΩMAIΩN. *Mulier stans cum 4 infantibus, quorum duos in sinu gestat, in imo duo stant.* AR. III. (Vaill. Theup.)

Eadem adversa. Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. TΩN. CЄBAC. *Venus stans d. pomum, s. hastam.* AR. III. (Vaill.)

Eadem adversa. Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. TΩN. ΚΤΡΙΩN. CЄ. *Iuppiter sedens d. Victoriolam.* AR. III. (Mus. Caes.)

Eadem adversa. Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. TΩN. ΚΤΡΙΩN. *Lectisternium cum duobus puellis.* AR. III. (Harduin Hist. Aug. p. 779.)

ATT. K. Λ. ATP. OTHPOC. CЄB. *Caput L. Veri.* Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. ΚΤΡΙΩN. CЄ. *Pallas stans d. telum s. clypeum.* AR. III. (Vaill.)

Eadem adversa. Ɪ ΤΠЄΡ. NIKHC. TΩN. ΚΤΡΙΩN. CЄBAC. *Mulier stans d. globum, s. cornucopiae.* AR. III. (Liebe p. 258.)

ΛOTKIΛΛA. CЄBACTH. *Caput Lu-*

a) Sylloge I. p. 63. b) Supplem. ad Vaill.

Digitized by Google

cillae. ✝ ΤΠΕΡ. ΝΙΚΗC. ΤΩΝ. ΚΤ-ΡΙΩΝ. CЄ. *Mulier stans d. globum, s. cornucopiae.* AE. III. (Mus. Caes.)

Auctores omnes, qui hos numos promulgavere, eorum natale solum definire non sunt ausi. Pellerinius, quo loco insignem suum Rhodiorum numum explicat inscriptum: ΡΟΔΙΟΙ. ΤΠЄΡ. ΤΩΝ. ΣЄΒΑΣΤΩΝ. a), adserit, in hac oratione subaudiendam vocem ΝΙΚΗΣ, ac praeterea omnes argenteos drachmae pondere simili modo inscriptos (quo nomine intelligit hos ipsos, quos hic proposui) Rhodo tribuendos. Hanc sententiam satis puto a me refutatam in moneta Rhodi, quam, si lubet, adi. Alia ergo huic numorum generi adsignanda patria.

Si quid valet in re numismatica analogia, et numorum contentio, vix licebit de argenteae hujus monetae patria Mesopotamia dubitare. Ejus rei argumentum certissimum suppeditant numi Manni Edessae regis, aut certe regionis cujuspiam, quae Edessae vicina fuit. Cum his nostri hi numi sic omnibus partibus conspirant, ut necesse sit, utrosque in eadem, aut saltem ejusdem regionis officina signatos statuere. Enimvero non fabrica modo et metallum, (argentei utrique sunt) et pondus, et volumen, tum et literarum forma eadem in omnibus sunt, verum etiam aetas eadem; nam quo tempore Manni numi signati sunt, eodem et hi nostri; illi enim perinde ac hi capita Aurelii, Veri, et uxorum exhibent. Ad haec in utrisque, ut conferenti planum fiet, typi ex Romana ejus aetatis moneta deprompti sunt. Vtrum hercle verisimilis tanta concordia, si in dissitis regionibus signatos quis velet statuere, hosque nostros exempli causa malleum expertos in Rhodo, dum alteri Manni in mediterranea, et tanto intervallo distante Mesopotamia lucem videre? Quare nisi me fallunt omnia, omnes hi numi aut in una eademque Edessa, aut in vicina quapiam urbe, ceu Carrhis, sunt percussi. Etiam aevi hujus historia sententiam meam praeclare juvat. Docet haec, Mesopotamiam sub Antonini Pii mortem a Parthis repentino incursu subjugatam, mox a Romanis, ipso L. Vero expeditioni praefecto, armis vindicatam, ac tum alios reges ejectos, alios constitutos, confirmatos alios, civitatum etiam formas immutatas, quas inter Carrhae deducta colonia. Quare praeceps in adulationem Mesopotamia omnis, et hac suadente Mannus rex sese in numis ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟΝ, et Carrheni quoque in suis sese ΦΙΛΟΡΩ-ΜΑΙΟΤC appellavere, indito etiam coloniae suae *Aureliae* nomine a victoribus Augustis utroque Aurelio. Quare altero obsequii genere ab iisdem regibus populisque vota quoque causa recentis Romanorum victoriae soluta, et signati propterea numi argentei, quos citavi, et inscripti: ΤΠЄΡ. ΝΙΚΗC. etc. Ad idem argumentum pertinet numus aeneus Commodi cum epigraphe: ΤΠЄΡ. ΝΙ-ΚΗC. ΡΩΜΑΙΩΝ., quem supra in Carrhis proposui. Nimirum inde ab recuperata sub Aureliis Mesopotamia in

a) Lettres p. 25.

Digitized by Google

hac regione festa et certamina epinicia fuerint constituta, atque horum occasione id genus numi signati, cujus generis est etiam aeneus I. formae cum capite L. Veri a Nicaeensibus Bithyniae cusus, in cujus aversa: ΡΩΜΑΙΩΝ. ΝΙΚΗΝ. ΝΕΙΚΑΙΕΙC. [a]) et alter ejusdem Veri eodem modo inscriptus [b]).

Observare juvat, in praesentibus nummis typos omnes luculente ex moneta Romana ejus aevi petitos, quos inter is, quem primum proposui typo Armeniae, exactus plane est ad numos Aurelii et Veri inscriptos ARMEN. Culpanda in horum descriptione numorum Vaillantii indiligentia, constanter Σ pro C contra certam archetyporum fidem obtrudentis.

PARTHIA.

Imperatorium Trajani Vaillantius ex Mediceo citat. ΠΑΡΘΙΑ. *Captivus lugens juxta tropaeum sedens.* Est hic signatus in quapiam urbe Graeca extra Parthiam, perinde ac alii inscripti ΔΑΚΙΑ, et commendat Trajani de Parthis victorias. Ejusdem rationis sunt numi Romani inscripti PARTHIA. CAPTA. sub eodem Trajano percussi.

AE. RRRR.

---

a) Gesner tab. CXVIII. n. 21. b) Pellerin.

Digitized by Google

REGES PARTHIAE.

Parthi, gens Scythica, domesticis seditionibus patria pulsi proximas Hyrcanis terras occupaverant, obscuri nominis, sive cum Persae, sive Macedones rerum potirentur. Mortuo Alexandro M. post nonnullas vices Seleucidarum denique imperium passi, claritudinem non multo post accepere, dum deficere palam a Syriae regibus sunt ausi. Factum istud imperante Antiocho II., annum definiente Iustino a) L. Manlio Vulsone, M. Atilio Regulo Cos., qui fuit V. C. 498. A. X. 256., a quo anno suae Parthos aerae initium duxisse credidit Vaillantius. Secundum Eusebium octo istud annis serius contigit. Defectionis auctores perhibentur Arsaces, et Tiridates fratres, illustrioris ambo virtutis, quam ut praefectorum libidinem possent perferre. Hoc genti hactenus despectae, et in servorum loco habitae ad potentiam initium, eousque subinde prosperis successibus provectam, ut non modo iis, quos dominos passa fuerat, imperaret, sed et sic Romanorum nosset cupiditatem eludere, ut velut diviso orbis imperio principatum ipsa in Oriente obtineret, donec, quae sunt magnorum regnorum fata, veteres iterum dominos Persas cogeretur experiri.

Horum Parthiae regum numi, etsi, quod longe petendi sunt, in locupletibus quoque numophylaciis perrari sunt, tamen ex omnibus in unum collecti insignem efficiunt numerum, et illustrem seriem inde a regni exortu usque ad ejus sub Alexandro Severo eversionem suppeditant. Eos Vaillantius de omnibus fere veterum regnorum numis praeclare meritus ex cognitis sibi museis congessit, et in perpetuam seriem tributos animadversionibus illustravit, sed impedivit mors, quo minus meditatum longis curis opus in lucem mitteret. Vulgatum tamen serius est praefixo fronti titulo: *Arsacidarum imperium, sive regum Parthorum historia ad fidem numismatum adcommodata. Parisiis* 1725. *in* 4. Defuisse praeclaro proposito supremam manum, quae frequentes naevos abstergeret, pridem conquesti sunt viri eruditi, quos inter fuere non pauci, qui quae Vaillantius peccaverat, emendare sunt adorti, novo labore tanto fidentius collocato, quod insignia numorum Parthicorum accesserunt supplementa Vaillantio ignota, quae, ut in nostris stu-

a) L. XLI. c. 4.

Digitized by Google

diis fieri solet, dissidere a veteribus praeceptis coegerunt. Hos inter cum laude memorandus Erasmus Frölichius qui ope numorum hujus classis magno numero in thesaurum Caesareum recens illatorum multa feliciter explicavit in opere, cui titulus: *Regum veterum numismata anecdota*, *Vindobonae* 1752. Sed viri immortalis Pellerinii merita haec quoque numorum series depraedicat, non lectissima modo sua supplementa, sed et insignes suos commentarios cum orbe harum deliciarum cupido communicantis, quos liberaliter obtulit primum in opere: *Médailles des Rois p.* 131, deinde in *Melange I. pag.* 147, iterum in *Supplement III. pag.* 4, denique in *Lettres pag.* 62. Qui alii hoc argumentum illustraverint, per hos commentarios indicabitur.

Illud in hac regum Parthiae serie multo molestissimum, quod certa lex aut ratio abest, qua numi singuli suis rite regibus possint adjudicari. Tentavit istud Vaillantius, sed aut fefellit aperte, aut temere quamlibet conjecturam legis instar habuit, quam ejus confidentiam pridem severe, sed jure perstrinxit Freretius [a]). Tamen in describendis Parthiae regum numis Vaillantii ordinem plerumque retinui, non quo illum videar approbare, sed quo indomitum istud agmen qualicunque illa, sed aliqua tamen statione consistat.

Enumeratis regum Parthiae numis subjiciam animadversiones nonnullas, in quibus agam I. de metallo et fabrica, II. de epigraphe, III. de nominibus regum ac titulis, IV. de typis, V. de epocha, VI. de inscriptis mensibus, VII. quorum jussu numi hi in Parthia sint signati.

ARSACES I.

Secundum Trogum incertae originis, secundum Ctesiam ex regio Persarum genere, cum videret, a Phericle, aliis Agathocle, pro Antiocho II. iis terris praefecto, fratris Tiridatis pudicitiam tentari, caeso contumeliae auctore Parthos solicitat, ejectisque Syrorum praesidiis Parthiae se regem appellat. Obiit in praelio V. C. 500, A. X. 254, cum annos duos, et paullo amplius regnasset. De propagato in posteros reges per venerationem Arsacis nomine, eoque ipso in deos relato agemus infra animadversione III.

Numi:

Caput regis imberbe tectum galea ad humeros deflua, et diademata. ΣΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΣΑΚΟΥ. *Parthus sedili, quod tapete tegitur, insidens d. arcum praetendit.* AR. III. (Pellerin.)

Numi hujus Arsaci I. tribuendi causa fuit Pellerinio, quod nullum, nisi ΒΑΣΙΛΕΩΣ, titulum praefert. Enimvero exiles fuisse Arsacis I. res, argumento est, quod ipsa per se Parthia pauper fuit, regi vero per biennium, quo imperavit, satis fuit, regnum vi adsertum adversum Syros amissa repetentes tueri. Mihi tamen magis videtur probabile, numum hunc pertinere ad Arsa-

a) B. L. Tom. XIX. p. 108.

Digitized by Google

cem II. per causas, quas continuo dabimus.

* * *

Vaillantius Arsaci I. tribuit bina tetradrachma amplis honorum titulis turgida, quod judicium jure reprehendunt Barthelemyus et Pellerinius. Est uterque Phraatis IV.

ARSACES II. *Tiridates.*

Arsacis I. frater, forma haud dubie amoribus apta, quod Agathoclis satrapae libidinem irritaverat. Regnum a fratre relictum magnis accessionibus auget. Seleucum II. cum magno exercitu Parthiam ingressum, ut rebelles ad obsequium revocaret, praelio victum capit, regie tamen habitum post annos IX. in regnum remittit. Ob tot res praeclare gestas *Magni* cognomentum emeruit, ut testatur Syncellus ex Arriano. Obiit regni anno XXXVII. V. C. 537.

Numi:

Caput regis imberbe tectum galea ad humeros deflua et diademata. Ꞩ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. *Parthus sedili, quod tapete tegitur, insidens, d. arcum praetendit.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 4.)

Iure hunc numum Arsaci II. impertit Pellerinius, quia priscam praefert simplicitatem, nullo alio insignis titulo, praeterquam ΜΕΓΑΛΟΥ, quo eum a suis donatum fuisse diximus. Cum in hoc numo similia videam oris lineamenta, quae in praecedente Arsaci I. tributo, et reliqua omnia ejusdem rationis dempto uno ΜΕΓΑΛΟΥ encomio, verisimile videtur, illum quoque Arsaci I. tributum numum Tiridati restituendum. Cui obstare videtur nomen ΜΕΓΑΛΟΥ in priore omissum, is comprobet etiam, Tiridati statim ab adito regno *Magni* titulum inditum. An non pronum credere, primos Tiridatis numos eo titulo caruisse? at postquam illo per insignia facta dignum sese reddidit, signatos deinceps numos cum ejus mentione.

Vaillantius huic quoque regi adjudicat tetradrachma titulorum fastu inflata, quae certe posteriori aevo debentur.

ARSACES III. *Artabanus I.*

Antiochum III. primum hostem, deinde armorum socium habet. Quamdiu regnaverit, incertum.

ARSACES IV. *Priapatius.*

Regnavit annos XV. relictis filiis Phraate et Mithridate, quod unum nobis Iustinus de hoc Arsace memoriae proditum reliquit. Alio loco ejus quoque filium adserit Artabanum II. [a]).

ARSACES V. *Phraates I.*

Cum filios plures haberet, fratrem Mithridatem virtutis ergo successorem appellat.

Numi:

Protome regis barbata diademata.

a) L. XLII. c. 2.

Digitized by Google

Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Parthus sellae, cui tapes insternitur, insidens d. arcum inversum protendit.* AR. III. (Pellerin.)

Numum hunc pertinere ad unum ex primis Arsacidis, arguit simplex ΒΑΣΙΛΕΩΣ suppresso ΒΑΣΙΛΕΩΝ, tum forma sedilis, quod utrumque in sequentibus variabit. Pellerinius numos similes tribuit Arsaci II. Tiridati, verum hujus numi certiores vultum sistunt imberbem, alium ornatum capitis, et lineamenta. Serius sane suae ipse conjecturae visus est diffidere [a]). Quod vero ad hunc potius Arsacem numum hunc pertinere existimem, in causa est titulus ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, quem adscivit etiam Antiochus IV. Arsacis V. aequalis. Satis enim videtur verisimile, Parthos nonnunquam Syrorum instituta imitanda sibi proposuisse.

ARSACES VI. *Mithridates I.*

Arsacis IV. filius natu minor, virtute regum Parthiae nemini secundus, Babyloniam, Bactrianos, Medos, Elymaeos sibi subjicit, Demetrium II. Syriae regem bello captum plures annos in liberali custodia habet. De vero incipientis aut desinentis regni anno nihil certi habemus.

Numi:

Protome regis barbata naso adunco, et diademata, in aliis: *Caput tiara diademata tectum.* Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. *Parthus sedili quatuor fulcrorum insidens d. arcum inversum praetendit.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Numos similes Vaillantius tribuit Arsaci IX., sed eos hujus esse Arsacis Pellerinius ex titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ colligit. Nimirum ille tot victis populis tot etiam reges Parthis fecit tributarios, ut adeo jure superbum hunc titulum sibi potuerit adsciscere. Sed enim ex eo istud tantum sequitur, nulli alteri regum anteriorum in hunc titulum jus fuisse, et forte primum exstitisse Arsacem VI., cui illo gloriari placuit. Verum cum titulum semel susceptum non raro adhibuerint etiam reges successores, et hi eosdem reges sibi habuerint subjectos, quis vadem aget, tales numos ad hunc potius Arsacem, quam ad aliquem ex successoribus pertinere? Incertum istud sane. De titulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ, qui nunc primum occurrit, agemus infra animadversione III.

Vaillantius huic regi tribuit numum, qui addit titulos ΘΕΟΥ, ΔΙΚΑΙΟΥ, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, sed istud admodum est ambiguum.

ARSACES VII. *Phraates II.*

Arsacis VI. filius, ab Antiocho VII. Evergete, quod fratrem Demetrium II. in captivitate detinuerat, bello petitus plerasque provincias amittit, sed ejecto versa fortuna hoste recuperat. Perit in bello contra Scythas.

a) Suppl. III. p. 6.

Digitized by Google

Numi:

Caput regis barbatum tiara tectum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ. *Parthus more solito sedens.* AR. III. (Mus. Caes. Pellerin.)

Numum huc refert Pellerinius ob titulos ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ, et ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, quorum is illi competit, quod filius fuit patris ΘΕΟΥ, hic quod Antiochum VII. insigni relata victoria repressit. At enim patrem habuisse appellationem ΘΕΟΥ, sola Vaillantii conjectura nititur, ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ autem nomen alii quoque ex victoriis sunt adepti.

Vaillantius in numo, quem huic Arsaci II. tribuit, legit titulum ΞΕΝΙΟΥ, *Hospitalis*, in Parthorum regum numis hactenus ignotum. Verisimilius legendum fuerat ΔΙΚΑΙΟΥ, quod suspicatus jam est Frölichius [a]).

ARSACES VIII. *Artabanus II.*

Arsacis VII. patruus. Ejus neque clara memoria, neque numi certi. In bello contra Scythas Thogarios ex vulnere obit.

ARSACES IX. *Mithridates II.*

Arsacis VIII. filius, cui res gestae *Magni* cognomen dedere teste Iustino. Cum L. Sulla, qui restituendi in Cappadociam Ariobarzanis causa in Asiam missus est, per legatos egit, primo hoc Romanorum cum Parthis commercio. Hujus regis tristem exitum commemorat Iustinus [b]), sed Mithridatem II. cum Mithridate III. confundit, quod jam advertit Vaillantius.

Numi:

Caput regis barbatum tiara tectum. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Parthus sedens, ut alias.* AR. III. (Mus. Caes.)

Caput simile. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΥΣ. *Parthus sedens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Numum priorem huic Arsaci largitur Haymius cum propter titulum ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, quem ob res praeclare gestas promeritus videbatur, tum alterum ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ, quod teste Iustino [c]) cum Scythis prospere aliquoties dimicavit, ultorque injuriae parentum fuit. Haymii judicium adprobat Pellerinius, qui et numum alterum etsi titulis diversum huc revocat. Fieri poterat, ut hic Arsaces Αυτοκρατορος nomen arcesseret aemulatione Tryphonis Syriae regis eodem usi, at tum numi similes in superiora tempora essent retrahendi.

Secundum Vaillantium hic Arsaces IX. primus fuit, qui *Magni* nomen sibi a populis datum monetae intulit. Sed ostendimus, jam Arsacem II. eo gloriatum. Idem Arsaci IX. numum dedit, quem nos Arsaci VI.

a) Reg. vet. numi p. 48. b) L. XLII. c. 4. c) L. XLII. c. 2.

Digitized by Google

ARSACES X. Vaillantio *Mnascires.*

Regum, qui proxime successere, series plane incerta est. Ad has Vaillantius redactus angustias Mnascirem quemdam, qui lacunam expleat, huc cogit, quem Lucianus Parthorum regem appellat, et vixisse annos XCVI. a). Sed Lucianus tempus non addit, quo is regnavit, aeque adeo incertum, atque numus, quem Vaillantius huic esse Mnasciri proprium vult.

ARSACES XI. SANATROECES.

Barbarum istud nomen non ignotum scriptoribus, sed varie promulgatum, seu ignoratione, seu librariorum vitio. Luciano dicitur Σινατροκης, in mea editione corruptius Σιναθροκλης b), Phlegonti Σινατρικης c), Appiano Σιντρικης d), at in numo fertur Σανατροικης. Hic Parthiae imperavit, quo tempore Lucullus cum Mithridate et Tigrane bellum gessit, mortuusque durante adhuc illo bello successorem habuit Phraatem filium exactis vitae annis LXXXVII., cum regnasset annos VII. Haec ex citatis auctoribus certa tenemus. Sed incerta sunt, quae Vaillantius de ejus stirpe et fortuna de suo deprompta commemorat.

Numi:

Protome regis modeste barbata diademata. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΝΑΤΡΟΙΚ - - ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. *Parthus sedens cultu solito.* AR. III. (Pellerin.)

Protome similis. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΥ. *Idem typus.* AR. III. (Mus. Caes.)

Protome similis. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Idem typus.* AR. III. (Vaill.)

Vultus idem in numis II. et III. eos eidem regi vindicat, etsi Sanatroecis nomen non addatur.

ARSACES XII. *Phraates III.*

Arsacis XI. filius, ut mox dictum. Eum data epistola, quae integra exstat in fragmentis Sallustii, in belli societatem trahere conatus est Mithridates Ponticus, atque idem pro se tentavit Lucullus, mox Pompejus M. Huic is infensiorem se praebuit, quod regem quidem, sed non regem regum se appellasset e). Ei praeterea fuisse cognomen *Dei*, testatur Phlegon supra citatus. Filios habuit Mithridatem et Orodem.

Numi:

Protome regis modeste barbata diademata. ✠ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΘΕΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Parthus sedens.* In aliis: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ - - - *in fine:* ΚΑΙ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. AR. III. (Vaill. Mus. Caes.)

Tituli ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ., et

a) in Macrobiis. b) in Macrobiis. c) ap. Phot. cod. 97. d) bell. Mithr. e) Dio L. XXXVII. §. 6.

Digitized by Google

ΘΕΟΥ, quibus regem hunc usum constat, ut diximus, persuasere Vaillantio, ut ei numum hunc adjudicaret.

Eodem Pellerinius refert numum, qui etiam est in Caesareo: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΚΑΙ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, sed infirma sane conjectura.

ARSACES XIII. *Mithridates* III.

Arsacis XII. filius. A suis propter crudelitatem regno pulsus, mox Babylone obsessus captusque a fratre Orode interficitur. Quem numum Vaillantius huc vocat, incerti est regis.

ARSACES XIV. *Orodes.*

Arsacis XII. filius, fratre interempto regnum adit. Crassum cum exercitu internecione delet. Syriam Romanis praerepturus eo filium Pacorum mittit, sed quem Cassius reprimit. Per Labienum IIIvirorum metu ad Parthos transfugam, addito iterum filio Pacoro, Syriam, Palaestinam, Phoenicen, Ciliciam, et Asiae partem vexat, sed utrumque P. Ventidius praelio victum interimit. Rex dolore caesi filii amens in morbum incidit, et regni procuratione filio Phraati commissa hujus jussu infami parricidio necatur.

Ei a Vaillantio numus incerta lege tribuitur.

ARSACES XV. *Phraates IV.*

Vt tutius regnaret, fratres XXX. caeso perfide patri inferias mittit. M. Antonium in Parthiam ingressum, cum aliquamdiu velut reti inclusum extrema quaeque pati coegisset, ex finibus suis ejicit. Tiridatem sibi insidiantem victum praelio in Syriam fugere cogit, sed cum saevire in suos non desineret, solio pellitur evocato e Syria Tiridate, nonnisi aegre Scytharum auxiliis restitutus. Augustum V. C. 734. in Syria degentem dum metuit, ei signa militaria, et captivos Romanos ex Crassi et Antonii cladibus retentos restituit. Filios IV. Romam obsides mittit specie firmandae amicitiae, revera quod fidem popularium suspectam haberet. Extremis regni annis rupta iterum cum Romanis concordia, sed non multo post reparata C. Caesare Agrippae F. metum ex vicino ostentante. A filio Phraate occisus est renovato scelere, quo se ipse in patrem obstrinxit.

Numi:

1) *Caput regis modeste barbatum diadematum.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Mulier capite turrito stans s. cornucopiae, d. palmae ramum regi sedenti offert, in imo:* ΞΑΝΤΙ. *et* ΠΣ. AR. I. (Sestini Lettere T. II. p. 63.)

2) *Protome regis capite modeste barbato diademato crispis crinibus.* ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚ□Υ. ΕΥΕΡΓΕΤ□Υ. ΕΠΙΦΑΝ□ΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝ□Σ. *Mulier stans s. cornucopiae palmae ramum regi sedenti offert, in imo:* Υ. ΜΗΝ□Σ. Γ□ΡΠΙΑΙ□Υ. AR. (Vaill. Arsac. imper. pag. 6.)

Digitized by Google

Sed Barthelemyus fatetur, in hoc numo, qui nunc est in museo regio, literas praetensas T. MHN□Σ parum esse integras, et pro his verisimilius legendum ΔIKAI□T. [a]), quod videtur confirmare similis numus Pellerinii [b]).

3) *Eadem adversa.* Ɪ *Eadem Epigraphe. Pallas stans s. hastam coronam regi sedenti offert; in imo:* AΠ□. MHN□Σ. Γ□PΠIAI□T. AR. I. (Vaill. l. c. p. 8.) Sed Barthelemyus pro AΠ□ legendum censet AΠΣ. et esse annum aerae Parthicae 281 [c]), sed quae Barthelemyi lectio suspecta videtur Pellerinio [d]).

4) *Eadem adversa.* Ɪ BAΣIΛEΩΣ. BAΣIΛEΩN. AIΣAK□T. ETEIΓE--- ΔIKAI□T. EΠI+AN□TΣ. +IΛEΛ-ΛHN□Σ. *Mulier capite tutulato stans s. cornucopiae, d. palmae ramum regi sedenti offert, in area* ЄΠΣ, *in imo* TΠEP. AR. I. (Mus. Caes.) Annum Frölichius aliter legit, ut dicetur infra. In simili auctor Catalogi musei d'Ennery legit: AΠETΠEPBEPETOT [e]). Dividenda haud dubie ea vox, legendumque: AΠΣ, nempe annus aerae 281, et TΠEPBEPETOT, quod pro TΠEP-BEPETAIOT, quod est nomen mensis.

5) *Eadem adversa.* Ɪ *Eadem epigraphe. Pallas stans s. hastam, d. palmae ramum sedenti regi offert, in area annus* ϛΠΣ *et literae* ΣA. AR. I. (Mus. Caes.)

6) *Eadem adversa.* Ɪ BAΣIΛEΩΣ. BAΣIΛEΩN. IIΣAKOT. ITEIΓE-TOT. ΔIKAIOT. IΠ. EΠI+ANO. +I-ΛEΛΛNOTΣ. *Mulier capite tutulato stans s. cornucopiae, d. coronam regi sedenti porrigit, in imo:* MHNO- IV-ΔT. et annus ZΠΣ. AR. I. (Pellerin Lettres p. 68.)

7) *Eadem adversa.* Ɪ *Similis epigraphe. Mulier stans s. cornucopiae, d. coronam regi sedenti offert, in imo:* ΠE-PITIO. *et, ut videtur, annus* HΠΣ. AR. I. (Mus. Caes.)

8) *Eadem adversa.* Ɪ BAΣIΛE - - BAΣIΛEΩN. AIΣAKOT. ETEIΓET. ΔIKAIOT. - ΠIΦ. AIΦANOTΣ. ΦI-ΛHΛΛHNOΣ - - - OΣ. ATΔN - - - *Mulier stans s. cornucopiae, d. binas spicas regi sedenti offert, in area annus* AqΣ. AR. I. (Pellerin Lettres p. 68.)

9) *Eadem adversa.* Ɪ BAΣIΛEΩΣ-- ΣAKOT. ETEIΓETOT. ΔIKAIOT. EΠI+ANOT. -- EΛΛHNO - *Parthus sedens arcum inversum ostentat, in area annus* AIT. *in imo mensis* - AIΣIOT. (id est: ΔAIΣIOT.) AR. I. (Barthelemy B. L. T. XXXII. p. 678.)

10) *Eadem adversa.* Ɪ BACIΛEΩ - BACIΛEΩN. MEΓAΛOT. AICAKOT. ΔIKAIOT. EΠ. EΠIΦANOTΣ - - - ΛEΛΛHN. *Mulier tutulata stans s. cornucopiae, d. coronam regi sedenti offert, in imo* ATΔTNAI. AR. I. (Pellerin Rois et Lettres p. 68.) In alio: ΔAI. (nempe mensis Δαισιου Catal. d'Ennery.) In alio: ΔIOT. In alio: APTE-μισιου. (Ibid.) In alio: APTEMI. (Sestini Lettere T. II. p. 65.) In alio: ΔIΣT. forte ΔTΣT. nempe Δυσεος mensis. (Sestini ibid.) In alio: ΣOΛΩION. (Catal. d'Ennery.) Forte legendum ΣA-ΛΩOT vel ΛΩIOT. sic ut ΣA. sint literae incertae significationis in his nu-

a) B. L. T. XXXII. p. 677. b) Rois. c) l. c. p. 677. 678. d) Lettres p. 69. e) p. 31.

Digitized by Google

mis obviae, et ΛΩΟΥ *Lous* mensis Macedonicus.

Numos similes sibi cognitos Vaillantius Arsaci I. et II. tribuerat. Vtrique titulorum et copiam et fastum non competere jam viderunt alii, et habemus utriusque certiores alios, quos indicavimus. Vaillantius notatos in suis epochae annos non vidit, qui potuissent errorem dedocere. Contra is huic Phraati IV. tribuit drachmam, quae, ut ex vultu nobis jam satis cognito apparet, ejus certe non est. Olim Pellerinius quoque id genus numos tribuit Mithridati III. [a]), serius suum ipse errorem professus est [b]).

Haec tetradrachma curatius descripsi propterea, ut ne quid desideremus, quod ad insertos annos et menses, tum ad formam literarum in his numis turpiter luxatam pertinet, de quibus singulis agemus distinctius post horum regum numos. Nonnulla tantum, quae ad inscriptionum fidem, et explicatum pertinent, hoc loco sunt monenda.

Cum numum IV. ederet Frölichius, haec de inserto aerae anno memorat: *in nostri area perspicue expressa est epocha* ΑΛΣ. *anno* 235 [c]). Mirum sane, istud a viro erudito adseri, quando numus, quem prae oculis habeo, literam primam non A, sed perspicuum Є offert. Et vero fuisse et Frölichio visum Є, eo manifeste apparet, quod annum ΑΛΣ non, ut opportuisset, reddidit 231, sed 235. Ergo elementum A pro Є typothetae vitio irrepsit, quem deinde errorem Frölichius, cum non satis animum adverteret, in posterioribus suis scriptis omnibus propagavit, aliisque eruditis ejus propagandi auctor exstitit. Istud cum ignoraret Barthelemyus, et non in numero Graeco, sed Arabico mendum suspicaretur, legendum esse 231 putavit [d]). Elementum secundum nequaquam tam perspicuum Λ est, ut non aeque Π haberi possit. Ergo cum numus hic per vultus lineamenta, titulos et reliqua omnia certum det Phraatem IV., evidens est etiam praecipiente istud aerae Parthicae calculo, elementum II. non esse Λ, sed Π putandum. Quare integer hic numerus absque dubio legendus ЄΠΣ.

In numi V. quoque praeconio idem Frölichius erroris causam praebuit eruditis. Illius is iconismum bis dedit, primum in opere: *Regum vett. numismata anecdota tab. I. n.* 10., deinde in *Notitia elementari* Tab. XIV. n. 6. Vtrobique praeter certum aerae annum ϛΠΣ expressit alium, ut sibi legendum videbatur, ΞΑΡ, id est: 161, vel ΞΛΡ, id est: 137. Tamen et ipse dubium de hac lectione non dissimulat, nam sic ait pag. 57 operis prioris: *Sed in nostro praeterea in medii area literae sunt, ut puto*: ΞΑΡ. *Sed* Ρ *dubium est, et* Α *vel* Λ. Istud cum fugeret eruditum Reinoldum Forsterum Anglum, fidemque iconismo Frölichiano omnem haberet, duplicem in hoc numo aeram Parthicam agnovit, quarum vetustior ϛΠΣ duceretur ab anno V. C. 349, altera ΞΛΡ ab anno 498, variaque inde ducit argumenta historiam regum Parthorum, numosque illustrantia, quae vide Volumine III. operis: *Archaelogia published*

a) Rois p. 149. b) Lettres p. 64. c) Reg. vet. numi p. 57. d) B. L. T. XXXII. p. 678.

Digitized by Google

by the society of Antiquaries of London pag. 159. At irritus omnis hic conatus; nam praeterquam quod, ut dixi, dubiam esse lectionem ipse Frölichius profitetur, testari ipse possum, praeteneas literas ΞAP, vel ΞΛP aliud non esse, quam ΣA in his Parthorum numis obvium.

In numis V. et IX. occurrunt ΔIKAIOTIΠ. et ΔIKAIOTEΠ. in numo VIII. EΠIΦ. AIΦANOTΣ. Incassum laborabit, qui sanam inde significationem volet elicere, quando isthaec aliud non sunt, quam testimonium luculentum, Graecos in barbaro solo detentos sensim patriam elegantiam, et feriundae ad nitorem monetae leges dedidicisse, quo super argumento nolo esse verbosior, quod istud jam praecepit Pellerinius [a]). Addita IΠ. et EΠ. superflua sunt exordia sequentis EΠIΦANOTΣ.

* * *

Protome capite diadernato, tam barba, quam caesarie in cincinnos coacta, in aliquibus collum exornat animal, quod Pellerinio capricornus visum, in aliis supra caput astrum unum, vel duo, et lunula, vel lunula tantum, in aliis advolans avis, quae coronam rostro stringit. Ϯ BAΣIΛEΩΣ. BAΣIΛEΩN. APΣAKOT. ETEPΓETOT. ΔIKAIOT. EΠIΦANOTΣ. ΦIΛEΛΛHNOΣ. *Parthus sedens d. arcum inversum protendit, per aream variae literae solitariae, monogrammata, saepe ancora.* AR. III. (Mus. Caes.)

Protome similis. Ϯ BAΣIΛEΩΣ. MEΓAΛOT. APΣAKOT. ETEPΓETOT. EΠIΦANOTΣ. ΦIΛEΛΛHNOΣ. *Parthus sedens.* AR. III. (Mus. Caes.)

Id genus numi drachmae pondere, etsi alibi perrari, in museo Caesareo abundant. Phraati IV. eos tribuit Pellerinius [b]), non tam propter eosdem titulos, quos in mox citatis, et certis ejus regis tetradrachmis vidimus, quam propter capricornum, quem in nonnullis regis collo inhaerere diximus. Factum istud ab rege statuit propterea, quod is teste historia Augustum observaverat, cujus signum genethliacum fuisse capricornum constat. Quare, arguit, ceteri omnes, qui his sunt similes, etsi capricornus absit, ejusdem sunt regis. Verum praesto sunt, quae ingeniosam hanc ejus doctrinam impediunt. Primum in certis Phraatis IV. tetradrachmis barba cultu simplice, nullo adjuta artificio dependet, at in drachmis, de quibus nunc agimus, ea quoque in cincinnos dividitur. Non vero satis causae reperio, ut idem rex in numis aliis alium praeferret capitis modum. Deinde animal, quod is capricornum putat addito cornucopiae, alterius potius animalis speciem praefert, surgentibus ex medio corpore luculentis alis, sed quae Pellerinio cornucopiae visae sunt. Gryphum dicerem, nisi in oblongam, et tenuem caudam desineret, sed quam et gryphus et capricornus inficiantur. Sunt in museo Caesareo numi similes viginti et amplius, qui ejus animalis formam sistunt. At quod maxime ejus sententiam labefactat, est in eodem museo numus integerrimus et elegantissimus ex eorum genere, quos Pel-

a) Lettres p. 68. seq. b) Suppl. III. p. 7.

Digitized by Google

lerinius Arsaci VI. largitur, qui animal simillimum ostentat adfixum collo regis, Augusti aevum longe praevertentis. Ergo illud facilius alia omnia, quam delatum Augusto obsequium significabit. Non igitur magnopere obstabo, si quis numos similes ad alium volet Arsacem derivare, nisi forte religionem incutiant tituli iidem, quibus Phraatem IV. usum certo constat, sed quibus etiam rex alius uti potuit. Vide etiam, quae huc facientia in Arsace XVIII. notabo.

ARSACES XVI. *Phraataces.*

Vix regnum delibavit, suis propter necatum patrem infensus e medio tollitur V. C. 757.

ARSACES XVII. *Orodes II.*

Incertum, quo patre natus a proceribus ad Parthicum regnum evocatur, sed ab iisdem propter crudelitatem post paucos menses occiditur.

ARSACES XVIII. *Vonones I.*

Phraatis IV. filius, Roma, ubi complures annos obses retentus erat, ferente Augusto evocatus regnum adit, sed Parthis Romanos in rege suo mores non ferentibus inducto rege alio ejicitur.

Ei Vaillantius tribuit drachmam ex earum genere, quas in patre Phraate IV. recitavi, motus ave ad caput regis advolante, quam aquilam dicit, eamque tanquam insigne R. imperii adstitutam, ut regnum se a Romanis accepisse testaretur, quod ipsum homini inconsulto invidiam apud suos auxerit. Istud si verum, iterum aliquid decedit conjecturae Pellerinii, similes drachmas Phraati IV. tribuentis.

ARSACES XIX. *Artabanus III.*

Per matrem ex Arsacidarum gente Vononis odio ad regnum vocatus, sed a Tiridate, quem Romae detentum Tiberius petentibus Parthis indulserat, pulsus, iterum ab instabili populo restituitur. Mesopotamiam cum exercitu ingressus a L. Vitellio Syriae praeside sibi ad Euphratem occurrente tantum terroris accipit, ut Augusti et Caligulae tum imperantis statuas impetrato colloquio adoraret, et liberos obsides daret. Varia fortuna ad extremum usque agitatus cum regnasset annos XXVIII., mortuus est imperante Claudio.

Ei Vaillantius drachmam tribuit inscriptam: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. Nulla sane certa ratione hic ei numus adjudicatur. Ceterum titulus ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ. res nova, et vocabulum ipsis lexicographis ignotum, sed vereor, ut rite lecta sit epigraphe. Saepe in id genus drachmis ita disjectae sunt literae, ut facile quis vocabulum possit alterius significationis elicere, sed quam monetarius reipsa non intenderit.

* * *

Hoc loco chronologiae causa describendi numi sequentes:

Caput regis barbatum corona rotunda tectum. ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Vi-*

Digitized by Google

ctoria, vel mulier stans cum cornucopiae regi sedenti palmae ramum, vel cornucopiae offert. Anni et menses: ΓΝΤ. ΓΟΡΠΙΑΙ. — ΔΝΤ. ΤΠΕΡΒΕΡΕΤ. — ΔΝΤ. ΑΠΕΛΑΙ. — ΕΝΤ. — ΖΝΤ. — ΗΝΤ. — ΖΞΤ. — ΗΞΤ. — ΘΞΤ. — ΕΟΤ. AR. I.

Praeclaros hos numos, et usque hodie ad unum ignotos omnes, abbas Sestinus ex illustri museo Ainsliceano descripsit. Intervallum inter primum ΓΝΤ et postremum ΕΟΤ est annorum XXII., quorum ille incidit in tempora prima Claudii, hic in postrema Neronis, ducto, ut infra statuemus, aerae exordio ab anno V. C. 443. Sintne omnia horum numorum capita unius ejusdemque Arsacis, auctor neque diserte edixit, neque nobis licet ex iconismis conjicere, quos malo consilio nullos dedit. Haud dubie tamen eadem in singulis lineamenta viderit, quia omnes uni Arsaci XXIII. Volagasi I. largitus est. Sin vere istud vidit, magnum sententiae nostrae de aerae exordio intentatur malum. Quia enim numi hi annos XXII. continent, saltem inter Arsaces quinque, nimirum ab Arsace XIX. usque ad XXIII. erunt dividendi, quos omnes eadem habuisse oris lineamenta, eundem capillorum capitisque cultum, verisimile non est. Atque haec praecipua Sestino causa visa fuerit, cur aerae exordium decennio distulerit, nempe ad annum V. C. 453, quo pacto omnes hi numi tribui possunt uni eidemque Volagasi I., cujus diuturnum fuisse regnum constat.

* * *

Hujus adhuc regis videtur esse aeneus III. formae cum anno ΕΝΤ. quem infra in aeneis regum Parthiae numis dabo.

ARSACES XX. GOTARZES.

Artabani III. filius. Fratri Bardani regnum cedit, illud hoc caeso iterum aditurus.

Numus:

Caput regis barbatum diadematum. Ϟ ΒΑϹΛΙΕ - - ΑΡ - - - ΤΟϹΚϹΚΛ-ΛΟΤΠϹΝΟϹ. ΓΟΤϵΡΖΗ. ΑΡΤΑΒΑ-ΝΟΤ. *Parthus sedens arcum inversum praetendit.* AR. III.

Numum hunc a Barthelemyo, dum Italiam lustraret, repertum et acquisitum scripta ad cl. Paciaudum epistola illustravit Eduardus Corsinus proposita ejus icone. Postquam multa de Gotarzis regno, et variorum scriptorum lapsibus esset praefatus, sic denique numi hujus epigraphen legendam censet: ΒΑϹΙΛϵΤϹ. ΓΟΤΗΡΖΗϹ. ΒΑΡΔΑ-ΝΟΤ. ΤΙΟϹ. ΚΑΙ. ΚΑΛΟΤΜΕΝΟΤ. ΑΡΤΑΒΑΝΟΤ. *Rex Gotarzes Bardanis filius vocati etiam Artabani* a). Nemo non videt, hunc epigraphes modum penitus abludere ab eo, quo hactenus omnes regum Parthiae numos inscriptos vidimus. Deinde cum in omnibus his numis, qui scripturam in quatuor partitam latera offerunt, epigraphe occipiat ab Aquilone, hinc flectat in ortum, ab-

a) pag. 18.

Digitized by Google

hinc in Austrum, et desinat in occasu, vir eruditus, ut intentum sensum extorqueat, cogitur saltus in Parthorum moneta insolitos subsidio vocare. Denique si scriptura hujus numi esset quaquaversum sana, et literae luculentae, possemus tum forte praetensum explicatum admittere. At vero fatente ipso Corsino et numi iconismo, partim evanidae sunt literae, et quae exstant, partim barbarae et hiulcae, sic ut inscriptio a Corsino enunciata magis videatur sermo eruditae conjecturae, quam ipsius numi. Sane ad Bardanem suum extundendum aliud non habuit, praeterquam literas AP. De hoc ergo numo sic existimo: esse eum Gotarzis, non negavero, quod in eo teste Corsino expressum legitur nomen ΓΟΤΕΡΖΗ, et testatur quoque Barthelemyus, in numo a se in Italia adquisito proponi et caput, et nomen Gotarzis [a]). Sed adsentiri non possum, reliquam inscriptionem esse legendam, ut censet Corsinus. Neque vero etiam ea lectio probata videtur Barthelemyo, quod, cum de hoc numo loquitur, nihil aliud dicit, quam in eo contineri Gotarzis nomen, dissimulata mira reliquae inscriptionis lectione a Corsino inducta. Advertendum etiam, exstare in museo Caesareo drachmas omnino IX., qui collati cum numo Corsiniano non modo idem caput, reliquumque omnem simillimum cultum offerunt, sed eandem etiam plane aversam, cum iisdem etiam per aream sigillis, qualia sunt monogramma ΑΤ cum subjecto globulo, et crucula intra pedes Parthi sedentis, at in his luculenta inscriptio, etsi barbara quoque ΠΑΣΙΛΕΩΣ. ΠΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΝΟΔ. ΕΤΕΡΓΕΤΠ. ΔΙΧΑΙΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΧΟΣ., quae, demptis orthographiae peccatis, prorsus eadem est in numis Arsacis XV. Phraatis IV. Sunt praeterea in eodem museo aliquot alii ejusdem modi, sed charagmate usque eo barbaro, ut ne unicam quidem sanam vocem ex literis misere luxatis possis componere. Similes ergo numos esse ejusdem Gotarzis, quia simillimi sunt numo Corsiniano, nullus dubito. Non obstat, abesse in his Gotarzis nomen; nam et in Arsacis XI. moneta vidimus, nomen Sanatroecis in numo uno addi, in aliis omnibus omitti.

ARSACES XXI. *Bardanes.*

A suis occiditur revocato fratre Gotarze.

Ex mente Vaillantii hujus Arsacis est drachma inscripta: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΚΟΤ. ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΤ. ΔΙΚΑΙΟΤ. ΕΤΕΡΓΕΤΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. Numum recitavi, non quod eum revera hujus esse regis existimem, sed ut non dissimulem nondum ex numis cognitum titulum ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΤ, *longe optimi*, etsi forte fallax est lectio, quam etiam paullo supra in insolente titulo ΑΜΦΙΜΑΧΟΤ suspicabar. Si vera est lectio Morellii, ex quo Vaillantius numum hunc hausit, erit is forte Arsacis XXV. Chosrois. Constat, Trajanum, quo tempore huic bellum indixit, nominibus suis addidisse nomen Ἀριστου, *Optimi.* Forte

a) B. L. T. XXXII. p. 682.

Digitized by Google

Graeculi orientales, ut Chosroen hoste superiorem ostenderent, ei nomen praestantius Παναρίστου indidere.

ARSACES XXII. *Vonones II.*

Exiguo tempore, et inglorius regno praefuit.

Numus ei tribuitur a Vaillantio: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΜΙΤΡΑΗΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. Ratio certa non adfertur. Ex titulis observandus nondum hactenus compertus ΜΙΤΡΑΗΤΟΥ. Vaillantius a verbo μιτρόω, vel μιτρόω, *mitra cingo*, derivat, ut adeo rex hic ita videatur appellatus a mitra, capitis ornamento; verum μιτρήτης ductum a μιτρόω non commode graecissat. Vaillantium videtur voluisse corrigere Frölichius, cum eo loco, quo regum titulos commemorat, habet ΜΙΘΡΑΕΤΟΥ, *soli coaevi* a), quod utrum ex monumento vero sibi cognito, an suomet ingenio suffecerit, ignoro. Vaillantius insolitos omnes hos titulos ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ, ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΥ, ΜΙΤΡΑΗΤΟΥ ex collectione Morelliana recitat, sed omnes, quod miror, desunt in gaza Caesarea his drachmis praedivite.

ARSACES XXIII. VOLAGASES I.

Vononis II. filius. Armeniam occupat, eamque fratri Tiridati permittit. Nero Domitium Corbulonem in Orientem mittit, qui regem turbulentum ad obsequium revocaret. Is Tiridate pulso Tigranem Archelai Cappadociae regis nepotem Armeniae regem praeficit. Sed Volagase cum exercitu Armeniam ingresso advolans ex Syria Corbulo cogit Tiridatem, qui regnum iterum invaserat, diadema ante Neronis imaginem ponere, et instituta Romam profectione illud ex imperatoris manu recipere. Post hoc amicitiam aliquamdiu cum Romanis coluit Volagases. Serius irritatus, quod petenti sibi adversum Alanos auxilia negasset Vespasianus, Syriam invadere paravit quidem, sed cohibitus est ostentato armorum metu a Syriae praeside Trajano Trajani Aug. patre, ut probabimus in numis Trajani ad annum V. C. 867. Mortuus videtur imperante Domitiano.

Numi:

Caput regis barbatum tiara Parthica tectum. Ϡ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΒΟΛΑΓΑΣΟΥ. ΔΙΚΑΙΟΥ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ. *Mulier turrita stans regi sedenti coronam porrigit, in area annus:* ΗΤ. AR. I. (Vaill.)

Numus hic si talis est, qualis promulgatur, confirmat sententiam Vaillantii, initium aerae Parthicae ab anno V. C. 498 repetentis; sed idem plane evertit alteram, quam et nos sequimur, referentem ejus principium ad annum V. C. 443. Nam si posterior haec valebit, annus ΗΤ cadet in annum V. C. 749, quo anno non Volagases, sed Phraates IV. Parthiae praefuit. Lapidem hunc ut amoverent alterius sententiae patroni, aut putant, alium aliquem Volaga-

a) Not. elem. p. 124.

Digitized by Google

sem circa annum 749 adversus Phraatem in Parthia insurrexisse, aut quod magis probaverim, numi epigraphen in dubium vocant. Sane Vaillantius eum non vidit ipse, sed ex collectione Morelliana recitat. Numos vero ex hac citatos non admodum fidos esse testes, ex numis proxime praecedentibus licet colligere. Vide, quae adversus hujus numi fidem plura disputat Barthelemyus [a]).

Frölichius Volagasis I. numum cum anno ΑΛΤ ex Vaillantio citat [b]), sed quem in hujus opere non licuit reperire. Aeneum, qui per annum ΔΟΤ est hujus regis, vide infra in aeneis regum Parthiae.

ARSACES XXIV. *Pacorus.*

Volagasis I. filius. Regnasse cum sub Domitiano, et Trajano, Vaillantius ex Martiali, et Plinio juniore eruit. Ceterum ejus gesta obscura.

Drachma ei a Vaillantio tribuitur nulla certa ratione; alter item aeneus propter inscriptum annum ENT, sed qui secundum nostrum aerae Parthicae calculum est potius Arsacis XIX., ut diximus.

ARSACES XXV. *Chosroes.*

Et hic Volagasis I. filius, Exedarem, qui patri Tiridati in Armeniae regno successerat, inconsultis Romanis solio dejicit inducto Parthamasiri fratris Pacori filio. Ergo Trajanus extremis imperii sui annis V. C. 867 indicto bello in Orientem profectus Parthamasirin decedere Armenia cogit, capta deinde Parthia Parthamaspatem pro Chosroe regem creat, quae omnia in moneta Trajani copiosius enarrabuntur. Verum mortuo paullo post Trajano, cum Hadrianus provincias omnes trans Euphratem sitas deductis praesidiis abjiceret, in regnum iterum reversus Chosroes amicitiam deinceps cum Romanis coluit. Quo anno obierit, incertum. Ex iis, quae de aera Parthica disseremus, verisimile fit, mortuum ante annum V. C. 875.

Numulam aeneum per inscriptum annum ΔΟΤ Chosroi tribuit Vaillantius, sed qui est per nostrum calculum Volagasis I.

ARSACES XXVII. VOLAGASES II.

Chosrois filius. Antonino Pio ad imperium evecto coronam auream mittit, ut dicetur in hujus numis ad annum V. C. 892. Reliqua ejus incerta. Regnavit saltem ab anno V. C. 875 usque 902, ut continuo patebit.

Numi:

Protome capite barbato, et tiara tecto, pone Δ. Σ ΒΑCΙΛ-- ΒΑCΙΛΕ--- ΟΛΑΓΑC-- ΔΙΚΑΙΟΤ. ΕΠΙ+ΑΝΟΤ-- ΙΛΕΛΛΗΝ-- *Mulier turrita stans regi sedenti coronam porrigit, in area annus* ΓΑΤ, *in imo mensis* ΠΕΡΙΤ -- ΑΡ. I. (Pellerin Suppl. III. p. 10.)

a) B. L. T. XXXII. p. 675. b) Reg. vet. numi p. 74.

Digitized by Google

Alius cum anno HMT. AR. I. (Citatur a Barthelemyo ex Longuerue.)

Alius cum anno ANT. AR. I. (Vaillant, sed a quo Volagasi III. tribuitur.)

Eadem adversa, pone caput Γ. Σ ΒΑ-ΣΙΛ - - - ΛΑΓΑCΟ - ΔΙΚΑΙΟ - - ΙΙΙ-ΦΑΝΟΤC - - - ΛΛΗΝ - - *Idem typus, in area annus* ΓΝΤ, *in imo mensis* ΑΠΕΛΛΑΙΩ. AR. I. (Pellerin l. c.)

Alius, sed cum anno ΔΝΤ, *et absque mense.* AR. I. (Theupoli p. 1222.)

Eadem adversa, pone caput A. Σ ΒΑ-CΙΛΕΩC. ΒΑCΙΛΕΩΝ. ΑΡCΑΚΟΤ. ΒΟΛΑΓΑCΟΤ. ΔΙΚΑΙΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤC. *Idem typus, in area annus* ΞΤ. AR. I. (Pellerin l. c.)

Primus Volagasis II. numus offert annum ΓΛΤ, 433, qui secundum nostrum calculum ducitur ab V. C. 875. Adversatur huic sententiae Vaillantius, aliique historiae Arsacidarum scriptores, qui hoc anno regnasse adhuc Chosroen existimant. Sed causam recentioris sententiae exponam infra in aerae hujus examine. Istud certum, in omnibus his numis caput anticae esse omnino idem, ut adeo necesse sit, esse omnes unius regis. Ergo certum est etiam docentibus his numis, Volagasem II. regnasse saltem ab anno V. C. 875. usque ad 902, qui conficitur ex anno ΞΤ numi postremi. At mox anno 903 regnasse Volagasem III., ex sequentibus patebit.

ARSACES XXVII. VOLAGASES III.

Forte Volagasis II. filius. Quievit, quoad Antoninus Pius vixit; hoc V. C. 914 mortuo, cum Armeniae causa Orientem turbaret, a L. Vero Aug. armis petitus, et multis adfectus cladibus utrique Augusto *Armeniaci*, *Medici*, *Parthici Maximi* titulos peperit. Regnavit ab V. C. 902 saltem usque 933, ut docent numi. Hujus Volagasis aliquoties meminit Dio sub Caracalla [a]), sed quo anno mortuus sit, non addit.

Vaillantius Arsacem XXVII. facit Monnesem quempiam ex numo cognitum, eumque Volagasis II. successorem. At numi Volagasi II. succedere jubent Volagasem IH., ut continuo docebitur. Hoc constituto ruunt omnia, quae a Monnese, quem in Parthiam intruserat, patrata nulla scriptorum veterum auctoritate adseruit. De Monnesis numo agam infra in moneta regum Bactrianorum.

Numi:

Protome regis barba promissa, capite tiara tecto, pone B. Σ ΒΑCΙΛΕ - - - ΑΓΑCΟΤ. ΕΠΙΦΑΝΟΤC. - ΙΛΕΛΛΗ-ΝΟC. *Parthus stans, (in aliis numorum sequentium: Mulier turrita stans) regi sedenti lauream offert, in area annus* ΑΞΤ. AR. I. (Pellerin Suppl. III. p. 19.)

Alius similis, sed cum anno ΔΞΤ, *infra mensis* ΑΠΕΛΛ - - AR. I. (Ibid.)

Alius similis, sed cum anno ΕΞΤ, *et sine mense.* AR. I. (Ibid.)

Alius addito mense ΑΠΕΛΛΑΙΟΤ. AR. I. (Catal. d'Ennery.)

Alii similes, sed cum annis ϛΞΤ.

a) L. LXXVII. § 12. 19.

Digitized by Google

ΘΞΤ. AqΤ. AR. I. (Barthelemy B. L. T. XXXII. p. 680.)

Alius similis, sed sine anno, in imo mensis ΔΙΟΤ. AR. I. (Mus. Caes.)

Volagasis II. numum postremum cum anno ΞΤ habuimus; en tibi primum Volagasis III. cum anno mox sequente ΑΞΤ. Non esse tamen utrumque numum unius ejusdemque Volagasis, divergentia oris lineamenta, capitis cultus, et barbae modus luculente comprobant, in quo discrimine jam praeclare consensere Pellerinius et Barthelemyus a). Numum cum anno AqΤ huic etiam Volagasi tribuit Barthelemyus, cum quod idem offert caput, quod praecedentes, tum quod residuae literae ΛΑ certum Volagasem faciunt b). Eundem hunc numum Vaillantius cessit Artaxerxi Persae, et facere debuit, quia multo serius aerae Parthicae initium exorsus est.

Aeneum hujus regis cum anno ΕΟΤ vide infra in numis aeneis regum Parthiae.

ARSACES INCERTI

secundum epochae annos digesti.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ - - - Ι+ΑΝ -- *et certo anno* ΔΦ. AR. I. (Barthelemy l. c.)

Literae regis nomen complexae oculos fugiunt. Barthelemyus caput esse simile asseverat illi, quod est in numo sequente.

* * *

Protome regis barbata capite diademato. Σ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ΑΡΣΑΠΚΟΤ. ΜΕΓΑΛΟΤ. --- *Mulier stans regi sedenti coronam offert, in area annus* ΗΦ. AR. I. (Vaillant.) Idem est in museo Theupoli, sed in quo aliud non legitur, quam ΑΡΣΑΚ. ΗΦ. (pag. 1222.)

Numus hic a Vaillantio editus c) nunc in museo regio servatur, eumque restituit Barthelemyus in tabula citatae saepius dissertationi adjecta. Sed magnum est inter utrumque iconismum discrimen. Ex praetensis enim a Vaillantio titulis alius non legitur in Barthelemyi icone, nisi - ΑΣΙΛΕ - - et ex regis nomine solum ΔΠΚΟ., ut adeo nihil satis certi de nomine ΑΡΣΑΠΚΟΤ, seu *Arsapce* erui possit, pro quo insolito vocabulo numus Theupoli substituit ΑΡΣΑΚου. Vaillantius ex calculi sui lege numum tribuit Sapori Persae, sed ex nostro computu, secundum quem annus ΗΦ ductus ab anno Vr. C. 443 cadit in annum 950, erit Arsacis cujuspiam, qui aut successit Volagasi III., aut si hic tam vivus adhuc fuit, in parte regni imperavit. Vide etiam, quae ad numum sequentem observabimus.

ARSACES PACORVS.

Protome regis capite imberbi diademato, pone Δ. Σ ΒΑΣΙΛΕΩ -- ΑΡΣΑ -- ΠΑΚΟ - - - ΙΚΑΙΟ - - - ΕΠΙ+ΑΝ - - ΕΛΛΗ - - *Mulier turrita stans regi sedenti coronam offert, in area annus* ΦΙ. AR. I. (Pellerin Mel. I. p. 147.)

Numus hic cum anno ΦΙ biennio tan-

a) ll. cc. b) l. c. p. 675 et 680. c) Imper. Arsac. p. 394.

Digitized by Google

tum differt a praecedente cum anno HΦ, sed certe unius regis uterque non est, quod arguit caput in priore liberaliter barbatum, in hoc imberbe, deinde in praesente nomen *Pacori*. Fuerintne ille Arsaces et hic Pacorus filii Volagasis III., qui patri forte successere, an alii ex Arsacidarum stirpe, veterum silentium definire non sinit. Teste Dione [a]) Volagasis III. filii mortuo patre perpetuis se bellis regni causa attrivere. Pacorum in historia Parthica jam vidimus filium Arsacis XIV. Orodis. Annus ΦI secundum nostrum calculum cadit in annum V. C. 952, qui fuit septimus imperantis Severi.

ARSACES - - - -

Caput regis barbatum tiara tectum, pone B. Ϫ - - - - *Mulier stans regi sedenti coronam offert, in area annus* KΦ. AR. I. (Mus. Caes.)

Numus per solum aerae provectae annum insignis, nam regis nomen exesum est.

ARSACES VOLAGASES *forte IV.*

Caput regis, pone B. Ϫ--- AΓA--- *Victoria stans regi sedenti coronam offert, in area* ΔKΦ. AR. I. (Barthelemy ex museo Vaticano B. L. T. XXXII. p. 681.)

Ex residuis literis AΓA jure arguit Barthelemyus, numum hunc ad Volagasem quempiam pertinere. At quem illum? Existimat idem, esse posse Volagasis illius, qui regnavit imperante Commodo. Fuit is Volagases III. Sed repugnat annus ΔKΦ, qui signatum numum docet V. C. 966, at Dio jam ad annum praecedentem memorat, Volagasis mortui liberos regnandi causa secum bello commissos [b]). Ex quo patet, Volagasem hunc esse a priore diversum. Lego alibi apud Dionem [c]), Caracallam Volagasi Partho bellum intulisse, quod is Tiridatem, et Antiochum, quos reposcebat, dedere recusaret, Parthum metu perterritum eos reddidisse. Factum istud refert Dio ad V. C. 968, biennio post, quam numus hic signatus est. Haec si ita habent, habebimus Volagasem IV. forte tertii filium. Sed haec indicasse satis esto; nam taedet his incertis diu immorari.

ARSACES *Vaillantio XXIX. Artabanus IV.*

A Caracalla bello petitur, quo caeso Macrinus, cum sese tantae moli resistendo imparem videret, oblata pecunia pacem redimit. Ab Artaxerxe Persa populares suos in Parthos concitante victus Arsacidarum ultimus occumbit, regno in Persas translato V. C. 979. P. X. 226.

Numulos aeneos binos huic Artabano dedit Vaillantius suum aerae calculum secutus, sed qui sunt alterius regis, ut dicetur paullo infra.

* * *

Cl. Sestinus ex museo Ainslieano edidit tetradrachma cum annis AKΦ.

---

a) L. LXXVII. §. 12. b) L. LXXVII. §. 12. c) L. LXXVII. §. 19. 21.

Digitized by Google

ΓΚΦ. ΔΚΦ., quos ille suum secutus canonem Arsaci postremo Artabano IV. tribuit [a]). Nomina regis non adjecit, sive quod oblitus est, sive quod ambiguam lectionem offerunt.

ARSACES *incertus residuus.*

Protome regis capite modeste barbato diademato. ℞ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΜΕΓΑΛΟΥ. ΑΡΣΑΚΟΥ - - - ΗΝΟΣ. ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. *Parthus sedens, in area monogramma.* AR. III. (Mus. Caes.)

Philopatorem supra in Arsace IV. exhibuimus, sed vultus lineamenta, et capitis cultus in numo praesente diversa sunt, quod utrumque ejus est modi, quem in numis, quos Arsaci XV. tribuimus, observamus.

Numi aenei regum Parthiae

inscripti Graece, et cum annis epochae:

Caput regis barbatum diadematum, juxta annus ENT. *in aliis;* ΔΟΥ. ℞ *Caput muliebre velatum turritum, juxta in aliquibus litera* A. AE. III. (Vaill. Arsac. imp. p. 302. 321. Mus. Caes.)

Caput regis barbatum, et tiara tectum. ℞ *Mulier turrita sedens, in area annus* ΓΚΥ. AE. III. (Spanheim. T. I. p. 449.)

Caput regis prolixe barbatum, et tiara tectum, juxta ΕΟΥ. ℞ *Caput muliebre velatum turritum, juxta* A. AE. III. (Mus. Caes.)

Numos similes solo capitis cultu diversos edidit Pellerinius, eosque regum Persarum, sed Parthis servientium monetam statuit, quia capiti imminet globus, solitus eorum regum cultus, et crines Persico more sunt compositi. Quare et Frölichium arguit, id genus numos, cum Parthici nihil habeant, Parthis tamen tribuentem [b]). Idoneae et mihi hae causae visae sunt, et me quoque impulere, ut numos similes in Persarum regum classem conferrem, quo eos loco infra descriptos reperies. At enim vir eruditus neglexit agere de numis, quos coram proposui, et qui ex capitis cultu certum Parthiae regem proponunt. Ergo sicut ex Pellerinii sententia numuli, quos promulgavit, percussi sunt a Graecis in Perside degentibus, sic numi hoc loco a me propositi feriri poterant a Graecis in Parthia commorantibus. Quare ducto aerae Parthicae exordio ab anno V. C. 443, numus, in quo legitur annus Parthicus ENT, erit Arsacis XIX. Artabani III., in quo annus ΔΟΥ, Arsacis XXIII. Volagasis I., in quo annus ΓΚΥ, Arsacis XXV. Chosrois, in quo annus ΕΟΥ, Arsacis XXVII. Volagasis III. Et vero caput numi postremi simillimum est capiti, quod in certis Volagasis III. tetradrachmis conspicitur. Vide etiam numulos similes a Panelio ex museo le Bret editos [c]), tum et omnes hos collectos additis novis Ainslieanis apud Sestinum [d]).

---

a) Lettere T. II. p. 71. b) Suppl. III. p. 23. c) Mem. Trev. Octob. 1737. d) l. c. p. 75.

Digitized by Google

Numi aenei regum Parthiae

inscripti literis peregrinis.

Caput regis barbatum tiara diademata tectum, pone B. ℞. *Epigraphe peregrina. Cippus, super quo circulus grandior.* AE. II. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 32.) Swintonus in barbaro hoc typo *clavim* videt. (Phil. Trans. Vol. XLIX. p. 593.)

Caput ipsum ejusque cultus, praeterea adstituta litera B, in numis Parthicis, ut vidimus, frequenter obvia, numos similes certos Parthicos faciunt. Epigraphen aversae, literis, ut verisimile, Parthicis conflatam, Pellerinii secutus exemplum, libenter iis explicandam relinquo, qui veteres Orientis linguas se penitius callere profitentur. Swintonus Palmyrenas literas in his numis exhiberi putat.

* * *

Pellerinius eodem loco argenteum ex museo Pembrock Parte III. tab. 77. n. 2 restituit, in quo hinc caput certum regis Parthi, nempe tiara Parthica tectum, illinc ara luculenta, epigraphe utrinque Persica in orbem scripta, iisdem nempe literis constans, quibus inscribuntur numi Persarum Sasanidarum, de quibus agemus in horum moneta. Opportune conjicit Pellerinius, esse hunc numum signatum apud Persas, sed Parthis adhuc subjectos, et eapropter regis Parthi caput illi insertum.

ANIMADVERSIONES

in universam regum Parthiae monetam.

Cum numi regum Parthiae in plerisque ab aliorum regum numis differant, operae pretium visum, nonnullas in eos animadversiones in paragraphos tributas proponere, tanto certiore meo de iis judicio, quod his cimeliis abundat museum Caesareum, ex quo Franciscus I. Aug. Arsacidarum, et successorum Persarum numos ferre CC. a monacho ordinis Carmelitarum ab Oriente reduce emptos gazae intulit.

§. I.

Metallum et fabrica.

Regum Parthiae numi fere omnes argentei. Aureus nondum observatus. Aenei perpauci, quos continuo recensui. Argenti puritas in drachmis laute satis, non eadem in tetradrachmis laude, quibus vile metallum admixtum, eoque liberalius, quo Parthiae res propiores exitio fuere, quod vitium Parthiae cum plerisque regnis commune fuit.

Fabrica in primorum regum numis commoda, deinceps sic degeneravit, ut plane intelligas, universum eum tractum in veterem barbariem prolapsum. Nimirum et Graeci artifices, qui capta a Macedonibus Persia artes invexere, et ipsi inter barbaras gentes positi degeneraverunt, atque eam barbariem comprobat non modo picturae ruditas, sed et epigraphe omnis saepe sensus expers, de qua jam egi supra, at agam iterum infra in articulo proximo. Eo etiam vitio laborant numi Parthici, praecipue qui sunt maximae formae, quod matrix plerumque majoris fuit voluminis, quam orbiculus signando numo destina-

Digitized by Google

tus, quo factum, ut hujus finibus non omnes literas recipientibus ex integro versu saepe duae tantum aut tres stationem suam obtinuerint exclusis reliquis.

§. II.

Epigraphe.

Haec in parte aversa numorum Parthicorum istud habet peculiare, quod plerumque lineis quatuor perfectum quadratum efficientibus absolvitur. Literae principio concinnae satis, temporis progressu miras metamorphoses passae sunt. Obvium in his videre est + pro Φ, et □ pro Θ, quae tamen neque extra Parthiam ignota. Non raro scriptum I pro A, E, P, Φ, atque adeo una eademque nota quinque literarum potentiam sortita est. Videas etiam □ pro B, N pro K, Δ pro T, X pro K vel N, ut taceam absurda alia a monetariis in extremam barbariem prolapsis invecta. Multa proin in his vocabula ambiguae lectionis, et quae forte incautioribus illuserint, qui insolentes regum titulos in illis reperere. Denique in postremis epigraphe turpiter barbara, et defoedata literis quacunque forma temere congestis.

Inde a Volagase II. numis tam argenteis, quam aeneis pone regis caput inscripta litera solitaria alphabeti. Repertae hactenus A, B, Γ, et in uno Δ, at omnium frequentissime B. Putabat Vaillantius, esse literas ἀρχαιους urbis, in qua numi signati. Praestat, earum sensum nos ignorare profiteri, et forte aliud non sunt, quam notae monetariorum.

§. III.

Nomina regum et tituli.

Parthici regni conditori nomen fuit *Arsaces*, cujus apud posteros tanta fuit veneratio, ut id nomen successores reges omnes usurparent. Comprobant istud aeque numi, atque auctores, quos inter Iustinus [a]: *Sic Arsaces quaesito simul constitutoque regno non minus memorabilis Parthis, quam Persis Cyrus, Macedonibus Alexander, Romanis Romulus matura senectute decedit. Cujus memoriae hunc honorem Parthi tribuerunt, ut omnes exinde reges suos ARSACIS nomine nuncupent. — — Nam sicut supra dictum est, omnes reges suos hoc nomine sicut Romani Caesares, Augustosque cognominavere.* Quin et a Parthis hunc regni sui conditorem post mortem solenni ritu consecratum tradit Ammianus [b], et quod magis mirum, ipsi etiam Parthorum successores Persae ex stirpe Sasanidarum passim *Arsacidae* ab inferioris aevi scriptoribus dicti sunt, quae testimonia collegit Frölichius [c], et Spanhemius [d].

Habuere tamen Arsacis successores nomina alia privatim, quae scriptores prodita reliquerunt. In numis quidem haec rara, et comperta hactenus tantum *Sanatroceces*, qui Arsaces XI, *Gotarzes*, qui Arsaces XX, *Volagases I.*, qui Arsaces XXIII., eumque secuti alii duo,

a) L. XLI. c. 5. b) in Iuliano. c) Dub. de Minnisari p. 76. d) T. I. p. 459.

Digitized by Google

vel tres ejusdem nominis, et circa regni Parthici finem quidam Arsaces *Pacorus*. Reliqui omnes Arsacis tantum nomine in numis usi magno artis nostrae incommodo, nam facile numi Parthici suis singuli regibus possent tribui, quod nunc in paucis tuto praestamus, si non abessent appellationes privatae. Sed enim idem malum in regibus quoque Aegypti, qui Ptolemaei omnes, et Pergami, qui Philetaeri, molestum est.

ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΒΑΣΙΛΕΩΝ. tum et ΜΕΓΑΛΟΥ superbi tituli saepe recursant. Et eos adfectabant Parthiae reges non modo testibus numis, sed et scriptoribus, indignum rati, si ab exteris nationibus sibi negarentur, cujus fastidii plura exempla videre potes apud Spanhemium, qui de hoc *regis regum* titulo solito eruditionis apparatu disserit [a]). At non poterat elogium istud videri indebitum, quando constat, Parthiae reges plures alios sibi habuisse tributarios, ut reges Persarum, et Elymaeorum teste vel uno Strabone.

ΔΙΚΑΙΟΥ, *Iusti* elogium in solis regum Parthiae, Helioclis incerti, et Samis Armenii numis reperimus. Videntur hi Plutarcho fuisse ignoti, cum edixit [b]), nullum hactenus regem ambivisse nomen Δικαιου, etsi vocari voluerint Πολιοχηται, Κερωνοι, Νικατορες, Αστοι, Ιερακες.

ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ, *Amantis Graecorum*. Hoc quoque nomen unis Parthiae regibus in moneta proprium, si numos Aretae Damasci reguli demas. Verisimile est, adjectum hunc titulum a monetariis, quos Graecos fuisse dubium non est, et qui, quales optaverunt sibi contingerent reges, tales etiam captandae causa benevolentiae, appellaverunt, ferentibus istud facile Parthis, qui Graecos intra imperii sui fines magno numero positos, civitates etiam munitas, et copiosas obtinentes sunt reveriti, de quibus agetur infra §. VII. De titulo ΦΙΛΕΛΛΗΝΟΣ vide idonea alia apud Spanhemium [c]).

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ, ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ, ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ, ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ, ΘΕΟΠΑΤΟΡΟΣ, ΘΕΟΥ, ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ, ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΟΣ. jam ex numis regum Syriae cognita, et haud dubie horum imitatione arcessita.

ΞΕΝΙΟΥ, ΑΜΦΙΜΑΧΟΥ, ΠΑΝΑΡΙΣΤΟΥ, ΜΙΤΡΑΕΤΟΥ, nomina nova, in unis Parthiae regum numis a Vaillantio reperta, de quorum dubia fide egi in Arsacidis VII. XIX. XXI. XXII.

ΣΩΤΗΡΟΣ in numo Monnesis apud Vaillantium [d]), sed quem nos non Parthiae, sed Bactrianae regem facimus.

§. IV.

Typi:

Pars adversa caput, vel protomen regis vario cultu sistit. Arsacidae primi teguntur galea diademata, cujus pars deflua aures obtegit, ut in numis nonnullis regum Armeniae. Sed paullo post valuit diadema simplex, ut in numis regum exterorum, sed in aliquibus est latius. Frequens etiam gestamen tiara sublimis in arcum sinuata, quali Abga-

a) Tom. I. p 460. b) in Aristide p. 321. c) Tom. I. p. 466. d) pag. 339.

Digitized by Google

ri Edesseni usi, additis variis ornamentis. De peregrino hoc capitis cultu, et Orientis regibus familiari vide, quae copiose disseruere Spanhemius a), et Pellerinius b). Observandum adhuc, unum eundemque regem jam simplice diademate, jam tiara ornatum proponi. Ejus exemplum in Arsace VI. stitimus. Incerta hujus variationis causa. Conjicit Pellerinius, diadema simplex cessisse in usum ordinarium, sed tiaram in solennes festorum caerimonias reservatam c).

Saepe regis capiti adstituuntur astra solis et lunae. Causam dabit Ammianus, qui, cum Arsacem I. propter virtutem a suis consecratum perhibet, addit: *unde ad id tempus reges ejusdem gentis praetumidi appellari se patiuntur solis fratres et Lunae* d). Intelligit tempus Gratiani imperantis, quo pridem Persae in Parthorum regnum successerant. Tametsi Persarum in solem et lunam adfectus nequaquam ab Arsacidis tractus statui possit, quem certum est, jam apud vetustissimos Persas fuisse receptum. Ita Herodotus sacrificare Persas soli et lunae refert e), longe adeo ante Arsacidas, et apud Aristophanem queritur Trygaeus, solem et lunam Graeciam Persis proditum ire, quod hi utrique sideri sacrificant, alios Graecis deos agnoscentibus f). Ergo Parthi a Persis traxere cultum siderum, quibus deinde velut diis suum etiam Arsacem inseruere.

In aversa drachmarum unicus typus: *Parthus insidens sellae plerumque quatuor fulcrorum arcum inversum protendit.* Sedentem hunc Parthum nullus dubito esse regem ipsum habitu cultuque militari propositum, et praeferentem arcum, quo armorum genere secundum innumera veterum testimonia prae aliis inclaruere Parthi. Istud ut opiner, movet auctoritas Dionis, quo testante Phraates IV. M. Antonii legatos admisit ἐπὶ τε χρυσῆς διφρου καθημενος, και την νευραν τε τοξου ψαλλων, *aurea sella sedens, ac nervum arcus contrectans* g). Sellam hanc fuisse partem cultus regii, argumento est, quod ejus a Trajano captae jacturam gravissime ferebant Parthi, quamque iis impense flagitantibus Hadrianus redditurum se quidem promisit, tamen, qui alia omnia reddidit, constanter reddere distulit, et hujus exemplo Antoninus quoque, etsi multum oratus h), memores, ut opinor, veteris Parthorum pertinaciae, captas bello Crassi aquilas diu restituere tergiversantium, et ut Parthos ostentato pretioso hoc pignore semper in obsequium pronos haberent.

In tetradrachmis idem rex simili sellae insidens, sed cultu pacem praeferens, remoto arcu, et toga ad pedes deflua venerabilis. Ei adstans mulier plerumque capite turrito, et sinistra cornucopiae gestans, nempe urbis genius, coronam offert. Rarius officium istud praestat Pallas. Typus hic totus est ex Graecorum ingenio, quemadmodum etiam in aversa numorum aeneorum, quos supra

a) T. I. p. 465. b) Lettres p. 90. c) Rois p. 135. 139. d) L. XXIII. e) L. I. c. 131. f) in Pace v. 405. g) L. XLIX. §. 27. h) Spartian in Hadr. Capitolin. in Antonino.

Digitized by Google

recensuimus, objicitur caput muliebre turritum, qua Graeci imagine urbis genium finxerunt. Sed probabimus etiam articulo VII., tetradrachma haec revera fuisse Graecorum in Parthorum finibus commorantium monetam.

§. V.

Epocha.

Quo anno Arsaces excusso Seleucidarum jugo regni Parthici fundamenta jacerit, non satis compertum. Iustinus annum certo charactere definivit, cum ait, eam defectionem contigisse primo Punico bello L. Manlio Vulsone, M. Attilio Regule cos [a]). Processere hi consules V. C. 498, A. X. 256. Vagum istud Iustini indicium visum est Freretio, quod uterque hic magistratus post sexennium, nempe V. C. 504, A. X. 250 consulatum repetiit [b]). Sed non advertit vir praestans, altero hoc anno non Marcum, sed C. Attilium consulatu functum. Alia, neque magnopere tamen a Iustino divergentia regni Parthici principia ex veteribus collegerunt eruditi, quae videsis apud Frölichium [c]), et Freretium [d]).

Vaillantius Iustini calculum secutus non modo initium regni Parthici, sed etiam aerae Parthicae numis tetradrachmis inscriptae ab anno V. C. 498, A. X. 256 deducit. Vaillantio accessere Frölichius, aliique. Eodem instituto alii quoque a regni Parthici exortu aeram deduxere, sed quoniam, ut modo innui, aliis aliud visum rei Parthicae exordium, necesse est, ab aliis aliud quoque aerae exordium constitutum.

Horum serius judicium acriter oppugnare coeperunt viri in paucis illustres, Freretius [e]), Barthelemyus [f]), et Pellerinius [g]). Princeps illis et invictum argumentum, quod anni auctiores AqT, HΦ, ΦI, KΦ, ΔKΦ in numis, qui per inscriptum nomen, et capitis cultum certe sunt regis Parthi, ducti ab anno V. C. 498 caderent in annos, qui sint posteriores anno V. C. 979, P. X. 226, quo Parthorum regnum a Persis eversum constat. Vt nodus hic non ignotus erat Vaillantio, tantum tamen aberat, ut epochae exordium semel constitutae pateretur loco moveri, ut non dubitaret etiam, numos Arsacis nomine inscriptos tribuere Parthorum successoribus Persis, et quidem numum cum anno AqT Artaxerxi, alium cum HΦ Sapori. Nimirum, ut existimat, Artaxerxes licet Persa Arsacidarum regno potitus Arsacis etiam nomen usurpare in numis perrexit, perinde atque Augusti successores Augusti etiam et Caesaris appellationem retinuere. Atque eadem etiam de causa coeptam a Parthis epocham retentam a Persis [h]). Sed neque Vaillantio in speciosa hac causa subsidium. Reperti sunt serius numi, quos supra citavi, quorum unus inscriptum habet nomen Arsacis Pacori, et annum ΦI, alter nomen Volagasi, et annum

a) L. XLI. c. 4. b) B. L. Mem. T. XIX. p. 103. c) Annal. Syr. p. 26. d) l. c. e) l. c. f) B. L. T. XXXII. p. 671. g) Mel. I. p. 148, Suppl. III. p. 11. h) Imp. Arsac. p. 392.

Digitized by Google

ΔΚΦ. Quod si daremus etiam, continuatum a Persis per reverentiam Arsacis nomen, an poterit probare Vaillantius, adscita etiam ab iisdem privata Parthorum, Pacori, et Volagasis? Memorata difficultate hac Vaillantio maxime inimica licet reticere argumenta alia, quibus Frölichius praesentem Vaillantii causam fulcire adnisus est [a]). Neque etiam refutare amplius attinet sententiam Corsinii aerae exordium multo adhuc longius differentis, videlicet in annum V. C. 525, A. X. 229 [b]).

His ergo moti rationibus viri laudati coeperunt respicere exordium aerae, quod annos certis regum Parthorum numis inscriptos non ultra annos imperii Parthici evagari pateretur. Neque consilium aliud visum opportunius, quam si aerae Parthicae initium idem adsignarent, quod fuit aerae Graecorum ab astronomis Chaldaeis Babylonis et Seleuciae inductae, et coeptae mense Octobri V. C. 443 A. X. 311. Non ergo multum illi dissensere a vetere sententia Harduini, qui annos Parthicos illigavit aerae Seleucidarum, quae aeram Graecorum unico anno praevertit ducta ab autumno V. C. 442, A. X. 312 [c]). Hanc sententiam si sequare, numi hujus argumenti intra terminos suos rectissime continentur. Obstare quidem huic doctrinae videntur numi duo a Vaillantio citati, quorum unus Volagasis nomine notatus offert annum HT. Annus hic in sententia nostra concurreret cum anno V. C. 750, A. X. 3, at tum certum est, regnasse in Parthia Phraatem IV. Nodus hic qua ratione sit expediendus, dixi supra in Arsace XXIII, Volagase I. Alter numus, quem citat Vaillantius [d]), et qui nobis adversatur, inscribit Arsacem, et annum AqT. Hic ex nostra sententia ductus ab anno 443 concurret cum anno V. C. 933 P. X. 180, at enim tum Volagasem Parthis praefuisse constat. Verum Barthelemyus inspecto iterum numo, cujus etiam, ut ampliorem fidem faceret, sincerum iconismum restituit, certas in eo reperit litteras ΛΑ, quae cum nomen quidem Volagasi, at non Arsacis possint constituere, certum nobis Volagasem efficiunt, ac praeterea sententiam nostram firmant.

Istud aerae Parthicae exordium ab eruditis IIIviris ad annum V. C. 443 revocatum ut praestabilius est iis, quae a Vaillantio, aliisque annis multo posterioribus sunt adfixa, quoniam ab horum peccatis immune est, tamen nondum sic est stabilitum, ut necessario ex citato anno pendeat, et expectandae plurium suppetiae numorum, quorum ope, quod hactenus probabilis tantum conjecturae instar est, certum etiam efficiatur. Difficultates non paucas huic inimicas sententiae in ipsis commentariis dedi, neque dissimulavi eas, quas nuper Abbas Sestinus objecit. Observari tamen meretur, quod narrat cl. Niebuhr Danus in itinere suo Arabico nuper edito [e]): in urbe Mesopotamiae Tigri adsita, dicta hodie Mosul, visum sibi marmor, quod teste epigraphe positum se profite-

a) Dubia de Minnis. p. 75. b) de Numo Minnis. c) Numi ill. sub Παρθια. d) pag. 591. e) Reisebeschreibung nach Arabien Theil II. Seite 362.

Digitized by Google

batur anno post Christum 1744, inde ab Alexandri imperio 2055, edoctumque se ibi, Christianos ejus tractus non in inscriptionibus modo, sed et majoris momenti actis utramque solere aeram conjungere, primumque apud eos anni mensem haberi Octobrim, dictum eorum lingua *Teschrin el aval*. Ex quo efficitur, ab ipsis Christianis traditam a majoribus aeram Alexandri, aut potius Graecorum hodieque conservari, a qua si subducatur aera Christi, habemus alterius exordium ante Christum 311, V. C. 443, rite secundum traditam supra regulam. Quod quidem me judice argumentum plurimum valet ad confirmandum istud aerae initium, praecipue cum hujus classis numos apud Mosul, Bagdad, Merdin, Bassora frequentes effodi testetur cl. Sestinus [a]), qui haec loca ipse adivit, et collectos ibi numos museo Ainslieano intulit.

Idem vir eruditus cum videret, recentiorem hanc doctrinam minus commode componi cum numis, quos a se repertos modo dixeram, aliud eruditorum judicio aerae exordium obtulit, nimirum ab anno V. C. 453, A. X. 300, quo nonnullis se obviare incommodis sperabat, quae aliorum sententias vexant. Vsus in rem suam est testimonio Marcellini, qui Arsacem I. non demum adversus Antiochum II. rebellasse prodidit, quod docuere scriptores alii, sed jam adversus ipsum Seleucum I. Nicatorem, quod cum verisimile putet accidisse V. C. 453, inde ducendum aerae exordium conjecit. At enim vix persuaserit viris doctis, ut unius Marcellini testimonium anteferant scriptoribus aliis, quorum major vulgo est auctoritas, eumque adeo doctrina haec in causa praecipua peccet, nimirum in tempore defectionis Parthorum, tanti facienda non sunt leviora quaedam commoda, quae in hac sententia numorum Parthicorum explicationi magis, quam in alia, serviunt. Atque haec de causa usque adeo implexa, et nullo facile ingenio ex subsidiis hactenus cognitis explicanda abunde dicta existimo.

Adverto denique, epocham solis tetradrachmis inscriptam, drachmis nunquam. Non igitur literae ΣΑ., quae sunt in drachma Vaillantii [b]), epocham notabunt, ut visum Freretio. Plerumque in area drachmarum occurrunt monogrammata et literae solitariae, quorum explicatio dubia. Accedit, quod litterae ΣΑ. sunt in tetradrachmo Arsacis XV. supra citato, etsi in eo jam habeatur certus epochae annus.

§. VI.

Menses.

Habent et istud numi Parthici sibi unis proprium, quod non annos modo, sed et menses numis inscribunt; sed ut annos, sic et menses reperias tantum in tetradrachmis. Inscripta vero illa vocabula esse certos menses, non modo docebit subjectus mensium hactenus in his numis repertorum catalogus, sed docet etiam vocabulum ΜΗΝΟΣ horum aliquibus praefixum. Hactenus detecti sunt

a) l. c p. 75, et 83. b) pag. 58.

Digitized by Google

ΑΡΤΕ. *Artemisius.*
ΔΑΙ. ΔΑΙΣΙΟΤ. *Daesius.*
ΛΩΙΟΝ pro ΛΩΟΤ. *Lous.*
ΓΟΡΠΙΑΙΟΤ. *Gorpiaeus.*
ΤΠΕΡ. ΤΡΕΡΒΕΡΕΤΟΤ. *Hyperberetaeus.*
ΔΙΟΤ. *Dius.*
ΑΠΕΛΛΑΙΟΤ. *Apellaeus.*
ΑΤΔΤΝΑΙ. *Audynaeus.*
ΠΕΡΙΤΙΟΤ. *Peritius.*
ΔΙΣΤ. pro ΔΤΣΤ. *Dystrus.*
ΞΑΝΤΙ. pro ΞΑΝΘΙ. *Xanthicus.*

Panemum quoque repertum refert Pellerinius [a]), sed quo in museo exstet, non addit. Idem in horum uno videre *Artemisium* sibi visus est [b]), sed serius errorem suum ipse agnovit suffecto Audynaeo [c]). Tamen certum Artemisium habemus ex numo Arsacis XV. musei d'Enneryani, ut supra vidimus. Omnium igitur mensium ex his numis habemus nomina, eosque secundum Macedonum appellationem, quod a Syromacedonibus invecti fuere. Quae causa fuerit, cur numis Parthicis inscriberentur, quaesitum. Causae, quas Vaillantius adfert [d]), inconcinniores sunt, quam ut commemorari, deinde refutari mereantur. Altera conjectura est Pellerinii opinantis, inscripto mensis nomine Graecos in Parthia degentes professos cultum, quo deum Mensem observabant, et qui aliquoties in numis veteribus addito MHN, vel MENSIS indicatur [e]). Conjectura haec utut erudita, speciosa tamen magis, quam solida videtur, atque ut, quae obvia sunt, plerumque longius arcessitis praestant, credam potius, quemadmodum inscribendo anno significari volebant monetarii, quo anno signatus numus, sic inscribendo mense voluisse significari, quo is mense malleum sit expertus. Enimvero Siculis Mensem fuisse deum creditum, non constat, qui tamen et ipsi figlinis suis menses inscripsere [f]).

§. VII.

Quorum jussu Parthica haec moneta signata.

Numos drachmae pondere fuisse monetam ab ipsis Parthiae regibus imperatam, vix dubitem. Sane utriusque partis typi, caput regis, et Parthus sedens, teti Parthici sunt. Neque obest, inscriptos esse Graece, nam et Iudaeae, et Mauretaniae reges lingua in numis non sua usi sunt, etsi utrique indigenae essent. In causa esse potuit major cum copiosis indigenis Graecis commercii opportunitas.

Secus existimo de numis hujus classis tetradrachmis, etsi non obscure intelligam, hos quoque a viris eruditis monetam regum jussu signatam putari. Enimvero quid ad Parthiae reges epocha Graeca his numis inscribi solita, et quidem ducta ab eo tempore, quo totus is tractus coepit parere Seleuco homini extero ad ejus deinde successores translatus, quorum jugum Parthi, quod serius patuit, impatienter ferebant? An verisimile, voluisse eos funesti, ac genti suae indecori servitii memoriam in

a) Lettres p. 72. b) Rois p. 149. c) Lettres p. 65. d) pag. 7. et 17. e) Lettres p. 72. f) Torremuzza Inscript. Sicil. Class. XV.

Digitized by Google

monumentis publicis conservare? Atque ut etiam istud permittendum videatur an ullo pacto probabile, Parthiae reges tantum tribuisse Syromacedonibus sibi natura inimicis, ut eorum etiam mensibus, tanquam propriam anni divisionem non haberent, uterentur? Denique sunt in omnibus his numis typi prorsus ex Graecorum ingenio petiti, ut mulier capite turrito tenens cornucopiae, et regi coronam offerens, aliquoties Pallade obsequium istud praestante, aut in aeneis minutis caput muliebre turritum, certa imago Graeci urbis genii.

Istud ergo monetae genus Parthicis regibus ademptum tutius credo urbibus Graecanicis Parthorum imperio obnoxiis tribuemus. Harum non paucas ab Alexandro M., et successoribus in hoc Orientis tractu conditas, et colonis Graecis permissas memorant scriptores. In Parthia Apameam et Heracleam numerat Strabo [a]), in Media Laodiceam, Apameam, Ragiam [b]), at praecipuus earum numerus ac potentia in Bactriana, et Mesopotamia. Eae Parthiae regibus aut plene subjectae, aut certis legibus liberae eorum tamen imperio obnoxiae fuerunt. Has inter facile eminebat Seleucia a Seleuco Nicatore prope veterem Babylonem ad Tigrim condita, cui plebis urbanae fuisse sexcenta millia tradit Plinius, quamque *liberam hodie, ac sui juris, Macedonumque moris* appellat [c]). Copiosius de ea Tacitus [d]): *civitas potens, septa muris, neque in barbarum corrupta, sed conditoris Seleuci retinens. Trecenti opibus aut sapientia delecti, ut senatus, sua populo vis, et quoties concordes agunt, spernitur Parthus etc.* Captam in bello L. Veri cum trecentis millibus refert Hieronymus [e]). Mithridates VI. Ponti rex in praecipuis potentiae Parthicae argumentis posuit *Seleuciam maximam urbium* [f]). Ab harum urbium quapiam si numos hos voles signatos adserere, nihil sane reperias, quod videatur posse obstare, ae praecipue si Seleuciam hujus velis monetae patriam constituere. Eam Plinius dixit *liberam, ac sui juris*, ergo suo jure signavit monetam, perinde ac tot urbes aliae, quas Romani suis legibus vivere permiserunt. Dixit eam *Macedonum moris*, quem declarant Macedonica mensium nomina numis inserta, quorsum sane spectat illud Senecae [g]): *Quid sibi volunt in mediis barbarorum regionibus Graecae urbes? quid inter Indos Persasque Macedonicus sermo?* Tacito dicitur *conditoris Seleuci retinens*, quod praestitit sane, signando in iis aeram, cujus auctor fuit idem, qui urbis; *neque in barbarum corrupta*, unde typi in iis semper Graecae indolis; *civitas potens*, unde insignia haec tetradrachma. At signavit numos cum regis Parthi capite, nimirum ut tot Syriae ac Phoenices urbes regis sui, tot per imperium Romanum urbes, imperatoris capite insignes numos cuderunt. Tamen et eadem Seleucia cudit numos autonomos, ut in ejus moneta ostendimus, quo planius appareat, permissam illi autonomiam jam a Plinio et Tacito indicatam.

---

a) L. XI. p. m. 783. b) L. XI. p. 796. c) L. VI. §. 30. d) Ann. VI. c. 42. e) in Chronico. f) Sallust. Fragm. L. IV. hist. g) Consol. ad Helv. c. 6.

Digitized by Google

REGES PERSIAE.

Rem Persarum monetariam in tres classes dispescimus, I. qualis erat inde a Cyro usque ad postremum Darium, II. qualis sub Arsacidis Parthiae regibus, III. qualis sub regibus Sasanidis.

I.

Numi Persarum

a Cyro usque ad postremum Darium.

Non diu in hac classe propter causae inopiam morabimur. Modicum enim est, quod vel suppeditent scriptores veteres, vel monumenta ipsa residua. Si Plutarcho fides, Cyrus, regno a Medis ad Persas translato nobilis, pecunia signata usus jam est. Nam mulieribus, quae admirabili documento fugientibus viris auctores fuere, ut conversi praelium instaurarent, aureum singulis repraesentari jussit [a]). Vnde credo tractum morem, ut Persiae reges, quotiescunque Persidem intrarent, feminis singulis aureum largirentur [b]). In Persica hujus classis moneta memorantur a scriptoribus *Darici*, seu *Sagittarii*. Darici, Δαρεικοι, sic dicti ab auctore Dario, seu is fuit Xerxis pater, seu vetustior alius, quod incertum. Vide Suidam [c]), et scholiasten Aristophanis [d]). Darici aurei a metalli puritate fuere celebrati, ut revera nonnisi partem XXIV. alieni metalli admixtam facto periculo didicit Barthelemyus [e]). Ημιδαρεικων, *Daricorum dimidiorum*, meminit etiam Xenophon [f]). Idem Sagittarii, Τοξοται, dicti ab impressa imagine sagittarii, ad quam adlusit Agesilaus apud Plutarchum [g]). Nam ab ephoris a bello Persico ad tuendam Spartam revocatus ajebat, se a Persarum rege triginta sagittariorum millibus ex Asia ejici. Nimirum Persarum numis notam sagittarii habentibus, quorum triginta millibus Athenas missis effecit rex magnus, ut populos Atheniensibus in bellum adversum Lacones incitantibus redire hi in patriam cogerentur. Cum sagittarios hoc loco Plutarchus vocet χρυσους Δαρεικους, *aureos Daricos*, satis apparet, Daricos et sagittarios unam eandemque fuisse monetam sic dictam jam ab auctore, jam ab imagine. Passim videntur docere veteres, Daricos tantum fuisse monetam auream. At Plutarchus diserte

a) de Virt. mul. p. 246. b) Plut. in Alex. c. 69. c) in Δαρεικος. d) in Eccles. ad v. 598. e) B. L. T. XXI. hist. p. 24. f) Exped. Cyri L. I. p. 252. g) Lacon. apophth. p. 211.

Digitized by Google

Daricos aureos et argenteos memorat, quo loco tentatam Cimonis abstinentiam narrat, dum Rhoesaces barbarus in ejus domo deposuit φιαλας δυο, την μεν αργυρειων ἐμπλησαμενος Δαρεικων, την δε χρυσων, *phialas binas, quarum unam argenteis Daricis, alteram aureis implevit* a). Idem eruo ex Aeliano narrante b), a Persarum regibus cuivis legato donari solitum ταλαντον Βαβυλωνιον ἐπισημον ἀργυρου, *talentum Babylonium argenti signati.*

Numi DARICI *seu* SAGITTARII.

Vir corona radiata tectus flexo uno genu d. hastam tenet, s. arcum praetendit. ℞ *Cavitates informes.* AV. (Mus. Caes. Pembrock P. I. tab. I. n. 2, et P. II. tab. 75.) AR. I. (Spanheim T. I. p. 324. Sestini Lettere T. III. p. 146.) *In horum uno juxta sagittarium legitur* ΠΥΘΑΓΟΡΗ. (Sestini ibid.)

Vir corona radiata tectus flexo uno genu d. hastam tenet, s. arcum praetendit. ℞ *Vir eodem cultu ac situ, sed dextera retro conversa telum e pharetra promit.* AR. I. (Pembrock l. c. Spanheim Caes. Iul. preuves p. 80.)

Persa stans pendente a tergo pharetra telum evibrat. ℞ *Navis expanso velo.* AR. III. (Mus. Caes.) Cui adde alios cum variis typis apud Pembrock. (P. II. tab. 75.)

Per typum et fabricam peregrinam numi similes commode in Persicae monetae loco habentur, ad quorum deinde normam in urbibus Persarum imperio subjectis putem signatos argenteos, quos altero, et tertio loco citavi. Enimvero eodem loco in museo Pembrock video depictum argenteum similem, sed cujus aversa praeter litteras fugientes sistit Herculem cum leone luctantem, qui typus est in vetustissimis Tarsi numis. Et apparent in pluribus id genus sagittariis argenteis eadem tabula Pembrockiana propositis signa incusa bovem referentia, quae nota heterogenea obvia est in numis Ciliciae, Pamphyliae, et vicini tractus argenteis. Quare verisimile, in illis regionibus, quo tempore Persis adhuc paruere, numos id genus cum imagine Persica cusos. Ejus certissimum argumentum est nomen ΠΥΘΑΓΟΡΗ horum uni inscriptum. Narrat ejus praeco Sestinus, cum binis eum Daricis aliis, uno aureo, altero argenteo, repertum in insula Samo. Verisimile ergo, quo tempore Samii Persis paruere, (nam varia fuit eorum ante Alexandrum M. fortuna) hunc fuisse signatum numum inscripto praeterea privato suo rectore Pythagora. Existimat Sestinus, hoc Pythagorae nomine indicari ipsum philosophiae Italicae magistrum Pythagoram Samium. Quam sententiam ut plures aliae causae, quas nunc dissimulo, evertunt, tum etiam scripturae modus. Qui Pythagorae aetati plurimum detrahunt, quos inter Henricus Dodwellus, natum eum statuunt V. C. 185, cum quo aevo componi posse formam literarum nomen illud constituentium, quae recentiora jam tempora sapit, negaverint omnes palaeographiae Graecae magistri. Accedit, non exstare exemplum magistratus inscripti numis tam remoti temporis. Inter sagittarios argenteos refe-

a) in Cimone c. 10. b) V. H. L. I. c. 22.

Digitized by Google

ras etiam numos Aryandicos, quos Daricis simillimos adrogato sibi jure cudendos curavit Aryandes pro Cambyse Aegypto praefectus, quem propterea interficiendum curavit Darius successor [a]), de quo agemus uberius in prolegomenis ad numos Aegypti.

Numi Darici cum aurei, tum argentei summae sunt raritatis. Causam dabit Strabo loquens de Persarum hujus aevi regibus [b]): *Maximam*, ait, *auri atque argenti partem in supellectile habent, in numis perexiguam. Illam enim existimant et ad donandum magis aptam, et ad reponenda adservandaque in thesauris cimelia. Numismatis vero tantum sufficere arbitrantur, quantum usui satis sit, et tantum auri percutiunt, quantum impensis sufficiat.* Interim haec minus conspirant cum testimonio Plutarchi, pluribus locis immensam monetae signatae vim ab Alexandro in Persia captae, praedicantis [c]). Huc refer etiam, quod narrat Herodotus [d]), quo tempore Xerxes in Graeciam exercitum traduxit, fuisse in Lydia Pythium quemdam, hominem privatum, qui in thesauris suis numerabat quadragies centena millia staterum Daricorum aureorum. Eodem teste [e]) Mardonius Xerxis contra Graecos dux, tulit secum in Graeciam χρυσον πολλον μεν ἐπισημον, πολλὸν δε και ἀσημον, *multum aurum signatum, multum non signatum.* Alexander M. Susis in thesauro regio praeter auri et argenti non signati XL. M. talentum auri, χαρακτηρὰ Δαρεικον ἐχοντα reperisse dicitur [f]).

Ad pondus et valorem Darici aurei quod attinet, haec tradit Harpocration: ἐισι μεν χρυσοι σατηρες οἱ Δαρεικοι, ἠδυνατο δ' ὁ εἰς ταυτο ὁπερ και ὁ χρυσους παρα τοις Αττικοις ὀνομαζομενος. *Darici sunt stateres aurei, valebat vero horum unus tantundem, quantum dictus ab Atheniensibus aureus.* Idem paullo infra: λεγυσι δε τινες, δυνασθαι τον Δαρεικον ἀργυρας δραχμας εἰκοσι, *ajunt vero aliqui, valere Darioum argenteas drachmas viginti.* Idem passim docent grammatici alii. Hero quoque Alexandrinus Daricum adpendere drachmas duas testatur, nimirum quantum stateres Graecorum aurei solebant adpendere, ut dictum in Prolegomenis generalibus Vol. I. p. XLI. Revera Daricus musei Caesarei, et Pembrockianus justum habent duarum drachmarum Atticarum pondus. Quare recte dicitur valuisse drachmas XX. secundum decuplam tum auri ad argentum rationem.

II.

Numi Persarum

sub Arsacidis Parthiae regibus.

Persia everso sub Dario Codomano Achaemenidarum imperio in Alexandri M., et ab hujus morte in Syromacedonum potestatem transivit constituto satrapa. Sed enim Orientis provinciis per regum Syriae socordiam paullatim obse-

a) Herodot. L. IV. c. 166. b) L. XV. sub fin. c) in ejus vita. d) L. VII. §. 28. e) L. IX. §. 41. f) Diod. Sic. L. XVII. c. 66.

Digitized by Google

quium exuentibus Persia etiam proprios iterum reges nacta est, sic tamen, ut primum a Seleucidis, deinde a vicinis, multoque potentioribus Parthis penderent, diserte istud testante Strabone a): *nam etsi adhuc Persae proprium regem habent, viribus tamen longe sunt inferiores, et Parthorum regis dicto sunt audientes.* Et apertius postremis verbis libri XV. *Hodie seorsim Persae suum habent corpus et reges aliis regibus subjectos, primum Macedonibus, deinde Parthiae.* His regibus duce Pellerinio tribuuntur sequentes

Numi:

Caput regis barbatum diadematum imminente capiti globo, et crinibus retro in glomerem collectis. ℞ *Caput muliebre turritum, juxta anni* ΓΚΤ, ΗΚΤ. ΘΚΤ, ΖΛΤ, ΦΚΑ. AE. III. (Mus. Caes. Pellerin Suppl. III. p. 23. seq.)

Id genus numulos pro Parthicis vulgavit Frölichius b). Enimvero simillimos alios inscriptis etiam epochae annis produximus supra ad calcem numorum Parthiae regum, hoc uno discrimine, quod in his ex capitis cultu certi agnoscuntur Parthiae reges, at in praesentibus ex eodem capitis cultu certi Persiae reges, ut magis patebit contentis Persarum numis classis III. Iure ergo Pellerinius numos similes tribuit regibus Persiae, sed cusos a Graecis urbibus in illorum imperio constitutis, quae eandem aeram secutae fuerint, quam Graeci, quorum numos in moneta Parthica recensuimus, nimirum ab anno V. C. 443 A. X. 311.

De aeneis Persice inscriptis, sed cum capite regis Parthi egimus supra ad calcem monetae Parthicae.

III.

Numi regum Persarum Sasanidarum.

Artaxerxes Persa V. C. 979 P. X. 226 victo Artabano postremo Arsacidarum Parthiae regum Persiae regnum inde a Dario Codomano aut exstinctum, aut ab aliis regibus pendens resuscitavit novae ipse stirpis conditor, dictae *Sasanidarum*, quod Sasani cujuspiam ipse nepos esset. In ea Persiae regnum ipsis IV. saeculis constitit, dum a Saracenis everteretur. His Parthorum successoribus tribui nunc solent sequentes

Numi:

Epigraphe, ut creditur, Persica. Caput regis barbatum diadematum, saepe etiam radiatum, imminente capiti globo, saepe crinibus retro in glomerem collectis, additis nonnunquam alis, saepe etiam astris solis et lunae. ℞ *Epigraphe similis. Ara altior ignita, conspicuo nonnunquam inter flammas capite humano, adstat hinc et inde vir hastatus, vultu in aliis ad ignem converso, in aliis ab igne averso.* AV. (Pellerin.) AR. (Mus. Caes.)

Numos similes Frölichius museo Caesareo recens illatos omnino XXXII. primus esse Persarum Sasanidarum agno-

a) L. XV. p. 1059. b) Reg. vet. num. p. 64.

Digitized by Google

vit, et eorum nonnullos aeri incisos proposuit [a]). Serius similes alios vulgavit Pellerinius [b]), quos inter eximius aereus unus, in cujus antica capita regis et reginae jugata, quibus posita juxta pretome juvenilis coronam porrigit. Reliqui omnes ex argento probe puro sunt, volumine ad primum et secundum modulum accedentes, sed laminae tenuis. In museo Caesareo duo sunt quinarii ambitu, sed hi quoque tenues.

Typus ignis in parte aversa tam conspicue propositi, tum et astra solis et lunae suaserunt Frölichio, et qui eum secuti sunt, ut Persicam hos numos monetam crederent. Enimvero copiosa habemus veterum testimonia, quanta religione veteres Persae ignem, et solem lunamque observarint, quae pleraque collegit Frölichius [c]), et Foucherius [d]). Ceterum et eo ducem Frölichium libenter consector, qui dissimulato suo judicio, quorum hi numi regum offerrent capita, malebat exspectare, *dum doctior aliquis exsistat, qui legere veterum Persarum characteres, et intelligere se posse credat et possit.* Eodem consilio ab explicandis etiam argumentis aliis in hac moneta obviis abstineo, quod libenter permitto iis, qui contentiorem ad explicandos Persarum ritus et religionem operam contulerunt.

Atqui, quod diu optaveram, hanc nuper in se provinciam suscepit eruditus quidam Gallus vulgato opere his verbis inscripto: *Mémoires sur diverses antiquités de la Perse, et sur les médailles des Rois de la dynastie des Sassanides etc. par A. J. Silvester de Sacy. De l'imprimérie nationale executive du Louvre* 1793. *in 4to.* Quod simul atque ex Indiciis literariis Gottingensibus comperi [e]), nihil erat, quod impensius curandum putassem, quam ut opere, ad praesentis argumenti enucleationem tam copiose servituro potirer. Ejus Parisiis arcessendi cum nollent librarii nostrates propter belli nunc maxime saevientis impedimenta in se curam suscipere, dedi operam, ut illud per Helvetiorum agrum ad me perferretur. At enim plures jam sunt menses, ex quo spes meas retardari, et votis moram injici cum taedio experior. Nimirum infelix illa, ac cerrita Gallorum natio omissis veteribus suis studiis, quorum ope, cum reges adhuc summae rei praefuere, veram, solidamque doctrinam circumferre per terrarum orbem in primis curis habuit, mutatis jam nunc ingeniis ejus tantum indolis libellos alis gestit instruere, et examinum more in omnes terrarum recessus emittere, per quos religionis avitae, legum patriarum, optimorum principum possit contemptum in animos populorum ingenerare, scilicet ne sola sit, quae paucorum pressa tyrannide, sanguinis ac vitae, parentum liberorumque, facultatum, ac sacrorum patriorum cogatur jacturam experiri, aut ne sola sit, quam olim incorrupta posteritas infra belluarum, aut si quid est his atrocius, magisque sangui-

a) Reg. vet. num. p. 66. b) Suppl. III. p. 34. c) l. c. d) B. L. T. XXVII. et XXXI.
e) Jahr 1793, Stück 178, Seite 1777.

Digitized by Google

narium, naturam deprimendam, et generis humani execrationi permittendam judicabit. Quapropter quidquid cl. Sacyus ad praesentium explicationem numorum utile, atque oportunum attulerit, ne dubitet benignus lector, alio quopiam idoneo loco, ac forte sub universi operis finem inter ea, quae addenda, aut corrigenda videbuntur, a me commemoratum iri.

* * *

Aeneos etiam fere I. formae vulgavit Pellerinius [a]) fabricae barbarae, in quorum antica caput est cum cultu regum Parthorum, in aversa caput peregrino item cultu; litterae utrinque habentur peregrinae, verum ignotae. Id unum ex capitis cultu colligi potest, in hoc tractu barbaram hanc segetem pullulasse. Similem olim edidit Frölichius, ratusque, in eo legi posse KOMOCI--, perperam credidit, esse numum *Comosici* Getae [b]). Swintonus in simili legere sibi visus ΠΡΟΖΟΤ, Perozem Persarum regem, cujus in historia Armeniae meminit Moses Chorenensis, in hoc numo expressum credidit [c]). Incerta, ut vides, omnia.

REGES BACTRIANAE.

Bactriana longe in ortum posita Oxe flumine et India divisa fuit. A Cyro majore in potestatem redacta Persis paruit, dein Macedonibus victore Alexandro M., qui urbem in ea de suo nomine Alexandriam aedificavit constitutis satrapis. Mortuo Alexandro pars fuit provinciarum Orientis, quas sibi Seleucus Nicator virtute subjecit. Sed cum posteri regendae tantae moli a mediterraneo in Indiam porrectae longe essent impares, factum, ut satrapae excusso Syrorum jugo regnum sibi in Bactriana constituerunt.

Aliquorum ex his regibus comperti numi Graece inscripti. Mirum videri possit, in gentem usque adeo remotam non modo linguam moresque Graecos illatos, sed et utrumque tamdiu in ea constitisse, et quidem diutius, quam forte hactenus creditum, ut infra ex numis ipsis comprobabimus. Verum reges priores, qui, postquam a Syris discessum est, sibi successerunt, fuisse Graecos, mox videbimus. Deinde quanta fuerit Graecorum in Bactriana potentia, testem locupletem habemus Strabonem [d]), qui Graecos ibi propter soli praestantiam adeo fuisse opibus auctos praedicat, ut, si Appollonio Adramytteno fides, Arianam obtinuerint et Indiam, et plures, quam Alexander,

a) Suppl. III. p. 38. b) Ad num. reg. vet. access. p. 36. c) Phil. Trans. Vol. LVI. p. 298. d) L. XII. p. 785.

Digitized by Google

gentes subegerint, maxime Menander etc. Insigne hoc momentum confert auctor peripli maris Erythraei, qui Arrianus fuisse putatur. En ejus verba: και Αλεξανδρος ὁρμηθεις ἀπο των μερων τουτων ἀχρι τυ Γαγγυ διηλθε - - - ἀφ' ὑ μεχρι νυν ἐν Βαρυγαζοις παλαιαι προχωρησι δραχμαι, γραμμασι Ελληνικοις ἐγκεχαραγμεναι, ἐπισημα των μετα Αλεξανδρον βεβασιλευκοτων Απολλοδοτυ και Μενανδρυ. *Ab his partibus* (Bactrianis) *profectus Alexander ad Gangem usque penetravit - - - quamobrem ad haec usque tempora in Barygazis antiquae drachmae reperiuntur Graecis sculptae literis cum insignibus Apollodoti et Menandri, qui post Alexandri obitum ibi rerum fuerunt potiti.* Menandrum paullo supra Bactrianae regem ex Strabone diximus, qui et in Indiam imperium extendit. Quare et ejus numi facile Barygazam pervenerunt, quae fuit urbs Indiae intra Gangem. Ex quo adeo loco exstitisse Bactrianorum monetam veterem Graecam manifeste tenemus, cujus partem efficiunt numi, quos continuo indicabimus.

In describendis regibus Graecis, quorum prodemus numos, operam levavit Theophilus Sigefr. Bayerus, qui *historiam regni Graecorum Bactriani* erudite conscripsit, quem plerumque in hoc tentamine sequemur. Adde, quae de ejus regni eversione ex monumentis Sinarum attulit cl. de Guignes [a]).

* * *

THEODOTVS pro Antiocho II. Bactrianae praefectus solicitatis ad defectionem colonis Graecis regnum sibi comparat. Factum istud ex sententia Bayeri aliquot annis ante, quam Parthi deficerent. Sed difficile est ἀκριβως definire verum defectionis annum. Fuit Theodotus originis incertae. Graecum fuisse ipsum nomen prodit. Successorem habuit Theodotum II.

Ejus numus nondum cognitus, saltem qui ejus certo sit.

* * *

EVTHYDEMVS.

Oriundus Magnesia. Sublato Theodoto II. regnum invasit. Antiochum M. primo hostem experitur, deinde amicum, ea lege, ut se Bactrianae regem agnosceret, quod factum ex Bayeri calculo circa annum V. C. 548. Filium illi fuisse Demetrium Polybius et Strabo prodidere, destinatum etiam Antiochi M. generum, verum an patri successerit, incertum.

Numus:

Caput regis diadematum. Ꝟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΥΘΥΔΗΜΟΥ. *Herculos rupi insidens d. clavam sublimem effert alteri rupi juxta positae innixam, in area monogramma.* AV. III. (Pellerin Additions p. 95.)

Multis nominibus eximius est hic numus. Nam non modo metallum, et operis elegantia singulare illi pretium addunt, sed etiam quod hujus regis unicus est, quando jam rarissimi sunt numi omnes regum Bactrianae. Accedit et illud, hunc Euthydemi numum fuisse postremum, quem Pellerinius commen-

a) B. L. T. XXV. Mem. p. 17.

Digitized by Google

tario illustratum vulgavit jam fere centesimum aetatis annum agens, et oculorum usu destitutus. Non ergo poterat summus hic vir, quo nemo hactenus copiosius de re numismatica Graeca meritus est, majore cum gloria vetus suum studiorum curriculum finire.

Pars aversa Herculem sistit amicum Graecis Macedonibus per causas cognitas numen. Simili cultu, nisi quod abest rupes clavae fulcrum, propositus exstat in tetradrachmis, quae Antiocho II. Syro tribuimus. Et Hercules aliorsum in eo tractu cognitus, nam ipsam Indiam adivisse, tentata frustra Aorni obsidione, creditum. Vide Curtium [a]). Praeclare igitur secundum hunc, aliosque Bactrianorum numos dixit Plutarchus [b]): *δια δ' Αλεξανδρον τις Ελληνων θεος Βακτρα και Καυκασος προσεκυνησε. Per Alexandrum factum, ut Bactra et Caucasus Graecorum deos adorarent.*

* * *

MENANDER. Ejus magnum a justitia et rebus gestis apud Bactrianos nomen, pro cujus cineribus, velut Palladio, in certamen descenderunt civitates Bactrianae [c]).

EVCRATIDES.

Incerto genere ortus. Multa bella magna virtute gerit, India etiam in potestatem redacta. A filio, quem regni consortem fecerat, occisus, traducto etiam per cadaver suum carpento indignum vitae exitum sortitus est. Haec Iustinus, qui eum Arsacis VI. aequalem facit [d]). Praestantis ejus viri memoriam conservarunt Eucratidea, urbs in Bactris ex conditoris nomine appellata, tum et insignes duo numi.

Bayerus filio quoque fuisse Eucratidis nomen conjecit. Quid illo deinceps factum, non liquet, et quae Bayerus commemorat, a solis conjecturis pendent.

Numi:

Caput regis juvenile galea diademata tectum. Ϟ ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΕΥΚΡΑΤΙΔΟΥ. *Dioscuri pileo astrifero tecti in citis equis d. hastam, s. palmae ramum, in area monogramma.* AR. m. m. (Pellerin Rois p. 129.)

Eucratidis numum similem jam ex museo imperatorio Petropolitano recitavit Bayerus in opere saepe memorato [e]), differt tamen in nonnullis; nam primum dicitur adpendere nonnisi drachmam cum semisse ponderis Coloniensis; deinde vultus Eucratidis esse senilis [f]), cum Pellerinianus perquam juvenilem sistat. Denique Bayerus in numi area vidit literas HP, quas esse aerae Bactrianae notam adserit, quam ipse ab anno V. C. 499. deducit. Verum judice Pellerinio, cum quo mihi facile convenit, ligatae hae literae HP aliud non sunt, quam monogramma, quale etiam in suo, etsi alterius formae, conspicitur. Parum igitur tuto aera Bactriana, nullo alio monumento comprobata, fallace hac nota nititur.

---

a) L. XI. c. 11. b) de fort. Alex. or. I. c) Plut. in praecept. reip. ger. p. 821.
d) L. XLI. c. 6. e) pag. 99. f) ibid. p. 94.

Digitized by Google

ADINNIGAVS *Corsino* MINNISARES.

Caput regis barbatum diadematum. ✠ -AEIA - - AΔINNIΓA□ - ΣΩTH-I□E. *Hercules nudus petrae insidens d. elata clavam, in imo annus* TAΓ, *in area monogramma, nempe* A *intra quadratum.* Pot. I.

A quibus vulgatus sit hic numus addito iconismo, et quorsum pertineat, dicetur mox infra.

MONNESES.

Caput regis barbatum diadematum. ✠ -AEIA - - - ONNHE - - - ΩTH-POE. *Hercules nudus basi insidens d. elata clavam, infra annus* TKB *vel forte* TKE. AE. I.

Complector utrumque hunc numum, et Adinnigai, et Monnesis, quos contra atque aliis hactenus visum, Bactrianae regibus insero, quod antequam probare instituo, juvat aliorum de his numis judicia commemorare.

Cl. Eduardus Corsinus anno 1754 libellum edidit, cui titulus: *de Minnisari, aliorumque Armeniae regum numis, et Arsacidarum epocha dissertatio.* Agitur in hac de numo, quem priore loco proposui, sed vir eruditus pro certo AΔINNIΓAO. legit MINNIΣAP. Eum ergo applicat *Minnisari* Armeniae regi, cujus in Trajani rebus gestis meminit Dio, sed quem *Manisarum* appellat. Atque hac fiducia novum invexit aerae Parthicae principium ab anno V. C. 525, ex quo annum numi TAΓ deducit. Vniversa haec causa cum minus probaretur Frölichio, eodem adhuc anno libellum opposuit inscriptum: *Dubia de Minnisari aliorumque Armeniae regum numis, et Arsacidarum epocha nuper vulgatis*, quibus elevare Corsini argumenta omni ingenii et eruditionis apparatu est aggressus. Non tamen victum se professus Corsinus causae suae suppetias iterum venit dissertatione altera Romae 1757 edita. Possum commemorandis iis, quae eruditi Hviri pro sua quisque causa attulerunt, abstinere, non tam quod instituti mei brevitas tam copiose disputata non recipit, quam quod omnis Corsini doctrina jam hoc uno disperit, quod numo inscriptum MINNIΣAP. praetendit, quando certum est, in eo legi AΔINNIΓAO., quam vocem non modo reperit Frölichius in fideli pictura ex ipso archetypo musei Stoschiani excepta, et sibi a Gorio Vindobonam missa, sed etiam Abbas Barthelemyus, qui singularem hunc numum olim musei Palatii, deinde Stoschii, regis sui thesauro intulit, et subinde aeri incisum eruditorum oculis subjecit [a]). Quare ultro collabuntur omnia, quae Corsinus tanto nisu de Minnisare in monetam recepto, et statuendo alio aerae Parthicae principio disputaverat. Denique ne quid praetermittam, quod ad Dionis Manisarum pertinet, video a Vaillantio ὡς ἐν παροδῳ citari numum, et huic Manisaro Armeniae regulo tribui, in cujus adversa exhibetur: *Caput tiara ornatum*, in aversa: BACIΛEΩΣ. ABAIΣΣAPOT. *typo aquilae* [b]).

Non minor in alterius numi examine contentio, et in legenda inscriptione

a) B. L. T. XXXII. p. 671. b) Imp. Arsacid. p. 306.

Digitized by Google

dissensus. Eum primus ex museo suo protulit Vaillantius [a]), qui epigraphen sic effert: BACIΛЄΩC. BACIΛЄΩN. MONNHCOT. CΩTHPOC. ЄΠIΦANOTC. cum anno TKB. Deinde Monnesem hunc in regum Parthorum catalogum intrudit invitis numis Volagasis I. et II., ut diximus in Arsace XXVII. Eundem numum serius vidit Maffejus in museo ducis d'Estrées, sed qui sic inscriptum prodit: BACIΛEΩC. MONNHCOT. CΩTHPOC. ETEPΓETOT. cum anno TKE. Ceterum ambiguus haeret, sitne rex Parthiae, an Bospori statuendus [b]). Cimelium istud in gazam tandem regiam translatum multo, quam antea factum, adcuratius edidit Barthelemyus [c]), et patuit nonnulla intrusa, quae in numo conspicua non sunt, ut Vaillantii ЕΠIΦANOTΣ, vel Maffeji ETEPΓETOT, et ne quidem praetensum totum nomen MONNHCOT legi, extremis utrinque literis evanidis. Neque illaesa est postrema epochae litera; unde factum, ut Vaillantius legeret TKB, Maffejus TKE. Barthelemyus in priorem lectionem propendet. Eodem hoc fatente numus hic varie lectus unus idemque est, non diversi. Quod cum ignoraret Pellerinius, binos dixit exstare Monnesis numos variantibus aerae annis insignes [d]).

Explorata religiose utriusque numi natura jam etiam, cujus sint patriae, inquirendum. Quod cum adcuratius expenderem, intellexi I., numos hos esse non posse regum Parthiae, ut visum Vaillantio, Pellerinio, et plerisque aliis, II. haud dubie esse regum Bactrianae putandos. En utriusque thematis rationes paucis expositas.

I. Non esse numos regum Parthiae, ipsi inscripti epochae anni comprobant. Etenim annus TΛΓ in numo Adinnigai ductus ab anno V. C. 443, quod principium aerae in numis Parthicis statuimus, incidit in annum V. C. 775, quo tempore in Parthia regnavere filii Phraatis IV. aliive, quorum omnium tenemus nomina. Annus TKB in numo Monnesis incidit in annum V. C. 864, at tum regnasse Chosroem constat. Nullus ergo utrique locus in regum Parthorum serie relinquitur. Accedit, typum Herculis, aut titulum ΣΩTHPOΣ in nullo regis Parthi numo hactenus conspectum, quos constat certos suos, ac nusquam variatos habuisse typos.

II. Ajebam, esse numos regum Bactrianae. Vt facile erat evincere, numos hos non esse Parthicos, sic, quia Parthicam Graecorum monetam metallo, volumine, forma literarum, aliisque modis proxime imitantur, facile intelligimus etiam, signatos illos in provincia Parthorum imperio vicina, aut, si lubet, etiam obnoxia, atque vel unum istud a Bosporana illos moneta excludit, cui eos posse inseri, leviter suspicatus est Maffejus. Enimvero reperio, idem jam etiam visum insigni Barthelemyo in haec verba disserenti [e]): *Numi Adinnigai et Monnesis, quod eosdem typos et fabricam praeferunt, in eadem videntur regione signati, sed ob easdem causas differunt a regum Parthiae nu-*

a) l. c. p. 339. b) Galliae Antiq. p. 114. c) l. c. d) Suppl. III. p. 15. e) B. L. T. XXXII. p. 683.

Digitized by Google

mis. Erant in Armenia, Mesopotamia, et toto Parthorum imperio dynastiae plures, quorum principes suo nomine pecuniam signaverunt. Quare dubium non est, harum uni utrumque numum tribuendum. Coeptam a viro erudito telam perage. Esse numos regum Bactrianae, argumentum habeo unicum quidem, at illud, ut reor, solidum, ab ipso typo petitum. Sistit hic Herculem petrae insidentem, et d. clavam elatam tenentem, perinde atque typus in citato supra Euthydemi numo, quem fuisse Bactrianae regem certo constat. Vix verisimile videatur, si numi hi alterius essent regionis, monetarios sic anxie Herculem ad omnes Herculis Euthydemiani apices fuisse ficturos, et conspiraturos in typo, qui secundum omnes causas vix in aliis numis exstat. Confer, amabo, omnes tres, de quibus agimus, numos, et negabis interesse discrimen, nisi quod Euthydemi numus elegantis est operis, alteri, quod prolapsa jam arte percussi sunt, barbari. Admissa hac mea sententia reliqua omnia commode explicantur. Graeci in Bactriana positi, quorum quanta fuerit potentia, in prolegomenis ad Bactrianae regum numos diximus, eodem modo signavere pecuniam cum capite regis sui, quo Graecos in Parthia positos monetam cum regis Parthici capite signasse diximus. Vsi deinde sunt aera Seleucidarum ab anno V. C. 442, vel, ut aliis placet, aera Graecorum ab anno sequente ducta, perinde ac Graeci Parthici, nimirum aera, cum adhuc Seleucidis parerent, utrisque communi. Denique veterem etiam Herculis typum retinuerunt, sub hac nimirum imagine in Bactriana impensius culti.

Superest, ut occupem, quae novam hanc sententiam possint in invidiam vocare. Testibus Iustino et Strabone Graecorum in Bactriana imperium eversum est primum a Parthis, deinde a Scythis Nomadibus. Testimonia haec collecta habes apud Bayerum [a]). Scytharum etiam in Bactrianam invasionem in monumentis Sinensium aut vidit, aut videre sibi visus est cl. de Guignes [b]). Non inficior. Verum si eversum est Graecorum in Bactriana imperium, non etiam eversi coloni Graeci, qui eam inde ab Alexandro M. copiosi incoluere. Enimvero quemadmodum everso a Parthis Graecorum Seleucidarum trans Euphratem imperio perrexerunt tamen Graeci legibus suis uti, numosque cum Parthici regis capite ferire constituerunt, sic horum exemplo idem a Graecis Bactrianis factum verisimile est. Quales fuerint hi Reges post Eucratidem, quem ex Graecis Bactrianae regibus postremum memorat historia, ignoramus. Dubitari nequit, inter perpetuos motus, et horribiles procellas, quibus haec Orientis pars prae aliis regionibus concussa est, praevalentibus jam his, jam illis, Bactrianam jam hos, jam illos dominos nactam, seu Parthos, seu Scythas, seu ex indigenis quempiam. Et forte Parthus fuerat memoratus in numo Monneses, nam istud nomen aliquoties in historia Parthica proditur. Et vero non temere adserimus, Bactrianam etiam post eversos

a) l. c. p. 96. b) B. L. Mem. T. XXV. p. 17.

Digitized by Google

reges Graecos regibus item paruisse. Ita enim lego in periplo maris Erythraei, qui a nonnullis Arriano tribuitur: *και τουτων επ' ανω μαχιμωτατον εθνος Βακτριανων, υπο βασιλεα εσαν ιδιον τοπον.* Vt certum est, Graecam hanc orationem esse luxatam, ita certum etiam, hanc ejus esse sententiam debere: *supra hos bellicosissima gens Bactrianorum, quae proprio regi est subjecta.* Ex his ergo, quae modo disputavi, illud unum tenemus, numos hos esse regum Bactrianorum, etsi quo generè fuerit aut Adinnigaus, aut Monneses, caliginosa nocte premat deus.

Addendus his omnino est numus alter quem proxime in museo Caesareo deposui:

Caput regis barbatum diadematum crinibus pone in glomerem compositis. ℞ *epigraphe ambigua, ut dicetur. Hercules sedens eodem omnino modo, quo in praecedentibus, in area monogramma.* AE. fere I.

Per causas, quas hactenus dedi, dubitari non potest, ejusdem eum esse regionis, cujus sunt numi laudati Adinnigai, et Monnesis. Si enim typum aversae spectes, eundem ad omnes apices cum illis puta, neque deest monogrammatis quoddam genus, etsi propter operis raditatem satis informis, et eodem loco positi, quo illud in numo Adinnigai conspicitur. Dolendum, ab epigraphe ambigua nihil opis accedere. Ex utroque numi latere saltem unus scripturae versus est conspicuus, in imo segmento, quod in illis annum epochae continet, manifestae sunt literae OAO, sed quae epocham notare non possunt. Capitis cultus in parte adversa Parthicus plane est. Aut igitur eo tempore, quo signatus est hic numus Bactriani servivere Parthis, aut si malis Bactrianum regem statuere, is regis Parthi cultu fingi se voluit.

* * *

Edidit Swintonus numum (Phil. Trans. Vol. L. p. 175.):

- - - ΒΑCΙΛЄΩΝ. ΜЄΓΑC. ΜΟ - - -

Caput regis more Parthico tectum. ℞ *Epigraphe Parthica. Victoria gradiens.* AE. II.

Monnesis numum existimat auctor judicio plane incerto; nam in MO literam O dubiam ipse profitetur.

FINIS VOLVMINIS III.


ASHMOLEAN OXFORD MUSEUM


Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google


Digitized by Google


Digitized by Google